



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





P. Room

L. 13.

458

Per. 14198 f. $\frac{209}{6}$







BIBLIOTHECA
HAGANA

HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA,

A D

CONTINUATIONEM
BIBLIOTHECAE BREMENSIS
NOVAE
CONSTRUCTA.

CLASSIS SEXTAE,
FASCICVLVS PRIMVS.



AMSTELODAMI & LVGDVNI BATAV.

Sumptibus Bibliopolarum

HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,

MDCCLXXV.



CONSPICUUS
CONTENTORVM,
FASCICVLI PRIMI
CLASSIS SEXTAE.

I. ERNESTI AUGUSTI SCHULZE, *Theologi Viadrini*, *Dissertationis de Fide historica libri Esterae*, sectio altera. P. 1. f.

II. JOANNIS CHRISTOPHORI HAKENBERGII, *Praepositi*, dum viueret, *Conuentus Laurentiani Scheningensis*, & *Professoris Collegii Carolini Brunopolitani*, *Commentatiuncula ad illustrandum JESAIAE Caput XXIX.*
Pag. 49. f.

III. JACOBI CREMER, *I. I. Fil. V. D. M. Hulstensis*, *Observatio Exegetica in PSALMI XXII. comma 21. collato Euangelio JOANNEO cap. XIX: 31-37.* Pag. 115. f.

IV.

IV. J. C. BONNET, V. D. M. *Dissertatio de lege, Judaeis per nuncium tradita, ad ACT. VII: 53. GAL. III: 19. & EBR. II: 2. quorum locorum nexus simul ob oculos ponitur.*
Pag. 145. f.

V. HERMANNI TOLLII, V. I. D. *Historiarum Eloquentiae & Linguae Graecae Professoris Harderouiceni, Oratio pro magnorum Virorum gloria ab Historiarum interprete non temere obscuranda, publice dicta Harderovici Gelrorum, ad d. 13. Junii a. 1770. cum fasces poneret Academicos.*
Pag. 167. f.

VI. ANONYMI *Dissertatiuncula de ישראל, nomine Israelis mystico.*
Pag. 185. f.



I.

ERN. AUG. SCHULZE,
DISSERTATIO
DE
FIDE HISTORICA
LIBRI ESTHERÆ

SECTIO II. (*)

CONSPECTUS.

Proœmium § 1. *Convivium ab Ahasuero datum*
§ 2. 3. 4. *de regina Vasti, edictoque propter*
illam lato § 5. *Regum Persarum edicta fuisse*
irrevocabilia § 6. *de Gynaceo regio* § 7. *de*
Esthera in hoc Gynaceum deducta § 8. *de præ-*
paratione puellarum § 9. *de Hamano, cum*
fuisse Amalekitam § 10. *Hinc Mardocheum*
reverentiam illi præstandam detrectasse § 11.
Hinc odium Hamani in Judæos § 12. *Hinc*
‡

(*) *Sectio prima in hujus Biblioth. Cl. V. p. 249.*
legitur.

Bibl. Haganae Cl. VI. F. I. A

2 Ern. Aug. Schulze, Dissert.

Et ejus filii supplicio addicti § 13. Hinc a
Judæis tanta strages edita § 14. Vindictam
ab iis sumtam esse § 15. de sortilegio Hamani
§ 16. Accusatio ejus contra Judæos instituta
§ 17. de pecuniâ summa, ex eorum bonis in
thesauros regis inferenda § 18. 19. Edictum
contra Judæos latum § 20. Luctus, Et suppli-
catio Mardochei § 21. Quare Hamanus pro-
mulgationem edicti acceleraverit, Et quare Ju-
dæi se non fuga subduxerint § 22. Quare
Esthera regem in conventu publico adierit §
23. de regio sceptro signo gratia § 24. Se-
dere in throno quid significet § 25. Quare Est-
hera suam prosapiam celaverit § 26. Claudesti-
na consilia inter regem Et reginam contra Ha-
manum acta esse § 27. Numerosa proles, qua
Hamanus gloriatus est § 28. de arbore 50 cu-
bitos alta § 29. Honores Madocheo tributi § 30.
Ultimum Hamani fatum § 31. Regium edictum
in favorem Judæorum § 32. Indoles Ahpsveri
§ 33. Epilogus § 34.

§. I.



Quod in priore hujus dissertatio-
nis sectione jam notavimus, &
huic præfemur necesse est, sci-
licet: Persarum mores, atque
instituta a nostris moribus, &
institutis differre, nec illa ex his æstimanda
esse. Ad varia hujus libri loca, quæ nume-
ros referunt, simul id præmonendum, scili-
cet,

de Fide Historica Libri Estheræ. 3

cet: in describendis his numeris librarios sæpius alucinatos esse. Observavit hoc multa experientia in manuscriptis codicibus V. T. KENNICOTT, de republica Christiana immortaliter meritus (a), in aliis codicibus post plures alios doctiss. TAYLORUS (b). Hinc viri doctissimi hanc regulam sanxerunt, scilicet: difficultates, quæ in libris historicis V. T. ex numeris oriuntur, non horum librorum fidem evertere; maximam enim auctoribus fieri injuriam, si, quos librarii errarunt, errores illis adscribere velimus (c).

- (a) In *Dissertatione secunda super ratione textus Hebraici* p. 200.
- (b) In *Demosthenis* editione Vol. II. p. 600.
- (c) Regulam hanc etiam haut ita pridem sancientiam censuit RÖMMERSHAUSEN in *Critica introductione in libros V. T.* p. 169.

§. 2.

Quæ præmonuimus notanda sunt ad illud convivium, quod *Abasuerus* regni sui proceribus, & ingenti hominum turbæ per 180 dies dedisse fertur. c. I. v. 3. Tale convivium nobis insolens videri potest, at non ita insolens videbitur orientis gentibus. Istæ enim gentes convivia sua sæpius in plures dies protrahere solent. Ita nostris temporibus præfectum quemdam Smirnensem, *Cara*
A 2 *Osman*

4 Ern. Aug. Schütze, Dissert.

Osman Ogleu dictum, filio suo, & fere sex mille hominibus epulas nuptiales per tres hebdomades dedisse, relatum legimus. Ita quondam Turcarum imperator, *Murathes* III. ob circumcisionem filii feliciter peractam regni primoribus, exterorum legatis, ingentique hominum multitudini per 50 dies, eodem fere apparatu ac *Abasterus*, epulas instruxit. (a) Immo semestre aliquod convivium, a rege quodam Persarum recentiori tempore actum, ex relationibus Angli cujusdam, in commentario sacri codicis, qui in Anglia virorum quorundam doctissimorum cura prodiit, ad hunc locum annotatum deprehendimus. Relationes has non quidem ad manus habemus, nec earum fidem examinare possumus. Id tamen nobis constat, reges Persarum continua fere egisse convivia, eademque publica; multos habebant, quibus quotidie in aula alimenta præbenda erant, milites scilicet, qui ibi excubias agebant, alios, qui a ministeriis erant, plures, qui, ut orientis more loquamur, pane regis vescabantur. Hinc rex Persarum quotidie cum quindecim millibus cœnatus esse fertur. (b) Facile igitur, ubi plures advocabantur, epulæque majori apparatu instruebantur, convivium per plures menses protrahi poterat. Etsi vero tale convivium, *in gente* quadam actum, non apud alium aucto-

de Fide Historica Libri Estheræ. 5

auctorem reperiatur, longiora tamen reperire licebit. Ita scilicet *Ariamnes* quidam Gallorum ditissimus suis Gallis per integrum annum epulas plenis mensis dedisse fertur. (c) Et si convivium 180 dierum, a ditissimo Persarum rege datum, omnem fidem excedere videatur: nequaquam tamen hoc numero omnis hujus libri auctoritas, atque fides corrui. Valere enim hic potest regula; quam §. I. notavimus.

(a) Vid. *PORSII narratio belli Persici cum Muratbe III. gesti*, in *Bizarri rerum Persicarum Historia* p. 369.

(b) *ATHENÆUS* L. IV. c. 10.

(c) *Athenæus* L. IV. c. 13.

§. 3.

Nec majoris momenti sunt, quæ contra hoc convivium urget *OEDERUS*, scilicet: per hoc temporis spatium omnium provinciarum præsides præsto fuisse; hoc innuere verba auctoris c. I. vf. 3. 4. *Fecit convivium cunctis principibus suis, & servis suis, inclutis Persarum, & Medorum, præfectis provinciarum coram se, ut ostentaret divitias, & gloriam regni sui, & honorem, & decus regni sui.* Hinc adeo omnes provincias tanto temporis spatio suis rectoribus orbas fuisse. Verum ad ostentandas regis divitias non opus erat, ut

6 Ern. Aug. Schulze, Dissert.

omnes omnium provinciarum præfecti junctis lateribus discumberent, unoque ore regia vina biberent. Omnia hæc singulis, suo ordine accessuris, etiam ostentari poterant, hinc, ut pluribus concederetur locus, & regia ostentatio quam latissime pateret, regium hoc convivium in plures menses protractum est. Et si vel omnes simul adfuisent; nondum tamen omnes provinciæ suis rectoribus vacuæ fuissent. Quilibet in sua provincia habebat suum legatum, aut vicarium, quales adhuc in Persarum, atque Turcarum regnis sunt provinciarum rectoribus. Nec verba: *ut ostentaret divitias & gloriam.* — recentioris cujusdam Rabbini hyperbolen referunt, uti *Oedero* visum est. Quem fugiunt Persici apparatus? In his apparatusibus pro sua majestate, suisque divitiis magnificentissimi quondam erant, & adhuc sunt Persarum reges.

§. 4.

Quod *Abasuerus* tertio imperii sui anno dedisse fertur, convivium convenit temporibus *Artaxerxis Longimani*. Ille enim, quod refert *DIODORUS SICULUS* L. XI. p. 279. tunc temporis ad tranquillam rerum suarum possessionem pervenerat. Omnis igitur jam in eo erat, (verbis utimur hujus auctoris) ut regni statum, prout rerum suarum commoditas exigere videbatur, componeret. Sa-
tra-

de Fide Historica Libri Estheræ. 7

trapas minus sibi benevolos abdicabat, & idoneos sibi visos in locum illorum substituebat. Vectigalium præterea, & copiarum, & bellici apparatus curam suscipiebat. Hinc sententiæ; quam nobis priore sectione adstruendam sumimus, scilicet: *Abasuerum esse Artaxerzem longimanum*, novum accedit fulcrum. Hinc simul videre licet; quare isto convivio, aut potius conventu plures consumti fuerint menses. Plures provinciarum præfecti advocandi, plura, eademque maxima regni negotia tractanda erant. Persæ vero, uti quondam Germani, de maximis rebus in conviviiis consultare, aut, ubi consultaverant, sese a negotiis ad otia, atque epulas convertere solebant. Ita adhuc in Persarum, atque Turcarum aulis, ubi conventus procerum aguntur, simul dapes parantur. (a)

§. 5.

In tali convivio, aut conventu rex iste, genio suo indulgens, ut satrapas suos sibi novo devinciret honore, reginam suam, sua forma pulcherrimam, ad epulas has accessi jubet. Quæ rex ab illa desiderabat, omnino quidem a moribus Persarum abhorrebant. Verum observanda fuissent regis

A 4

man-

(a) conf. cl. JOA. BERN. KOEHLER *Obs. Philol. in loca selecta S. Codicis in Esth. I: 10—22. p. 11. sq.*

8 Ern. Aug. Schulze; Differt.

mandata, licet per temulentiam data. Hæc enim non impune detrectare licebat (a). Pertimescenda fuisset ebrii regis ira (b). Ira sua excandescebat rex, quum suam majestatem in conspectu populi ita sperni cerneret. Pessimum hoc videbatur exemplum, non impune ferendum. Rem igitur ad senatum referebat. Senatores isti, quibus forsitan regina ista non ita accepta erat, quum jam omnia ad ejus perniciem vergere viderent, ad regis iracundiam suam mentem, & sua consilia accommodantes, factum hoc, ceu pessimum exemplum, aggravabant, &, ne exemplum hoc latius ferperet, reginam regio toro, atque diademate privandam, vindictamque, de illa sumtam, regio edicto per omnes regni provincias divulgandam esse censebant. Edictum hoc inter alia hæc in mandatis habebat c. I. v. 22. *Ut sit omnis vir dominus in domo sua*, vel uti LXX referunt, *ut sit eis timor in domibus suis*: additur *ומדבר כלשון עמו*, quæ verba vulgo hoc sensu sumuntur: *ut sit loquens lingua populi sui*. Prius absonum esse, posterius nullum sensum habere videtur. Verum, quod ad prius, notandum est: quod in illis terris, ubi polygamia valet, ex gynæceis, inprimis ex illis, quæ feminis onusta gemunt, plures oriantur contentiones, mox inter feminas, mox cum marito, plura

de Fide Historica Libri Esthetæ. 9

pluraque hinc in omnem rem publicam pro-
manare soleant mala. De his malis sæpius con-
queruntur Mahummedani, nec diffiteri pos-
sunt, illos, qui una conjuge contenti sunt,
tranquilliozem agere vitam. In illis igitur
terris matrimoniorum concordie, mari-
torum jura legibus sancienda sunt. Nec
adeo mirandum, istos senatores, ceu censo-
res morum, hæc edicto publico sanxisse.
Quod posterius attinet; verba ista etiam
hunc sensum fundere possunt: *Et pronuntia-
ri jussit* (rex, scilicet ea, quæ litteræ com-
plectebantur) *lingua populi sui*. Consentien-
tes habemus Syrum interpretem, & *Lati-
num*. Ille enim: *Et hoc per cunctos populos
divulgari*. Hic vero: *Hoc autem edicebatur
sua cujusque populi lingua*.

- (a) Ita adhuc in Persia regis mandata, licet per
temulentiam data, accuratissime exsequenda
sunt. Vid. TAVERNIER in *Itinerario* P. I. *vers.
Germ.* p. 167.
- (b) Triste talis iræ exemplum ex recentiore Per-
saru(m) historia dabit *Tavernier* in l. cit. p.
225. scilicet regis *Sepbi*, qui, dum vino gra-
vis reginam arcessi jusserat, & illa non statim
præsto erat, mox eandem suo pugione trans-
fixit. Alia exempla dabit *Tavernier* p. 196.

§. 6.

Mirum tamen videri potest, quare rex iste, a sua temulentia & ira ad sanio-rem mentem rediens, non simul in gratiam cum sua regina redierit. Vitio vertitur hoc regi, aut potius hujus libri auctori. Verum, quod hic & ad alia hujus libri loca notandum, leges Medorum & Persarum irrevocabiles erant. *Dan.* VI: 8, 15. Ipse rex sua edicta, ubi promulgata fuerant, non ita facile revocare poterat. Instituta hæc orta videntur ex vana persuasione, quam gentes istæ de suis regibus tenebant, & adhuc tenent. Persæ inprimis tunc temporis suum regem ceu præsentem Deum suspiciebant (a). Idemque adhuc, uti & Turcæ suos imperatores divino quodam impulsu & agere, & loqui existimant. Hinc in longo titulorum agmine, quo isti imperatores superbiunt, primas tenet titulus *Sjillûla Umbra Dei*. Hinc inter Turcas mandatum, ab ipso imperatore datum, *Chat-Scherif* dictum, non revocari potest, licet ab omni ratione abhorreat. Hinc inter Persas regis edicta, licet per temulentiam pronuntiata, tam sacra sunt, ac *Mabummedis* scita (b). Hinc & rex iste non facile suum edictum revocare poterat, &, qui illud suggesserant,

de Fide Historica Libri Estheræ. 11

rant, simul in id omnes suas curas convertere debebant, ut ratum maneret. Simul enim ac regina in regis gratiam rediisset; ipsis ab ea mala quævis pertimescenda erant. Hinc, quum regem iterum in eam propensum cernerent *c. II: 1.*, ut veterem amorem novo, *clavum clavo pellerent*, de aliis puellis ipsi adducendis sua consilia agitant (*c*).

- (a) Vid. BRISSONIUS *de regio Persarum principatu* p. 8.
- (b) Vid. DEMETRIUS CANTEMIR in *Historia regni Ottomanici* vers. Germ. p. 204. & 253. LUDENCKE in *Relationibus de Turcico regno*, quæ lingua Germ. prodierunt, p. 216. & 218. edit. ab a. 1771. TAVERNIER l. cit. p. 227.
- (c) Ita adhuc in Persia virgines, ceu milites suum militaturi bellum, in usum regis leguntur, at maximus delectus est habendus. Insignis hac re in primis fuit annus hujus seculi primus, qui propterea a Persis dictus est *annus virginum*, de quo vid. HANWAY in *Historia commercii Anglici in Persia aliisque regionibus* P. II. *Sc&. VII. c. 31.*

§. 7.

Triplex nobis hic panditur gynæceum.
I. Gynæceum virginum *c. II: 3, 8, 9.*
II. Gynæceum concubinarum *v. 14.* III. Gynæceum reginæ *v. 16.* aut regiarum conjugum (*a*). Hæc conspirant non solum cum antiquis, sed & cum hodiernis Persarum,
ut

ut & Turcarum institutis. In aula Turcarum virgines proprium habent gynæceum, simul vero ac quædam imperatoris amplexibus gavisa fuerit, in aliud deducitur, plures servæ, & spadones illi adsignantur, non vero sese imperatori sistere debet, nisi fuerit vocata (b). En eadem quæ v. 14. referuntur! *Vespere ingrediebatur illa, & mane revertebatur in gynæceum alterum, ad manum — custodis concubinarum, non redibat amplius ad regem, sed si delectabatur ea rex; vocabatur nominatim.* Persarum regis concubinæ arctiore tenebantur custodia, regiæ vero conjuges liberiori gaudebant gynæceo (c). In tali gynæceo regnaverat *Vasti*, & jam regnabat *Esthera*. Quæ regis gratia exciderant, aut ejus iram in se concitaverant, forsan ad remotius aliquod gynæceum, ceu ad ergastulum suum relegabantur. Tale adhuc est Turcarum imperatori, & Persarum regi, *Eskii Serai*, palatium vetus dictum (d). In tali forsan exsulabat *Vasti*.

- (a) Reges Persarum plures habuisse conjuges, pluresque pellices, pluribus veterum testimoniis comprobavit *Brissonius* l. cit. p. 75. & 77.
 (b) Refert hæc *Demetrius Cantemir*; l. cit. p. 455.
 (c) Vid. *Brissonius* p. 77.
 (d) Vid. *Cantemir* p. 155. & *CHARDIN* T. III. p. 386.

§. 8.

Hinc facile tolli potest dissensus, quem reperisse sibi visus est Oederus in verbis c. II: 8., ubi *Esthera* statim post repudiatam reginam *Vasti*, adeoque tertio hujus imperii anno, cum aliis puellis in gynæceum regium adducta dicitur, & in verbis v. 16. ubi mense decimo, anni septimi, in regiam, ad regem *Abasuerum* adducitur. In priori loco sermo est de gynæceo virginum, in posteriori de gynæceo regiarum conjugum. Hoc etiam auctor ab altero distinguit, prius generatim vocat בית הנשים v. 3, 9, 11, 13. posterius vero בית מלכות, domum imperii, aut regiae dignitatis v. 16. ita etiam diadema regium, quo *Esthera* cingebatur, appellat כתר מלכות. Sensus igitur v. 15, 16, 17. ex nostra sententia hic foret: *Quum igitur pervenisset terminus Esthere — ingrediendi ad regem, nihil quidem petiit præter id, quod dixerat Hegai, regis eunuchus, gynæcei custos, obtinebatque Esthera gratiam in oculis omnium videntium eam (adeoque regis) וְ (scilicet ob hanc gratiam) assumpta est ad regem Abasuerum in domum imperii (in gynæceum regiarum conjugum) mense decimo anni septimi regni ejus; nam rex amabat Estheram præ omnibus mulieribus*

14 Ern. Aug. Schulze, Dissert.

bus (aut conjugibus, inter quas recepta erat) & *obtinet gratiam, atque benignitatem coram eo præ omnibus aliis virginibus* (quæ cum illa adductæ erant, & adhuc adducebantur) *adeo ut imponeret diadema regium capiti ejus, & reginam constitueret loco Vasti.* Eundem in modum Paraphrastes Chaldaicus verba v. 16. reddit: *Deducta est Esbera ad regem Abasuerum in uxorem, & introduxit eam in domum cubiculi domus regni sui.* Ita etiam JOSEPHUS *A. J. l. XI. c. VI. §. 2.* regem anno septimo *Esberam* ceu legitimam conjugem sibi adjunxisse ait.

§. 9.

Puellæ in gynæceum regium adductæ, quod refert auctor *c. II. v. 12.* prius per duodecim menses variis unguentis, & aromatibus imbuendæ, variisque artibus ad regios amplexus præparandæ erant, ita ut de his puellis dici queat comicum illud: *Dum moliantur, dum comuntur, annus est.* Hæc nos suspensos tenent. Id quidem nobis constat, reges Persarum usque adeo luxu, & deliciis diffluxisse, ut artifices haberent instruendarum voluptatum, immo præmia proponerent ei, qui novum voluptatis genus reperisset (*a*). Tales voluptatum ma-
gi-

gistrum adhuc sunt regibus Persarum. Sunt qui novicias prius aulæ moribus, variis artibus, atque lusibus instruunt, quam regi sistantur. Ex his unus est formæ corporis æstimator, cingulum habens, cujus si mensuram ventris crassities excedat, eas aqua & oryza alendas curat, donec iterum cingulo includi queant (b). Num vero in cute curanda duodecim menses fuerint consumendi, testimoniis veterum non comprobatum habemus. Nec genuina hujus loci lectio nobis satis certo constat. *Syrus* interpretres non duodecim menses, sed totidem dies refert. *Josephus* præparationem hanc sex mensibus peractam esse ait. Hoc tempus forsân rei magis consentaneum foret, ne scilicet partus alienus regi adscriberetur. Ad hunc locum igitur valere posset regula, quam §. i. notavimus. Verum si vel duodecim menses huic præparationi assignandi forent; facile tamen dilui posset dubium, quod movet *Oederus*: Regi scilicet tales moras nequaquam placere potuisse, per quas jam ipsi per plures menses consuetis voluptatibus fuerit abstinendum. Quamquam sua careret regina: tamen non omni carebat Venere. Plures ipsi erant conjuges, pluresque pellices, saltim totidem ac novis anno dies (c). Per duodecim menses

ses igitur adhuc in gynæceo sua lustra agere, noctiumque vices distribuere poterat.

(a) Vid. *Briffonius* in: L. cit. p. 70.

(b) Vid. *KÄMPFERUS* in *Amœnitatibus exoticis* p. 205.

(c) *Briffonius* p. 77.

§. 10.

Quum sua majestate inter Persas fulgeret *Estbera*: ad proximum a rege dignitatis gradum pervenerat *Hamanus*, qui primus regni minister, qualis tunc temporis *Surena* dicebatur, & jam inter Persas *Athemaad Dauleth* vocatur. In ejus prosapiam jam inquirendum est. Hinc variis actibus lux adfulgebit. Hominem hunc gente sua Amalekitam fuisse, antiqua fert Judæorum sententia. Talem nobis sistit *JOSEPHUS A. J. l. XI. c. VI. §. 5.* & *Paraphrastes Chaldaicus ad c. III: 1.* Talem etiam refert auctor libri *Estberæ c. III: 1. & c. VIII: 3.* ubi eum filium *Hammedatæ, Agagum* nuncupat. Judæi in referenda cujusdam prosapia eam plerumque ad progenitorem aliquem antiquiorem, eumque fama celeberrimum referre solent. Nomine *Agagi* inclutus Amalekitarum rex venit *1 Sam. XV: 18, 32.* quem *Saul* prælio ceperat, *Samuel* vero interimendum curaverat. Hinc etiam Judæi festis *Purim* diebus in Synagogis suis præter librum

brum *Estheræ* historiam belli cum Amalekitis gesti, *Ex.* XVIII: 8–16. relatam, prælegere solent. Amalekitarum gens sæpius quidem victa, at non deleta est; multi semper suis cladibus evaserunt, novasque vires acquisiverunt. Hinc Amalekitarum in Arabia degentium passim in Arabum scriptis mentio occurrit (a). Qui in confiniis Judæorum superstites erant, cum Idumæis, Moabitibus, aliisque gentibus a *Nebucadnezare* devicti, pluresque eorum in captivitatem abducti sunt. Hoc suis cædibus & rapinis, in miseros Judæos peractis, meruerant. Hoc illis fuerat prædictum *Ezech.* XXXV: 14. XXXVI: 5. *Jerem.* XXVII: 6. *Amos.* I: II, 15. Hinc adeo non mirandum est, Amalekitam quemdam ex gente *Agagi* tunc temporis in Persia superstitem fuisse.

(a) De Amalekitis plura dabit Celeberr. MICHAËLIS in *Spicilegio Geographiæ Hebræorum extera* P. I. p. 170.

§. II.

Hinc ratio apparere potest, quare *Mardocheus* illustri profapia oriundus (a) huic homini, sibi quam maxime invito, honorem, jussu regis ei exhibendum, detrectaverit. Inter Persas, quod hic simul notandum, *Bibl. Haganae* Cl. VI. F. I. B dum,

dum, varius pro vario dignitatis gradu salutandi modus erat. Qui pares erant, mutuo ore se deosculabantur. Qui dignitate præcellebat alteri, si paullo inferior erat, genas deosculandas præbebat. Infimæ vero fortis homo alium, maxima dignitate eminentem, in terram procumbens adorare tenebatur (*b*). Tali adoratione *Hamanus* jussu regis, ac rex ipse ab omnibus venerandus erat. Humilem hanc prostrationem sua persona indignam censere poterat *Mardocheus*, æque ac Græci, qui talem honorem regi præstandum sæpius detrectarunt. Publico enim in aula fungebatur munere, custodis scilicet aulæ regię, regięque corporis. Talem nobis indicant verba *c.* II: 20. III: 2, 3, 4., ubi eum ad regię portam, suas excubias agentem, deprehendimus. Quodsi ex officio non ibi adesse debuisset; facile honori, qui *Hamano* præstandus erat, se subducere potuisset. Hocce suo munere ab ipso rege insignitur, *c.* VI: 10. Horum ostiariorum quidem varii erant gradus, omnibus tamen sua dignatio habenda erat (*c*), major adhuc *Mardocheo*, qui ob beneficium regi præstitum, *c.* II: 21. splendido *Orosangæ*, regis *Ευεργετης* nomine superbiebat, tales erant *ἡμιωττοι* (*d*). At & alia subesse poterat causa. Amalekitarum gens quam maxime infensa, atque in-

visa

de Fide Historica Libri Estheræ. 19

vifa erat Judæis. Gentem hanc Deus deleri jufferat *Ex. XVII: 14. Deut. XXV: 19.* In scita divina forsan se peccare sibi videbatur *Mardocheus*, si tali homini tantam, & fere divinam præstaret reverentiam. At demus *Mardocheum* arroganter, & in consulto res suas egisse. Temporibus enim *inserviendum* erat, nec inhonestum ipsi esse debebat, se ei submittere, quem fortuna super omnes extulerat; regis mandato parendum erat, ne se, suamque gentem in summum discrimen perduceret. Nequaquam tamen hinc omnis hujus libri fides everti potest. Quot inconsulta hominum facta referunt omnes hominum annales! An vero propterea hisce annalibus omnis deneganda erit fides?

- (a) Vid. Sectio I. §. XVII.
- (b) Conf. BRISSONIUS l. cit. p. 241. Idem fere salutandi modus, teste SHAWIO in suo Itinerario c. III. sect. X. vers. Germ. p. 207. adhuc inter Arabes valet.
- (c) Vid. *Brissanins* p. 129.
- (d) Vid. Sect. I. §. IV.

§. 12.

Quæ de *Hamani* gente notavimus, simul causam pandunt, quare homo iste, injuria a *Mardocheo* accepta, mox de omni Judæorum

gente delenda consilia ceperit. Orientis gentes vindictæ favent, hæc a subole ad subolem transit, hinc inter illas sunt continua familiarum bella (a) Eundem in modum *Hamanus* ob avitum odium infenso erat in Judæos animo; cædem progenitoris sui *Agagi*, clades a Judæis genti suæ illatas alta mente repostas tenebat. Nova jam injuria exacerbatus pro sua, qua pollebat potentia, non solum de vindicta de homine isto sumenda, sed & de omni Judæorum gente delenda consilia sua volvebat. Eandem causam refert JOSEPHUS A. J. L. XI. c. 6. § 5. *Volens pœnas de Mardochoo sumere, parum putavit, ipsum ad supplicium deposcere, nisi gentem ejus universam perderet, quod esset natura Judæis infestus, quia Amalekitarum gens, ex qua ipse erat, a Judæis extincta fuerat, scilicet magnis cladibus imminuta.* Non enim plane extinctam esse § X. indicavimus. Hebræorum loquendi more, quod jam monuit Doctiss: *Michaëlis* (b) & exemplo Amalekitarum commonstravit, gens quædam, magna clade subacta, excisa dicitur.

(a) Testis præter plures alios esse potest NIEBUHR in *Descriptione Arabiæ* p. 32.

(b) In *Commentatione de Troglodytis* in *Syntagmate Commentat.* p. 204.

§ 13.

Hinc simul rationem adferre possumus, quare non solum de *Hamano*, sed & de filiis ejus supplicium fuerit sumtum c. IX. 7. Hoc ab institutis Persarum non abhorrebat. Ob unius noxam sæpe propinqui omnes plectebantur (a) Dura hæc lex adhuc valet inter Persas (b) Inprimis vero potentissimi hujus *Surenæ* filii capitis supplicio addicendi erant. Ab illorum vindicta, quam ob cædem parentis anhelassent, non solum Judæorum genti, sed & ipsi regi mala quævis pertimescenda fuissent. Talis vindictæ recens exemplum dederant filii *Artabani*, qui ob capitis pœnam, de parente sumtam, huic regi magnum moverant bellum, vastamque Persiæ intulerant stragem. (c) *Esthêra* igitur, dum filios *Hamani* simul interimendos curabat, non solum suæ gentis, sed & ipsius regis saluti consulebat.

(a) Vid. *Briffonius* p. 268.

(b) Vid. *OLEARIUS* in *Itinerario* p. 298.

(c) Vid. *CTESIÆ* fragmenta in *Wesselingiana Herodoti* editione p. 818. *JUSTINUS* L. III. c. I.

§ 14.

Hinc simul ostendere possumus, qui factum fuerit, ut Judæi inter suos hostes impune

tantam ediderint stragem. Sufis, regia sede, octingenti homines, in regni provinciis septuaginta quinque millia cæsa dicuntur c. IX. 6. 15. 16. *Versio græca* tantum quindécim millia refert. Conferenda igitur huc forent, quæ § I. monuimus. At demus tantam stragem editam esse. Quodsi Judæis res cum Persis fuisset: omnino, quæ hic moventur, dubia valerent. At non erant Persæ, cum quibus Judæi armis suis decertabant, sed alii, qui a partibus *Hamani* steterant, Amalekitæ, Idumæi, aliique Judæorum hostes, per imperium Persarum dispersi. Erant gentes, quæ antea suis rapinis, atque cædibus maximas clades intulerant Judæis, *Exech. XXXV. 5. 11. XXXVI. 5. Amos. I: 11. Obad. 11.* & quæ, quum omnia in interitum Judæorum vergere viderent, procul dubio mox omnia suis cædibus, atque rapinis miscuerunt, de quibus igitur iusta vindicta sumenda erat. Erant gentes ab ipso Deo internecioni devotæ, & ejus jussu a Judæis delendæ, *Levit. XVII: 14. Deut. XXV: 14. 1 Sam. XV: 3. Mal. I: 4.* Duæ igitur hic erant factiones, armis suis decertantes, quales sæpius in aliis regnis fuerunt. Hic ab una parte Judæi, late dispersi, ab altera Amalekitæ, aliique Judæorum hostes. Persæ erant spectatores, ad illam partem inclinantes, ad quam regis gratiam inclinare videbant. Contra Judæos
ste-

de Fide Historica Libri Estheræ. 23

fetissent, si prius edictum valuisset, at, quum regem illis favere cernerent, iisdem favabant. Judæos a Persis adiutos esse videre licet ex c. IX: 3. Hisce viribus adiuti facile suis hostibus superiores erant. Multi Judæorum procul dubio jam antea, & simul his præliis interemti sunt, at multo plures hostium, hostium cæsorum numerus, quod sæpius fieri solet, tantummodo litteris consignatus est. Quæ hic referuntur simul oraculis divinis suum complementum reddunt: Amalekitarum gentem esse delendam: Ex. XVII: 14. Deut. XXV: 19.

§. 15.

Non ex rapinarum spe, sed ex vindicta a Judæis stragem hanc editam esse, innuunt, quæ leguntur c. IX: 10. 15, 16. Quamquam illis edicto regis simul diripiendorum hostium copia fuerit data c. VIII: 11. semper tamen ab illorum bonis manus suas abstinuisse dicuntur. Ita adhuc inter Persas occisi cujusdam propinquo, sanguinis vindici, qui occisorem a iudicibus postulare potest, maximæ cedit ignominie, si pecunia vindictam redimi, aut averruncari patitur. Vindicta ex sanguine sumenda, at simul ab omnibus occisi bonis abstinendum est. Hæc plures, quibus Persiam invisere licuit, suorum itinera

24 Ern. Aug. Schulze, Dissert.

rum descriptionibus referunt TAVERNIER p. 108. 128 201. OLEARIUS p. 489. NIEBUHR p. 32. alii- que.

§. 16.

Pergamus ad alia. Obscura, immo nul-
 lius sensus esse videntur verba c. III: 7. *Men-
 se primo, is est mensis Nisan, anno duodecimo
 regis Abasueri iussit Haman conici pur i. e.
 sortem coram se a die in diem, & a mense ad
 mensem duodecimum, is est mensis Adar.* Per-
 sæ, uti aliæ Orientis gentes, semper obser-
 varunt (a), & adhuc quam maxime obser-
 vant astrorum positus, sortes & omina (b)
 Non commercia cum aliis agunt, non me-
 dicinam sumunt (c), non rem aliquam majo-
 ris momenti aggrediuntur, nec quempiam
 de tali re adeunt, nisi prius de sausto fidere,
 aut de hora, uti loqui solent, suos consu-
 luerint astrologos, suos sortilegos. Tales
 sunt non tantum plebi, sed & principibus
 & ipsi regi. Cum sortilegio *Hamani* conve-
 niret illud, quod *Ramle* vocant, ubi cubos
Kiabetain dictos, certisque punctis insignitos
 jactant, & eorum jactu per par & impar re-
 rum eventus experiri conantur. (d) Et si
 vero sortilegium, quo usus est *Hamanus*, non
 certo definiri queat: verba tamen auctoris su-
 um habent sensum. Sortes prius de mense
 consulendæ erant. In hunc censum non iste
 mensis,

mensis, quo sortes jactabantur, sed ille, quo omnia in vasto hoc imperio ad eandem hanc, uno die peragendam, præparata essent, & quidam subsequentes menses venire poterant. De tali mense ad alterum sortes ducebantur, eademque annuebant mensi *Adar*. Jam dies definiendus erat. Pro singulo igitur die hujus mensis, secundum ordinem dierum, sortes ducebantur eademque huic cædi assignabant diem decimum tertium.

(a) Vid. VAN DALE in *Dissertatione de ethnicorum oraculorum origine* c. XIII.

(b) Plura de hac Persarum superstitione dabunt auctores, jam sæpius citati, OLEARIUS p. 308. TAVERNIER p. 226. 271. CHARDIN T. II. p. 264. T. IV. p. 307. NIEBUHR p. 121. Hac superstitione etiam tenebatur *Schab Nadir*, uti ex ejus historia videre licet, quam ex manuscripto Persico edidit Jones.

(c) Sæpius hinc contentiones inter medicos, atque astrologos oriuntur. Quodsi enim medicus se arte sua falli cernit, culpam adscribit astrologo, quod scilicet medicinæ capiendæ non rectam assignaverit horam. Hinc astrologi, quod refert *Chardinus* T. III. p. 273., sæpius desorte sua conqueruntur, illam scilicet duriorum esse, ac medicorum: suos enim errores in ponendis calculis cælum revelare, medicorum vero errores terram obtegere. Lepida est astutia medici cujusdam, quam ex recentiore Persarum historia dabunt CHARDIN T. IV. p.

306. & HANWEY P. II. Sect. I. c. 2. **Quum** scilicet Rex *Sesi*, vino & venere debilitatus, ab imperii sui primordio infirma valetudine confisteretur, & regis medicus frustra laboraret: omnem culpam in astrologos coniiciebat, quod scilicet regi coronando non rectam assignaverint horam. Erant qui adfentarentur. Rex igitur iterum coronatur, novoque insignitur nomine, nempe *Solymani*, & jam sibi, nescio an cæsus aut medicina levarit, prospere valetudine uti videbatur. Sic medicum servavit *Apollo*.

(d) Sortilegium hoc pluribus descripsit *Tavernier* p. 271.

§. 17.

Quum infestissimus iste Judaici nominis hostis diem perpetrandæ huic cædi auspiciatum suis sortilegiis compertum haberet: de opportuno tempore, quo hæc regi indicanda forent, jam sollicitus esse debebat. Hac de re nobis simul fortes suas consuluisse videtur. Hoc enim adhuc *Persæ* in tali casu facere solent § XVI. Cognito igitur hoc die, ceu acerri- mus propositorum exsequutor, regem adit, suam mentem de tollenda hac gente indicaturus, c. III: 8. *Est populus quidam dispersus ac dissipatus inter populos, in omnibus provinciis regni tui, quorum leges diversæ sunt a jure omnium populorum, jura autem regis non exsequuntur, ideoque regi non est utile illos pati.*
Hæc

Hæc commemorabat, non, quod *Oedero* visum est, ut regi indicaret, Judæos passim in regno ipsius reperiundos esse, hoc regem non latebat; sed ut illi in Judæis gentem ob sua sacra, & jura regno perniciosam demonstraret; hoc nondum compertum habebat. Talia igitur homo iste sanguinolentis suis consiliis prætexebat, quibus plures alii terrarum dominos ad illos, qui aliis sacris utuntur, persequendos impulerunt. Exempla ut afferamus, non opus est. Hominum monumenta, & nostra tempora loquuntur.

§. 18.

At ne quid detrimenti fiscus regius hac cæde pati videretur; fraudulentus iste homo se ex direptis Judæorum bonis ingentem pecuniæ summam, scilicet decies mille talenta argenti, thesauris regiis illaturum spondebat. Talentum Babylonicum secundum *Herodotum* l. III. p. m. 233. valebat 70 minis Euboicis, secundum *ÆLIANUM Var. Hist.* l. 22. minis Atticis 72. quæ ex computatione *EISENSCHMIDII* faciunt 1080. thaleros. Hinc pecuniæ hujus summam computare licebit. Multo majorem summam dabit *CLERICUS*, at quibus calculis usus sit, ignoramus.

§. 19.

§. 19.

Annuit rex, uti plures alii reges hujus carminis consiliis annuerunt. c. III. 10. *Tulit annulum e manu sua & tradidit Hamano* — — *& dixit rex Hamano: Istud argentum tibi datum, & populus, ut facias in eo, sicut bonum videtur in oculis tuis.* Stupet, ridetque Oederus tantum argenti pondus, cuius summam ex Clerici calculis adfert, ministro huic fuisse donatum. At verba ista hunc etiam sensum habere possunt; Argentum, uti populus, tibi datum est, ut facias in eo in populo, & in argento, sicut bonum videtur, nempe in commoda regni. Varii erant regibus Persarum thesauri, quidam non tangendi nisi in summa necessitate, alii, qui ad annuas regni expensas *Surenæ* patebant. Ita adhuc inter Persas & Turcas talium expensarum administratio est penes summum imperii ministrum. Pecuniam hanc non Hamano donatam esse, clare demonstrant, quæ *Mardocheus* reginæ indicabat c. IV: 7. *Indicavit ei, quicquid obtigerit sibi, & præstitutam pecuniæ summam, quam dixerat Hamanus se pensurum in thesauros regis contra Judæos ad perdendum eos.* Quodsi tantum argenti pondus *Hamano* donatum fuisset; omnino *Mardocheus* simul id reginæ indicasset,
tanto

de Fide Historica Libri Estheræ. 29

tanto magis enim periculum, quod imminabat Judæis, pertimescendum erat.

§. 20.

Quum ille Judæorum infensissimus hostis voti sui compos esset: mox regis decretum, a scribis consignandum, & per cursores publicos ad præfectos curabat. Amalekitam hunc procul dubio non latebant Judæi, qui tunc temporis Palæstinam tenebant. Verum hæc provincia, quod jam monuit MICHAËLIS, etiam pertinebat ad imperium Persarum. Nec, uti *Oedero* visum est, tunc temporis a solis Judæis, sed & ab aliis gentibus incolebatur. Judæi ibi erant numero pauci, plures eorum hostes, non solum ex plebe, sed & inter proceres, qui cum *Hamano* eadem contra Judæos sentiebant, eademque jam regi indicaverant *Esr.* III: *Nehem.* IV. Isti procul dubio omnibus lætitiis læti, quod jam sæpius tentaverant, ad delendam hanc gentem sua arma vibrassent.

§. 21.

Simul igitur ac regia hæc edicta innotuerant; Judæi, quibus hæc sententia capitis scripta erat, in mœrorem planctusque ruebant.

lerent. At implorandum, expectandumque prius erat divinum auxilium. Hoc enim Judæi jejunio indicto implorasse censendi sunt, licet Dei nomen fileatur. Spes quædam simul illis erat in *Mardocheo*, & huic in regina. Omnia prius tentanda erant, num adsignata pernicies averruncari poterat?

(*) Vid. THEVENOT in *Itinerario* l. II. vers. Germ. p. 151.

§. 23.

Quod *Mardocheus* sperabat, evenit. Clamores, quos tollebat, licet non regem moverent, hujus enim latera obsessa tenebat *Hamanus*, tamen ad aures reginæ perveniebant. Illa jam perniciem genti suæ destinatam, & quid sibi sit agendum, per internuntios sibi fidissimos cognoverat. Metus quidem illam angebat, ne, gente ipsius detecta, *Hamanus* simul regis animum ab ipsa alienaverit. Tricesimus enim agebatur dies, a quo rex illam non arcessiverat.

Periculum erat in mora, nec rem per internuntios tuto agere licebat. Facile enim *Hamanus* per homines sibi fidelissimos de his omnibus certior fieri poterat. Metuendum simul erat, ne, si regem in loco consilii publici sedentem haut vocata adiret, ipsam simul

simul dura lex de rege non adeundo tangeret. Lex hæc, teste HERODOTO l. I. p. 51, a *Deiœce* Medorum rege lata ad Persas transferat, scilicet: non licere cuiquam aggredi regem, sed omnia per internuntios transigenda esse. Lex ista adhuc inter Persas valet (a); JOSEPHUS A. J. l. XI. c. 6. §. 3. eam ab *Artaxerxe Longimano* latam esse tradit. Forfan *Hamanus* hanc legem, quum in desuetudinem abire inciperet, novo regis edicto fanciendam curavit. Hoc enim quam maxime ex re ipsius erat, ut omnia per ipsius ministros agerentur, nec ullus pro Judæis deprecandi locus daretur. Non contrariantur his verba textus Hebraici, sed potius eadem innuere videntur. Lex enim, omni populo cognita dicitur c. IV. 10. Hinc adeo major terror invadere poterat reginam. Si enim prima novum hoc regis edictum violaret: idem fatum, quod regina *Vasti*, regis mandata spernens, experta fuerat, ipsi pertimescendum erat.

(a) Vid. CHARDIN T. IV. p. 312.

§. 24.

His angoribus acta regem adibat, at angores isti mox in gaudia solvebantur, quum tremendum regis sceptrum sibi propitium.

Bibl. Hagana Cl. VI. F. I. C cer-

cerneret. Reges Persarum aureum sceptrum gestare solebant: hoc veterum testimoniis comprobatum dedit *Briffonius* l. cit. p. 73. Quamvis vero illius ritus, qui c. IV: II. memoratur, *Abasuerum* nimirum suum sceptrum illi, quem salvum volebat, porrexisset, apud alium auctorem non mentio occurrat: nequaquam tamen inde hujus libri fides dubia reddi potest. Dubia fieret hac ratione cujuslibet auctoris fides, ubi, in exponenda cujusdam gentis historia, ritum aliquem, ab aliis auctoribus non memoratum, refert. Nihil hic a majestate regia alienum apprehenditur. Sceptrum porrigere idem est ac signum gratiæ dare, idem ac si rex dixisset, quod ab *Ammiano Marcellino* l. XX. Imperator *Julianus* cuidam, cui in signum gratiæ purpuram suam deosculandam dederat, dixisse fertur: *Majestatis insigne, ut desinas pavere, porrexi.*

§. 25.

Nec ridicula videri potest dicendi formula c. I. 2. c. V. I. regem scilicet regio suo solio insedissee, ac si semper, idoli instar, sellæ suæ affixus fuerit. Reges Persarum procul dubio, ubi conventum procerum, aut judicium agebant ad majestatem suam ostentandam regio suo solio insedissee censendi

de Fide Historica Libri *Estheræ*. 35

di sunt. Hoc enim terrarum domini, & inprimis Orientis régés facere solent. In folio sedere idem est ac iudicium, aut conventum agere.

§. 26.

Esthera gentem suam, suafore *Mardocheo*, hucusque celaverat. Celanda forsan erat, ne ceu Judæa in aula regis aliis despectui esset. Celanda erat præsertim tunc temporis, quum *Hamanus*, infensissimus Judæorum hostis, ad tantum dignitatis fastigium evehctus esset, ne scilicet, gente ejus cognita, illi insidias strueret, animumque regis ab illa revocaret.

At qui factum, ut hoc tam diu celari poterit? An cognatio reginæ latere potest? Non quidem in nostris terris, at in illis regum gynæceis. Non ibi de puellarum genere, sed de forma agitur. Obscuriori loco natæ acceptissimæ esse solent. (a) Quæ ibi aguntur sunt secreta domus, arcana regum. Inprimis regis Persarum ministri, ut verbis *Curtii* l. IV. c. 6. utamur, arcana regis mira celabant fide, non metus, non spes eliciebat vocem, qua prodantur occulta, vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat, lingua gravius castigabatur, quam ullum probrum. Tale silentium adhuc regnat in regiis Persarum, atque Turcarum

gynæceis. (b) Quum *Esthera* Susis reperta esset: ceu Susana puella in gynæceum recepta erat. Quum non aliam indicaret gentem: pro eadem habebatur. Judæis quibusdam constare poterat, Judæam puellam in gynæceum regium abductam esse, at num sit illa, quæ jam *Esthera* nomine regnabat, non ita constabat, aliud enim erat nomen. Certiores quidem fieri poterant per *Mardocheum*; at ille vel negabat, vel dissimulabat; dissimulatio enim ingeniis humanis parata est. Sæpius quidem iste in aula regis versabatur, at hoc ejus officium postulabat § XI. Aliquando etiam per fidos internuntios cum regina agebat, at hoc clanculum fieri poterat. Et si vel *Esthera* a rege, aut ab alio quodam de gente sua interrogata esset: eam tamen silere, silentioque suo causam, omnibus gratissimam, præfari poterat; se scilicet jam non suæ cognationi, sed regi vivere, non in id se allaboraturam, ut suos cognatos divitiis cumulet, aut ad summos imperii gradus evehat; se sibi propterea hanc fixisse legem, ne cui suam cognationem indicet, facile enim hinc fieri posse, ut rex suam gratiam simul in eandem convertat, aliisque præferat, quod aliis non nisi acerbum esse queat. Talis regina & regi, & *Hamano*, aliisque, sua dignitate in aula conspicuis acceptissima esse poterat
Tali

de Fide Historica Libri Estheræ. 37

Talis tunc temporis erat *Esthera*, non quidpiam sibi arrogantius arrogabat c. II. 15., non in extollendis suis cognatis laborabat, sed suam cognationem quovis modo occultare conabatur. Tali reginæ a rege quidlibet petendi dari poterat copia.

(a) Vid. *Ludecke Relationes de Turcarum regno.* p. 221.

(b) Vid. inter alios *Chardin* T. III. p. 385. *Ludecke* p. 225. Tale silentium etiam alii de suo gynæceo observare solent. Offensas igitur ibi subires, si quem nostro more de valetudine conjugis interrogare, eidemque tuo nomine salutem plurimam dici velis.

§. 27.

At quare, quum quidlibet petendi copiam sibi datam cerneret, non statim preces suas exponebat? Quare regem ad se vocatum ab uno convivio ad alterum trahebat? Omnino illa ceu femina prudens, aut si major astuta, suas rationes habuisse censenda est. Regis solium non erat locus, ubi suas preces, suasque lacrimas effunderet. *Circumfusa* ibi erat satellitum turba: in illa plures, quos fidelissimos partium suarum habebat *Hamanus*. In id jam suas cogitationes convertere debebat, ut regem ad se alliciat. Invitat igitur ad convivium mox

parandum, at invitandus simul erat *Hamanus*, ut scilicet in eam sententiam adducatur, talia proponenda esse, in quibus ejus consiliis quam maxime opus sit, ut securus reddatur; nemo enim celerius opprimitur quam qui nihil timet.

Iste igitur securus, tantoque, quo regina eum dignabatur, honore exultans ad hocce convivium præcipitato gradu properat. Illa vero, quæ in votis habebat non prius regi indicare poterat, quam illum ad hæc præparatum, & ab *Hamano* aversum haberet. Quum igitur rex ista, præsentem *Hamano*, sciscitaretur: nihil illi reliquum erat, quam ut procrastinaret. At facile oculorum gestu, aut verbis quibusdam, regi in aurem dictis, significare poterat, hæc sese finito convivio, remotisque arbitris indicaturam esse. Ita facile, præsentem licet *Hamano*, cum rege clanculum loqui poterat. Qui enim regiis conviviis excipiebantur non semper cum rege eidem mensæ accumbebant. Et si vel eidem mensæ adhiberentur: remotiorem tamen locum occupare tenebantur. Immo sæpius velum interjectum erat, ut regem intueri non possent, licet ab ipso conspicerentur (a) Tali velo inprimis oculi a liberiore reginæ adspectu arcendi erant. Finito igitur convivio, omnibusque remotis, rex procul dubio, quæscireavebat, ex regi-

na

na sciscitatus est. Hæc jam voti sui compos facta omnis in eo erat, ut *Hamani* perfida, & plena subdoli animi consilia, perniciem suæ genti, regi fidissimæ, & *Mardocheo*, cui rex suam vitam debebat, & sibi ipsi paratam, & plura alia hujus veteratoris ambitiosa, & regi perniciofa molimina, sibi cognita, detegeret, talemque in eo demonstraret, qualis fuerat *Artabanus*. Jam omnia ad interitum *Hamani*, proximo convivio ipsi parandum, vergebant. Quæ jam notavimus nequaquam a probabili ratione aliena sunt. Hæc variæ hujus scenæ actus, aperto quasi theatro, demonstrare possunt. Hinc videre licet, quare rex, ubi sese in suum cubiculum receperat, plurimam noctem insomnis peregerit; quæ ex regina perceperat, & quæ jam sibi agenda erant suis cogitationibusolvebat, hæc somnum capere non sinebant. Hinc ratio apparet, quare annales, non antiquioris cujusdam ævi, sed sui imperii adferri, allatosque prælegijusserit; isti commentarii eum de actis *Hamani*, & *Mardochei* certiozem reddere poterant. Hinc simul apparet, quare rex, licet antea tam severum contra Judæos tulerit edictum, jam *Mardocheum*, ceu Judæum maximo honore dignum censuerit, & *Hamano*, quem præsto esse cognoverat, simul tam triste, & acerbum injunxerit officium, ut huncce, regio

splendore ornatum, in pompa per plateas deducendum curaret. Hinc ratio constat, quare rex proximo die, simul ac regina litem contra *Hamanum* moverat, mox eum sine ulteriore disquisitione ad supplicium rapiendum jufferit. Omnia hæc id, quod jam innuimus, demonstrant, scilicet: de his omnibus antea inter regem, atque reginam clandestinis consiliis actum esse. Non his obstat, quod hæc non expressis verbis memorantur. Quæ clandestinis consiliis acta sunt sæpius in historiis omittuntur, rerum eventus tantummodo exponuntur, plures eorum causæ sæpius latent. Nec his obstat, quod regina demum in altero convivio sua vota exposuisse dicatur, & quod rex, ceu omnium rerum ignarus, in auctorem hujus facinoris inquisiverit; ita res suas ex ante acta consultatione agere poterant, hæc tamen dissimulanda erant. In hac arte non plane rudis fuisse fertur *Artaxerxes Longimanus*, (b) qui nobis *Abasuerus* esse videtur.

(a) Plura de his veterum testimonia dabit *Briffonius* l. cit. p. 72.

(b) Exemplo esse possunt, quæ refert *Justinus* l. III. c. I.

§ 28.

Hamanus, novo, quo a regina maectatus fuerat, honore turgidus, nihilque metuens, exacerbatus tamen, dignitate sua iterum a *Mardocheo* spreto, domum reversus mox uxorem, & quos sibi fidissimos habebat accessi curat, ut, quid de *Mardocheo* statuendum sit, cum illis deliberet. Summum igitur suæ felicitatis fastigium, & quod ad hoc culmen deesse videbatur, exponit. c. V. 10. Quæ inter alia de liberis suis memorat non ita accipienda sunt, ac si eos suo ordine, singulos suis nominibus recensuerit. Numerosam suam prolem tantummodo inter fortunæ suæ munera referebat, & omnino referre poterat. Inter Persas enim numerosa proles maximo cedebat honori, pretia nascendi, regia munera adferebat parentibus. Hinc generandi amor, multæque Veneris cupido, (a). Inprimis summus iste regni administer sua subole gloriari poterat. Quo plures enim ex se natos jam imperii officii admoverat, & adhuc admovere poterat: eo plures habebat suæ dignitatis tibicines, eo firmitus erat suæ felicitatis fastigium.

(a) Plura de his dabit *Briffonius* p. 229. 230.

§ 29.

In hocce conventiculo *Mardocheus* suo supplicio, mox de ipso fumendo, addicitur, infelici arbori, quinquaginta cubitos altæ, suspendendus c. V: 14. Altitudo hæc fidem excedere videtur. Verum & in hoc numero valere potest, quod jam §. 1. notavimus. At demus, numerum ab auctore relatum, & textum hebraicum, & versiones referre. Quidni vero & hic loci numerus certus pro incerto esse potest, ita ut arbor, quinquaginta cubitos alta, idem sit, ac arbor alta, aut altissima? Talis dicendi forma cum genio linguarum orientalium conspirat, & adhuc inter Persas est usitatissima (a). Si quis vero huic arbori quinquaginta cubitos adsignare velit: hæc tamen altitudo non nostris, sed Babylonicis cubitis mensuranda foret, Babylonicus vero cubitus minor est Hebraico, multoque minor nostro. (b) Præalta foret arbor; at quo altior, eo infamior, eoque magis in exemplum spretæ dignitatis conspicua erat. Facile talis arbor ad latus ædificii cujusdam erigi poterat, facilisque ex plano ædificii tecto ad eam dabatur ascensus.

(a) Inter Persas hoc observavit *Cbardin* l. cit. T. II. p. 194.

(b) Vid. *Eisen Schmidius de ponderibus & mensuris veterum* p. 116.

§ 30.

At non, ut libitum erat, in *Mardocheum* sævire licebat. Publico enim munere in regis aula fungebatur, splendido simul *Orosanga* titulo eminebat. §. 11. Summo mane igitur *Hamanus* ad regem tendebat, ut Judæum hunc læsæ majestatis reum ageret, &, copia sibi data, ad supplicium raperet. At quantum jam rex averfus erat ab isto *Surena*!

§. 26. Quem se ad suum supplicium rapturum esse sperabat, ceu regis amicum, regiis muneribus exornatum, maximis honoribus prosequi cogitur. Regia vestis, qua jam indutus incedebat *Mardocheus*, stulte a rege data, stultiusque a *Mardocheo* accepta esse videtur *Oedero*. Non enim, quod exemplum a *Plutarcho* memoratum (a) monstrare potest, regis veste uti licebat. Locum hunc forsan ob oculos habuit *Oederus*. At vestis ista, qua *Mardocheus* exornabatur, non erat vestis quædam, qua jam rex usus fuerat, sed regia vestis, quarum in regiis vestiariis ingens aderat copia, & quæ regia vestimenta vocabantur. (b) Reges scilicet Persarum illis, quos quanto maximo honore exornare volebant, stolam regii cultus, equum frenis aureis instructum, aureumque torquem donare solebant. (c)

Hisce

Hiscē muneribus mactabatur *Mardocheus*. Vox enim כתר, quod jam observavit *Grotius* (d) usu suo late patet, & quaecumque honoris insigne significare potest, adeoque torquem. Ita etiam *Josephus* (e) *Mardocheum* non regio diademate, sed aureo torque exornatum esse refert. Inter Persas adhuc vestimentum a rege donatum, *Calata* dictum, maximo cedit honori. Tale donum imperii proceres ambitiosis votis anhelant, ambitiosiusque accipiunt. At sapius simul valet illud:

Timeo Danaos sua dona ferentes:

sapius enim pro his muneribus aut gladius, aut laqueus adfertur. Qui vero sine capitis iactura talem ornatum accepit, eodem indutus maxima pompa deducitur. (f) Tale vestimentum adhuc inter Persas regia vestis vocatur. (g) Honores igitur *Mardocheo* tributi nequaquam ab institutis Persarum abhorrent, sed iidem sunt, qui quondam inter Persas valuerunt, & adhuc inter eos valent.

(a) In *Artaxerxe*, Operum T. I. p. 1013.

(b) *Curtius* l. V. c. 1. & c. 6.

(c) Vid. *Brissonius* in l. cit. p. 96. & *Spanhemius* in *Dissert. de præstantia & usu numismatum* T. I. p. 454.

(d) In *Annotat.* ad *Esth.* VI. 6. 8.

(e)

de Fide Historica Libri Estheræ. 45

- (e) *Antiquit. Jud.* l. XI. c. 6. §. 10.
(f) Pluribus hæc referent, quibus Persiam invadere licuit *Thevenot* l. II. p. m. 147. *Cardin.* T. I. p. 307. T. III. p. 304. T. IV. p. 263. *Kampferus* p. 65. aliique.
(g) *Le Bruyn* T. III. p. 485.

§. 31.

Triste erat officium, quod subierat *Hamanus*, at tristius fatum, quod ipsum manebat. Simul enim ac ad regium convivium compulsus fuerat; & regina a rege interrogata (ita scilicet inter se convenerant §. 27.) sua desideria exposuerat: rex, vino iraque accensus, omni animi impetu in *Hamanum* ferebatur, irarumque plenus mox sese ab illo recipiebat. Hoc illi funestum esse poterat omen, uti adhuc est inter Persas (a), scilicet: pro illo, qui gratia regis excidit, mortique destinatus est, nullum deprecandi locum concedi. Homo iste, suam perniciem sentiens, sese, quod reliquum sibi videbatur, ad genua reginæ provolvit, genibusque volutans suam vitam deprecatur. At eo progrediebatur, quo non progredi licebat. Quamquam enim regina illum sui convivii honore dignata fuerat: nequaquam tamen illi ad lectum reginæ proruere licebat. Hoc, si formula quadam jam inter Persas usitata uti velimus, erat *Coruuch*, *vetitam*.
Pro-

46 Ern. Aug. Schulze, Dissert.

Procul hinc, procul este profani. (b) Rex igitur rediens, eumque ad lectum reginæ reperiens, nova ira in ipsum exacerbatur, eumque arbori addicit, quam in perniciem *Mardochei*, aut potius in suum supplicium erigendam curaverat.

(a) Vid. *Tavernier* l. cit. p. 241.

(b) Hac formula, ubi rex cum suis uxoribus & concubinis processurus est, a præconibus publicis omnibus masculi sexus, qui annum septimum excefferunt, recessus indicitur. Vid. *Thevenot* l. II. p. 140. & *Kæmpferus* p. 47. *Chardin* T. III. p. 392.

§. 32.

In id jam *Mardocheo*, & *Estheræ* allabourandum erat, ut Judæorum saluti consulere-tur. Funestissima lex contra illos lata non revocari poterat. Nihil igitur illis reliquum erat, quam ut alio edicto Judæis se contra hostes suos defendendi, vindictamque de illis sumendi daretur licentia. Ad hæc conferenda sunt, quæ §. 6. 14. 15. observavimus.

§. 33.

Quæ passim ex hoc libro de *Abasvero* notavimus, nobis jam ejus indolem nativis suis

fuis coloribus sistere possunt. Omnino quidem suis, & non minimis, urgebatur vitiis. Vitio verti potest, quod in vinum, & quæ ebrietatem sequuntur, fuerit effusus, & hinc sæpius res suas magis ex impetu, quam ex ratione egerit. Vitio verti potest, quod mox a primo regni sui ministro, mox a conjugæ sua pependerit. Nequaquam tamen omnium imprudentissimus, atque crudelissimus dicendus foret. Imprudens erat, at non imprudentior *Xerxe*, aut *Dario Codomanno*, non imprudentior, ac plures alii, quibus tantummodo regis nomen, & ministri, aut feminæ voluntas pro ratione fuit. Crudelis erat, at non crudelior *Mitbridate*, qui in regno suo octogies mille Romanos uno die interimendos curavit, non crudelior *Schab Nadir*, multisque aliis Persarum regibus, non crudelior ac illi, qui inter Christianos id religioni dandum esse putarunt, ut in alios non eidem cœtui addictos flamma ferroque sævirent — —

In illis, quæ rex iste perpetravit, simul tamen lene ingenium elucet c. IX: 12. quale *Artaxerxi Longimano* fuisse fertur. Regem hunc igitur dicamus imprudentem, at non imprudentissimum, imprudentiores enim reperire licet.

§. 34.

Addere possemus dubia quædam, quæ etiam nobis contra hunc librum subnata sunt. At quum dilui possunt ex iis, quæ ab aliis prolata sunt, laborasse sufficiat. Forsan *Esthera*, quam hic sistimus, in spongiam, uti ille *Augusti Ajax*, incumbere debuisset. Forsan tamen non in omnibus operam, oleumque perdidimus. Quamquam enim liber iste non suis difficultatibus caret: nequaquam tamen in illo jam tot inconvenientia, & absorta deprehendere licebit, ut omnis illi deneganda sit fides. Inquirant simul in hanc materiam alii. Quæ nos differuimus, placidæ eruditorum disquisitioni submittimus.





I I.

JOANNIS CHRISTOPHORI
H A R E N B E R G I I
COMMENTATIUNCULA
A D
ILLUSTRANDUM
JESAIÆ CAPUT XXIX.

SYNOPSIS TRACTATIONIS.

- §. 1. Exponitur ratio instituti. §. 2. Exhibetur interpretatio verborum hebræorum latina.
 §. 3. Ad incisum primum differitur de Aiele.
 §. 4. Incisi secundi interpretatio luce perfunditur. §. 5. Obsidio ipsa, Pekæ & Rezini fabrica, Hierosolymam cingens, ad incisum tertium edifferitur. §. 6. Inciso quarto exponitur anxietas obsessorum. §. 7. Obsidionis terminus & liberatio ab ea v. V. indicatur subitanea. §. 8. 9. Incisa, sextum & septimum, illustrantur. §. 10. Excitantur hostes ad admirationem & ebrietas eorum explicatur v. 8.
 §. 11. Exhibetur sententia incisi noni. §. 12.
 Bibl. Haganaë Cl. VI. F. I. D Ex-

50 J. C. Harenbergii Commentatio

Explicatur incisum decimum. §. 13. Succedit expositio incisorum XI, XII, XIII. §. 14. Disseritur de argumento incisi XIV. §. 15. Firmatur interpretatio incisi XV. §. 16. Incisum XVI. luce perfunditur, nec non XVII. §. 17. 18. Explicatur sensus incisi XVIII. §. 19. 20. Exponuntur potiora incisorum XIX & XX ac XXI. §. 21. Explicatur incisum XXII. §. 22. Subjungitur expositio incisorum XXIII & XXIV.

§. I.



Continuationem vaticinii prioris, quod jam illustravimus, in Capite XXIIIX. (*) deprehendimus. Hoc enim evolvitur similitudo, ab aratore, messore & ab ipso triturationis negotio desumpta. Evolvitur & declaratur promissum illud, quo Deus, trituratione peracta, admirabile decretum suum eventu mirifico effectui dare constituerat. Plenius prænuntiatur castigatio ejusque modus. Castigatum iri cives regni Judæ, & Hierosolymam obsidione circumdatum iri propediem, Jesaias prædicit. Ut pravitates suas idololatricas serio agnoscant obsessi, ponderosis argumentis docet. Increpat falsorum prophetarum somnia & eos graviter
no-

(*) Commentatio cel. HARENBERGII in Jes. XXVII: legitur in *Bibl. Hagane* Cl. I. F. II. d. 2. p. 205. f.

notat, qui per ea in temulentiam mentis fuerant abrepti. Elationem animi Hierosolymitanorum reprehendit, &, eam in abjectissimam humilitatem conversum iri, prænuntiat. Prædicit, fore, ut quam plurimi resipiscant & animum induant Deo probatum. Subdit tandem gravioribus animadversionibus promissionem summopere gratam, docens, obsidionem subito sublatam iri, eosque, qui, Deo confisi, antea a sannionibus pro cæcis ac mutis fuerant habiti, spectaturos & prædicaturos præpotentem Dei dextram & opem, pia mente venerandam. Addit admonitionem, jubens, ut liberati convertant se ad officia divina peragenda.

Univerſum vaticinium in tempus messis peractæ post pentecosten ante festum tabernaculorum fuit publicatum, & obsidio Hierosolymorum in tempus hujus festi vel paulo ante incidit ac festi turbationem traxit. Similitudines non unæ a messe & trituratione sunt desumptæ. Venti Sammiel radentis ac urentis, & trituratione frugum grana (a) purgantis, memoria non semel injecta. Obsidionem Hierosolymitanorum per luem ejus venti ejusque furores tandem fuisse solutam ac sublatam, multa sunt, quæ indicant cla-

D 2

ris-

(a) Duo hæc momenta conjunguntur Jef. XL: 23, 24. IX: 2, 3, 4.

rissime. Argumenta & rationes horum enurtiatorum patefcent ex tractatione ipsa. Nec omittendum est, Moabitas ante Nebucadnezaris bellicosos (b) in Palæstinam insultus vixisse pacatos ac securos, teste Jeremia XLVIII: 11, 12.

§. 2.

1. *Hem Ariel, Ariel, civitas, quam sibi in sedem delegit David! Corradite & coacervate annum super annum. Festas victimas prosternant capitibus discussis. Delineatur securus Judæorum animus, ad annos multos eorumque quietem prospicientium, redivitibus & proventibus annuis inhiantium, & lætitiâ in festis diebus ac victimis cædendis atque spem incolumitatis in ritibus externis ponentium. Deus vero secus judicabat ita: Attamen coangustabo, obsidione premam Arielem.*
2. *Attamen obsidione circumdabo Arielem, ac orietur dolor & anxietas gravis, eritque urbs David mihi instar Arielis.*
3. *Præterea castra ponam circa te quasi orbem, & formabo circum te circumvallationem,*
&

(b) ALBERTUS SCHULTENS *Orig. hebræar.* c. 3. §. 23. p. 108.

Et erigam circum te valla, - obsessis indies majores angustiarum molestias adferentia.

4. Tunc humilitatem indues, ex humo loqueris Et ex pulvere proloqui conaberis sermonem tuum, eritque quasi pythonici oraculi ex terra vox tua, atque ex pulvere sermonem tuum pipiendo proferes.
5. Convertitur oratio ad Pekam Regem. At erit instar alvei exhausti multitudo exterorum tuorum Et instar glumæ transvolantis multitudo hominum, violente agentium ac metus incutiendi instrumentum; idque accidet quam celerrime.
6. A Jehova Deo rerum in aciem collocatarum lustraberis simulque adffigeris tonitru, commotionis tremore, ac sonitu magno, vento rasore Et ustore, flammaque ignis exedentis.
7. Erit tunc tanquam somnium visionis nocturnæ illa multitudo gentium, quæ contra Arielem exierunt militatum, nec non ejus exploratores cuncti Et turris ipsius speculatoria, ac qui arcta obsidione presserunt eam, Arielem.
8. Nec res aliter erit comparata, ac si somniaret famelicus; Et ecce videtur sibi edere. Quum vero evigilavit, ipse est vacuus. Res sic comparata est, quemadmodum conditio est ejus, qui siti laborat ac in somnio sibi videtur bibere, ac, simulac evigilavit, adhuc

fiti fessus est & ad eam levandam huc illuc discurrit. Talis est fors multitudinis omnium nationum exterarum, quæ insurrexerunt bellaturi contra montem Zion.

9. *Obstupefcite intra vos & miramini. Continuo anxioque desiderio vos ad spectandum excitate, & vultum avertite. Ebrii sunt & deest vinum. Huc illuc vagi sunt, & deest potus, ebriotatis effector.*
10. *Utique infudit vobis Jehova spiritum soporis gravis & obfirmavit oculos vestros, is obtexit prophetas & primores vestros, qui spectatores fuerunt apotelesmatici, ut caligent.*
11. *Inde erit vobis divinatio, quantaquanta est, instar verborum libri obfignati, quem tradunt perito librorum legendorum, hæc addentes: Lege, quæso, hunc librum. Respondet vero hic: Non valeo legere, eo quod obfignatus est. Fortuita futura prænuntiare non potestis.*
12. *Traditur porro liber illi, qui ignorat legere librum, dicto addito: Lege, quæso, hunc; qui tamen respondet: Non novi legere librum.*
13. *Et dicit Dominus meus: Hoc ideo fit, quia adpropinquat populus hic ipse ore suo, & labiis suis me honorant, anima vero eorum procul est a me. Deberent ipsi me revereri, quum e contrario nil sit ipsis consuetum præ-*

præter id, quod homines constituerunt & effinxerunt, addisci solitum.

14. *Non sic erat agendum. En porro mirifice tractabo hunc populum iterum iterumque! atque peribit sapientia ejus imaginaria & intelligentia intelligentium ejus sese in latebras abdet.*
15. *Hem ipsi sunt homines, qui abstrusa aliisque impervia suscipiunt ad consilium occultandum! Et fit per obtenebrationem operum suorum, ut dicant: Quis videt nos? quis est, qui novit nos? Conf. c. XLV: 10.*
16. *Destinatio, qua subvertere quæritis regnum, an cum luto figuli in æstimationem ac comparationis modulum trahi debet, quando effectum ei dicit, qui id fecit: non fecisti me; & id, quod e luto efformatum est, dicit figulo suo: non adhibuit intelligentiam?*
17. *Nonne adhuc admodum breve minutulumque tempus restat, quum redibit Libanus ad Carmelum & Carmelus silvam æquiparabit?*
18. *Nonne brevissimum effluet tempus, quum illo die memorabili, obsidione sublata, surdi verba scripti audient, & oculi cæcorum ex caligine & ex tenebris videbunt?*
19. *Et ut augeant adflicti suum in Febova gaudium, & egentissimi plebeculæ ob Sanctum Israël exsultent?*

56 J. C. Harenbergii Commentatio

20. *Quoniam actum est de violento egenorum vexatore, & finem habet suum scurra, & exterminantur, quotquot exercendæ iniquitati invigilant.*
21. *Qui verbo homines ad peccandum adliciunt, & erga eos, qui in judicii publici loco eos pravitatis convincunt, duros se præbent, & justum ejusque causam forensem in inanitatem flectere student, seu dant operam, ut justus causa cadat, & si quid habet, amittat.*
22. *Non sic erat agendum. Ita vero dicit Jehovah ad posteros domumque Jacobi, Deus, qui redemit Abrahamum: Non amplius nunc pudore suffundi debet Jacob, nec nunc committendum est, ut posteri ejus metu ac pudore albescant. Eo eniti debent Israëlitàe.*
23. *Nam nunc videbunt posteri ejus ipsum opus manuum mearum & pro sancto reputabit Sanctum Jacobi & Deum Israëlitis metuent, (i. e. vidento, reputanto, metuunto, obsidione sublata.)*
24. *Et ad notitiam salutarem pervenient ei, qui mente a norma divina aberrabant, & ei, qui murmura edebant, discent doctrinam, divinitus patefactum. Ipsorum nunc est, ex eventu discere doctrinam olim receptam & Dei agnitionem admittere.*

§. 3.

Hierosolyma est, quam propheta a Deo miris calamitatibus adfectam iri prænuntiat. Quid autem in causa sit, cur ipsam vocaverit *Ariel*, disquisitionibus commentatorum magis intricatum quam explicatum fuit. Mihi sic sentire liceat, ne in complexum orationis propheticæ quid inferam ab eo alienum. Contendo itaque, nomen hoc proprium fuisse urbi Moabitarum primariæ, quacum ob idololatriæ studium, quo Ahas Rex ejusque adulatores tenebantur, in comparisonem adducitur urbs regni Judæ primaria, ipsa Hierosolyma. Posterius enuntiatum inde mihi fit planum & compertum, quod propheta de Hierosolyma divino instinctu & adflatu tradit, hanc urbem esse instar Arielis v. 2. Deoque illam adparere similem Arieli, eandemque pœnam contrahere, quam urbs Moabitidis pridem cultu religioso commentitio incurrerat. Quis vero contendet, Hierosolymam secum ipsam comparari? Deusne dixit: Tu Ariel, Hierosolyma, es mihi instar Arielis? Finge tamen, verba hæc Dei idem significare ac hoc: tu es mihi *re vera* Ariel, ut præfixum *Capb* sit nota veritatis; eo ipso intelligitur, Hierosolymam comparari cum alia

D 5

magna

58 J. C. Harenbergii Commentatio

magna & primaria urbe Ariel, quæ elogiis sit indigna, pœnis vero & calamitatibus immittendis admodum digna. In laudem enim fortitudinis & gloriæ victricium armorum Deus id enuntiatum certe haud proferri voluit, castigaturus quippe & depressurus urbem, ubi David sedem suam, Jebusæis devictis, delegerat. Urbs Moabiticididis primaria nomine *Ir*, *Ar*, græce *Areopolis*, hebraice etiam *Ariel*, gavisâ fuit, sita ad Arnonis plagam meridianam, octo milliaribus distans Romanis a vico Agallim, teste EUSEBIO, versus austrum illi objacente. Areopolis sub Romanorum ditioe adnumerata fuit Palæstinæ tertiæ (b) Notitiæ urbium Episcopaliū hoc ipsum extra dubium ponunt, quales ediderunt Lucas HOLSTENIUS, in calce *Geographiæ sacre per Carolum a s. PAULO* editæ Amstelodami 1674. p. 6. s. EMAN. A SCHELSTRATE *Tom. II. Antiquitatum Ecclesiasticarum* p. 687. s. WILHELMUS TYRIUS in *Belli sacri historia* XIV: 12. p. 322. 1. atque HIEROCLES in *Synecdemo*, inter PETRI WESSELINGII *Vetera Romanorum Itineraria* recuso, & alii. EM. A SCHELSTRATE publicavit ex Codice Vaticano *Notitiam Antiocheni & Hierosolymitani Patriarchatuum* (c), in qua
Areo-

(b) HIEROCLES in *Synecdemo* p. 721. edit. Wesselingii.

(c) *Tom. II. Antiqu. Ecclesiæ* p. 742. f.

Areopolis, ut non raro alias, adpellata fuit *Rabba Moabitis*. STEPHANUS hanc vocavit *Rabatmoman*, littera *m* litteræ *b* substituta, & sua ætate adpellari Areopolin, addere non omisit (*d*). Areopolin sæpius in Actis Conciliorum, quibus nomina Episcoporum subnotata sunt, deprehendimus. Nomen *Ar Moab* legitur *Jes. XV: 1.*, designans urbem, primariam scilicet, *Moabitidis*. Alibi urbs hæc simpliciter & nude *Ar* adpellatur. Num. XXI: 14. *Deut. II: 9.* *Aquila* & *Synmachus* jam docuerunt, teste *Hieronymo ad Jes. XXVI.* *Ar* nomen denotare urbem seu *רע*. Areopolis seu *Ar* porro dicitur *Moab Arjeh* *Jes. XV: 9.*, at *1 Chron. XI: 22.* vocatur *Ariel Moab*, prouti etiam *Vulgatus* recte hoc loco habet. Ætate enim prophetarum & post eos urbs Moabitidis primaria dicta fuit *Ariel Moab* seu *Rabbath Moab*, seu nude *Ariel*. EUSEBIUS & THEODORETUS (*e*) Areopolin vocari *Ariel*, memoriæ prodiderunt. EPIPHANIUS (*f*) præterea tradidit, regionem circumjectam gestasse nomen *Arielitidis*. Facillimum igitur est intellectu, *Ar* adpellatam fuisse *Arjeh* non ex leone, sed ex *Ar* & *Jab*, quasi esset urbs Dei, idemque indicari per *Ariel* ex *Ar* & *El*. Eo ipso designata fuit

(*d*) RELANDUS *Palæstina* p. 957.

(*e*) RELANDUS *l. c.* l. III. p. 577.

(*f*) *Adversus hæreses* l. I. p. 40.

60 J. C. Harenbergii Commentatio

fuit urbs primaria, *Rabbath*, siquidem *El* idem sonat per sese ac Arabum *awwal* seu *primus*. At jam Mosis ætate erat cultui Numinis commentitii *Camusch* & *Baal Peor* dedita, nec ævo Jesaiæ idololatriam deposuerat. *Hierosolyma* igitur, cujus Rex Ahas superstitionibus consimilibus addictus erat, comparatur a propheta cum urbe alia idololatrica ac propterea adpellatur *Ariel*. Frustra sunt, qui altare holocaustorum templi Hierosolymitani existimant dictum fuisse *Ariel*. *Jonathan*, *Chaldaus* interpres, sic sensit. Idem adrisit commentum *Kimchio*, qui, ut opinioni suæ præsidium adferret, provocavit ad *Ezechiëlem* (g), ad *Jonathanem*, ac Rabbinos, qui tradiderint, templum fuisse angustum a tergo & latum a fronte, ideoque leoni simile. R. *Salomo Isaacides* singula hæc repetiit ad hunc Jesaiæ prophetæ locum. Frustra sunt præterea, qui arcem regiam Hierosolymitanam credunt adpellari *Ariel* tanquam *leonem fortissimum*, siquidem nomina Dei, nominibus qualitatibus suffixa, præstantiam & amplificationem designent. Quo minus tamen ad hoc nomen *Ariel* eam stili hebræi consuetudinem fuisse adaptatam existimem, me non una ratio impedire videtur. Nam leonem viribus valentem dici unquam in sacris litteris *leonem Dei*, quis id memi-

(g) c. XLIII: 15, 16.

meminisse potest & recordari? Sæpius omnino Scriptores divini de leonibus fortissimis mentionem injiciunt, nec tamen nomen *Ariel* adhibent. Et quis animum inducere potest, ut credat, Jesaiam per verba Dei, *erit urbs Davidis mihi instar Arielis*, designaturum voluisse maximam mox prodituram sese fortitudinem, quum statim addatur, Deum constituisse & decrevisse Hierosolymorum miseriam, & urbem hanc obsessum iri, incolas angoribus laboraturos, & proceres ebrietatem mentis elationemque esse deposituros, atque e pulvere seu humillima conditione verba paucula anxie prolaturus. Hoc unico argumento ille leo fortissimus humi prostratus est. Nec video causam, cur *Ariel* sit per *leonem fortem* interpretandus.

Benajabu occidisse dicitur שני אריאל מואב viros duos urbis *Arielis Moabiticæ* & leonem intra puteum tempore nivoso. 2 *Sam.* XXII: 20. Eadem fere leguntur 1 *Chron.* XI: 22. His *Arielitis* & leoni nihil inerat, fortitudinis principatu ornandum. Sunt, qui originationem ex *leone forti* traductam, ex *Ezechiele* corroboratum eunt, ubi clivus altaris holocaustorum seu circuitus, in sublimi, adpellatur אריאל / *clivus primarius*, c. XLIII: 15.

16. *Radak* & *Raschi* ex hoc loco suppetias

evocare conati sunt, ut, altare illud fuisse sic dictum, ostendant. Sed altare jam ipsum adpellaverat **ו. 13. Ezechiel מונח / &**, quum de eo **ו. 14.** reliqua subjunxisset, ad ambulacrum, circa altare, ad circuitum, **כרכוב (b)** dictum, progressus fuit & circuitum ab altari victimario satis dignovit: Commenta sunt, quæ de figura hujus altaris, ad similitudinem leonis accedente, Rabbinii jaëtarunt. Fuit enim illa quadrata. Verba facit Jesaias de urbe Davidis, non de templo, non de altari victimario, non de sola arce Zion. Civitas vocatur **קִרְיַת / Kirjath**, adhibita status constructi forma. At forma illa sæpius statum constructum non involvit. Si deprehenderetur alicubi nomen **חַנּוּהַ** pro **חַנּוּת / commorationis hospitio**, res statim esset in expedito. Sed irritus hic est labor quærendi, spes irrita. Statuendum itaque est, pronomen **אֲשֶׁר /** ut sæpissime fieri solet, omissum esse post nomen *Kiriath*, ut indicetur, hanc urbem cessisse in sedem & domicilium Davidis ejusque successorum, qui ex ipso erant nati & propagati: in ea resedisse, devictis Jebusæis, Davidem. Arabes verbum **חַנּוּהַ** de eo adhibent æque, qui se demittit ad commorandum in

(b) *Exod.* XXVII: 4. XXXVIII: 4.

in aliquo loco. *Jonatban Chaldeus* induxit interpretes Rabbinos in avia. En ejus paraphrasin: *Hec altare, quod extructum in urbe, in qua habitavit David. Propter congregationem habitaculorum, quorsum congregarunt se, introivit quotannis, quum festa desinerent. Ultima enim festorum dies erat perquam sollemnis. Jonatban nihil eorum intellexit propemodum, quæ propheta lectoribus denuntiavit. Hujus enuntiatum est hujuscemodi: " Vos, incolæ urbis, securi estis nec metuitis insultus ab hostibus imminentes. Vos computatis annos, alium post alium, noviluniis observandis animum habetis intentum, ut exinde festos dies vestros definiatis. At erunt, qui hos incident, dissecabunt, & vos impediunt, quo minus eos ad finem celebrare possitis. Impressionem hostes in vos facient intra festos dies. "* Verbo נקפו inest notio incidendi, pertundendi, dissecandi, concinente lingua Arabica. ALB. SCHULTENS in *Originibus hebræis* c. 12. §. 10. p. 338. s. ad hunc locum sic differit:

„ Vaticinium, multa obscuritate implicitum, exercitos habet interpretes. Inter alia nodum nectit hoc ינקפו הגים LXX: Φάγεθε, Φάγεθε γὰρ σὺν Μωαίε, quod monstri simile est. *Vulgatus* dedit *solemnitates evolutæ sunt* Aliter paullo *Syrus: solemnitates celebrentur.* Horum vestigia „ per-

64 J. C. Harenbergii Commentatio

„ persequens cel. **VITRINGA** non infeliciter
 „ edidit, *solemnitates in orbem eant*, significa-
 „ tione fracta a יקף & יקף / unde תקופה *cir-*
 „ *cumvolutio temporum.* Multum diversus
 „ *Aben Esra*, *festa cessabunt: post Chaldæum*,
 „ qui habet יבטלון *abolentur*, prout ברת
 „ *excindere vim induit abolendi.* SCHMIDIUS
 „ paullo aliter, *Festa determinent.* Sibi non
 „ dissimilis COCCEJUS, & hic subjicit, *destrin-*
 „ *gent*, id est, *excorient, exenterent pro maculent.*
 „ Major pars KIMCHIUM sequitur, qui exposuit
 „ ראש יברתו ראש *capita præcidant.* Observaverat
 „ ille, ערף *decollare, cervices incidere* Ex. XIII:
 „ 13. & alibi, a Chaldæo efferrî per נקף. In-
 „ de versio Tremelliana sumsit, *Festorum sa-*
 „ *crificiis capita exsecent.* Alii maluerunt,
 „ *jugulent festa sacrificia.* Errant, qui *cer-*
 „ *vices incisas & jugulum haustum* radici huic
 „ inserunt. Unice sonat *caput percussum &*
 „ *gravi idu discussum, cum cerebri dispersione.*
 „ Adhibet Esaias, ut sagaciter adsecutus est
 „ COCCEJUS, verbum grave & invidiosum,
 „ non tamen eo scopo, quem sibi ὁ πᾶν
 „ præfigebat, quasi cultus Leviticus adspers-
 „ nanter haberetur, jam abolitioni proximus.
 „ Frui possem hac hypothese multumque inde
 „ gravitatis sensui conciliare. Sed altius
 „ quid heic recondi putem, secundo &
 „ grandifono Vatis spiritui congruens, quo
 „ Judæos, occidione occidendos a Roma-
 „ nis,

„ nis, lanienæ admovet titulo victimarum
 „ solemnium, quæ tamquam piacula Divinæ
 „ justitiæ *capitibus discussis* ad altare ejus pro-
 „ cumberent, & perenni vindictæ ejus foco
 „ consumerentur.”

Alieno tamen mihi esse liceat ab ejus sen-
 tentia, qua vocabulum Ariel cum vulgo in-
 terpretum ad altare, quasi *leonem Dei* dictum,
 trahit. Id in controversiam haud voco, inesse
 apud Arabas verbo *ḥḥḥ* notionem *diffringendi*
caput cum cerebri comminutione. Id præterea no-
 vi, olim ante Joannem Hyrcanum bestias victi-
 marias in atrio sacerdotum percussas fuisse a
 lanionibus victimariis ictu repetito inter cor-
 nua, testibus Talmudicorum scitis in *Sotab*
 IX: 10. Mischnicus codex ibidem docet,
 Joannem illum Sacerdotem magnum, eum
 percutiendi victimas morem reputasse pro
 integritatis violatione, & hostias sic prostra-
 tas pro morticinis habuisse. Instituisse dicitur
 ibi Joannes ritum adligandi posthæc capita
 victimarum uncis annulisque ferreis, eum
 in usum solo atrii infixis, atque hoc pacto
 subjiciendi cultris victimas stantes integras-
 que, non stratas læsasque. Jochanan ille seu
 Joannes dicitur fuisse Matathiæ pater & Ju-
 dæ Maccabæi avus. Plura congestit JOA. CHRIS-
 TOP. WAGENSELIUS ad illum *Sotab* locum. Il-
 lud: *Radite & coacervate annum super annum*,
 varias peperit interpretationes. Securitatem
Bibl. Haganaë Cl. VI. F. I. E Ju-

66 J. C. Harenbergii Commentatio

Judæorum notari, eorumque carpi mentem, in externo cerimoniarum ritu adquiescentem, plerumque tradunt Interpretes. Nec *Vitringa* ab opinione hac dissentit. De reliquo dictio illa : **ספורה** *unius ad alterum* Hebræis est oppido trita. *Jer.* VII: 21. hæc leguntur: *Corradite holocausta vestra super sacrificia vestra.* *Jesaias* XXX: 1. perhibuit, improbos *peccatum super peccato corradere.* Dei est hoc pronuntiatum *Deut.* XXXII: 23. *Corradam super eos mala.* In his enuntiatis ubique præsto est verbum **ספורה** / quod in eis per *accumulationem* exponi potest. *Schultensius*, quem honoris causa perpetuo adpellare soleo, in loco nostro videre sibi visus fuit adlocutionem & sermonem ad victimarios & laniones Romanos directum, qui Judæos, iræ divinæ piacula, per annorum longam seriem, atrocissimis cladibus sint mactaturi, eorumque tenuissimas etiam reliquias occidione occisuri & summa acerbitate eradicaturi. Ignoscant nobis manes *Schultensii*, si ipsum ad laniones usque Romanos adfectari haud possumus, de quibus quippe *Jesaias* heic nihil deuntiavit, nihil indicavit.

Enuntiatum, *superaddite annum anno*, comprehendit increpationem falsam. Sensus eo tendit, ut intelligatur, securitatem Hierosolymitanorum fuisse talem & tantam, ut, diu se in pace ac lætitia vitam transacturos esse,

esse, speraverint. Additur vero statim :
Sunt ad manus, qui lætissimos dies festos vi
adhibita percutient, incident & quasi disseca-
bunt (i). Cur *Alexandrinus* interpres de suo
addiderit: *Edetis enim cum Moab*, divinare
vix ausim.

§. 4.

Vertitur oratio ad Deum ipsum loquentem,
ut aperiatur modus, quo festi dies sint, vio-
lencia interveniente, dissecandi & gaudia
incolarum turbanda. Populo agminatim
gaudia celebrante, inquit nomine Dei prophe-
ta, tunc ego Arielem obsidione circumdabo,
& in locum lætitiæ substituetur luctus & in-
timorum præcordiorum angor, adeo ut urbs
Davidis sit instar Arielis Moabiticæ, quam
Deus, quippe idolis deditam & pietatis sin-
ceræ contemtricem, deseruit, hostiumque
manibus tradidit. Verbo פֶּיַע inest notio
comprimendi, angustiis coarctandi ac premendi.
Jud. XIV: 17. Jes. LI: 13. Deut. XXVIII: 53,
55, 57. Res ipsa est indicio, angustias in-
colarum obsidionales designari, causam luctus
& anxietatis, & judicii, quod Deus in Hie-
rosolymam erat exprompturus, castigationi
asperæ & peracerbæ inserviturum. *Jona-*
than:

(i) LXX. Colligite proventus singulis annis. Festa
simul propulsabuntur.

68 J. C. Harenbergii Commentatio

than: *Et coarctabo urbem, in qua est altare, & erit arcta & quasi sputo ejecta; & erit excrementum coram me sanguis occisorum, sicut circumdatur altare sanguine victimarum sacrosanctarum in die festo undiquaque. Nisi Jonatban Arielem pro ara victimaria habuisset, non incidisset in hanc interpretationem, quæ omnino obscura est & contorta. Interpres Alexandrinus hæc habet: 'Εκθλίψω γὰρ Ἀριήλ. Καὶ ἔσαι αὐτῆς ἡ ἰσχύς καὶ ὁ πλῦτ' ἐμοί. Adfligam enim graviter Arielem. Et erit mihi ejus robur & opulentia. Videtur ad novim קנינה / onustam opibus, respexisse interpretis male oculus.*

§. 5.

De obsidione agi, inde colligimus, quod Deus pronuntiat, fore, ut castra ipse ponat circum civitatem, quæ habitura sint formam gyri seu sphaeræ, urbem ambientis. Rabbinum nomen קנינה / adhibent usui, denotantes globum, sphaeram, orbem (k). Insulsus tamen non est creditu, nomen id indicare aliquid, quod sit *instar orbis & rei rotundæ*. Nam *rotundum* quod est & in gyrum agi solet vel gyrum refert, adpellatur קנינה / verbi causa,
pila

(k). J. BUXTORFIUS in *Lexico Chald. Talmud. Rabbinic. col. 1015.*

pila *Jes. XXII: 18.* pyra ad formam rotundam structa, *Ezech. XIV: 5.* *Kimchi* rotunditatem nomini tribuit in loco nostro, sic sentiens: " Interpretatio vocabuli כדור „ fieri debet per סכ"י / circumquaque, qua „ si diceret castris sphæricis & ad certam „ formam redactis. Et adpellantur ita, eo „ quod sunt rotunda. Deest littera *caph* aut „ *beth* servilis. Ac sensus est: Castra me- „ tabor contra te circum te ubique." *Raschi* levem nomini כדור eviscerando adhibuit operam. Ipse sic breviter: " כדור „ est series exercituum circumeuntium ac circum- „ dantium loca expugnanda." Tria sunt momenta angustiarum, quas ab hostibus perpetiendas habuit Hierosolyma. Primum constitit in metatione castrorum circa urbem, secundum in ordinatione serierum circumvallationis, & tertium in erectione turrium, unde misilia in obsessos projici & muri defensoribus nudari poterant. Secundum momentum his verbis designatur: צרתי עליך מצב / *formabo circa te circumvallationem.* De arcta & cohærente formatione isthæc esse accipienda, non est difficile intellectu. Ea consistit vel in colligatione, quæ verbo ציר denotatur *Dext. XIV: 25.* vel in arcta positione unius juxta alterum, quæ notio obvia lectori est *Cant. VIII: 9.*

70 J. C. Harenbergii Commentatio

Formationis notio eidem verbo est adfixa 1 Reg. VII. 15. Quum vero presionis & angustiae notionem includi noverimus verbo צר / formationem eam hoc loco intelligamus oportet, quo alter premitur, angitur, obsidetur. Hanc notionem plura complectentem adjuvat nomen מצב / quod formam participii in *Hophal* refert. Unde nonnulli illud per *oppositum* hostem participialiter interpretantur, arcessentes in subsidium linguam arabicam, in qua *nazab* etiam notat idem ac *obstitit*, *opposuit sese instar hostis*, Sunt tamen, qui stationem militum munitionibus firmatam intelligunt. Hæc sententia ad incrementum orationis & naturam obsidionis luculentius delineandam videtur omnino magis esse accommodata. *Raschi* huic opinioni favet, interpretans nomen מצב per *circuitum vallationis hostilis circa urbes*. נרקום vallum est, propugnaculum, Chaldæis interpretibus tritum, & Hebræis דיק dictum 2 Reg. XV: 1. *Kimchi* in eadem navigat cymba. Hic exponit nomen מצב per *turrem ligneam, quam circa urbem erigunt, cui occupandæ imminent*, Tertium angustiae prænuntiatae momentum elucet ex memorata vallorum erectione. Hæc valla olim muniebantur fossis extrinsecus

cus, ac custodiebantur variis hostium stationibus. Hebræi ejusmodi vallum, eductum & erectum altius, adpellarunt מצורה. 2 Chron. XI: 10, 11. XXI: 3. XII: 4. XIV: 5. Neb. II: 1. Ad obsidionem peragendam valla ejusmodi exaggerantur. Raschi proinde judicavit, nomini מצורה esse notionem cum מצור communem. Obsessi solent varia loca perinde pariterque munire ad sese defendendos, ac hostes foris. Ut tamen hoc loco intelligamus valla denotari, ab hostibus facta, adducimur ea ratione, quæ hostibus circa & contra urbem ea molituris assignat. Jonathan sese nunc præbuit interpretem, qui alias paraphrasten agit. En ejus interpretationem: *Efficiam, (1) ut multa habitacula circa te fiant, & exstruam circa te כרלום, propugnaculum & congregabo circa te מליחא, vallum obsessis obstructum.* Interpres Alexandrinus ita: Κυκλώσω ως Δαυιδ ἐπὶ σε, καὶ βαλῶ περὶ σε χάρακα, καὶ θήσω ἐπὶ σε πύργους. Illud כרוד legit hic interpres, quasi scriptum invenisset כדוד / Kedavid, & inde turbavit sensum, quem de reliquo ad trutinam vel amissum criticam haud exegit. Jam non vacat excurrere in priscam (II) obsidionalium labo-

(1) Ad verbum: *Ponam, circa te habitacula.*

(II) Huic operæ fecerunt satis GEORG. RAPHELIUS & JOA. JAC. WETSTENIUS ad Luc. XIX: 43, 44.

laborum consuetudinem. Id potius intuebi-
mur malum, quod Hierosolymitanis adeo
spiritus, quos sibi proceres sumserant, im-
minuit ac depressit, ut humo adfigerentur
& quasi ex pulvere muffitarent. Sic Deus
superbos mutare & ad ima dejicere potest,
lenitatis ac justitiæ Domini supremi impa-
tientes, ut discant parcere sibi, subjectamque
Deo induere mentem.

§. 6.

Vaticinium de eis, quæ extra Hierosoly-
mam eventura erant, perpendamus oportet,
Adjungemus & pensabimus haud minus ea,
quæ intra urbem dicebantur futura. En sum-
mam miseriæ! Qui antea erant elati, ei,
quamprimum obsidio urbem cingebat, ad-
parituri erant humiles, animumque abje-
cturi. Qui quasi ex cælo erant locuti & ver-
borum ampullas projecerant; hi erant ex
infirmis terræ visceribus locuturi, ex pulvere
muffitaturi, ex cavernis susurraturi, & ex
pulvere pipituri. Qui prophetæ antea illud
צוֹצוֹ / pipientem avium sonum, occinue-
rant more scurrili, ei intra obsidionis angu-
stias ipsi erant pipituri. Qui oracula quon-
dam ementita e cavernis terræ, ex tubulis
antrorum, & ex tripodibus enuntiabant con-
sulenti & decepto populo, ei lenissima voce
ute-

utebantur, nequis dubitaret, Deum quemdam ex caverna sacratissima respondere ad quæsitam (m). Tripus fatidicus solebat, superimponi gelido antro, aëremque, ad stuporis efficiendi miracula vel potius ostenta conformatum, in Sibyllæ seu vatis corpus immittere. Huic deinde spiritui, huic Numinis commentitii (n) effectioni tribuebantur vulgo oracula, a callidis antistitibus composita, & per mulierem quandam fatidicam tenuissima voce solita pronuntiari. Oracularis illa machina & oraculum ipsum appellatur *Obb*, אוֹב. Vocabulum hoc jam ætate Mosis erat notissimum. *Alexandrinus* Interpretes id vocabuli hoc loco neglexit, quod focii ejus alibi per *εγγαστριμυθοι*, id est, homines, qui, in ventre seu caverna tripodis consistentes *verbum*, *μυθον*, illud missitante voce proferebant (o), quod antea edidicerant

(m) *Jes.* VIII: 19.

(n) Hæc efficta numina dicuntur מַתְיָם *mortui*, non *vivi*. c.VIII: 9.

(o) Mirandum est, quod JOSEPHUS BINGHAMUS credidit, engastrimythos ex imo ventre per umbilicum locutos esse, *Origin. Ecclesiast.* Tom. VII. p. 245. Fabulam hanc & commenta alia similia solide refellit Mr. SCHOTT in *Diss. de l'Apotheose d'Homere, représentée sur un marbre ancien, de l'Usage du trepied de Delphes & de l'emploi des Engastrimythes* *Jes.* V. p. 51. f. p. 80. f. *Amsterdam* 1714. 4.

rant vel foliis inscriptum prælegere erant soliti. Differui (*p*) de tripode hoc oraculari & de caverna, præcipue Delphica, alibi copiose. In præsens hæc sufficiunt instituto nostro. Libet *Jonathanem* huc arcessere, cujus interpretatio ad verbum fontibus respondet.

„ Ad humilitatem redigemini, e terra
 „ proferetis verba, immo ex pulvere mussi-
 „ tando sonabunt verba tua. Ac fiet instar
 „ oracularis tripodis tripodisque, כְּאוֹר / ex
 „ terra vox tua & ex pulvere verba tua pi-
 „ pientur. Vetus Interpres græcus libe-
 „ rius ita: HUMILIA declarabuntur verba tua
 „ in terram & in terram dicta tua obibunt,
 „ δύσονται, & erit, ut vociferantes facere so-
 „ lent, e terra vox tua, & versus solum vox tua
 „ erit imbecillis. ” Illud כְּאוֹר cur per οἱ
 „ Φωνῶντες, ut vocem edentes, reddiderit, cau-
 „ sam non pervideo, nisi ea ætate Pythones
 „ adpellati fuerint οἱ Φωνῶντες, cujus rei exem-
 „ pla nondum deprehendere licuit, ut qui vocem
 „ mussitantem edebant ex hiatu terræ aut tripodis
 „ vocabantur periti mussitationis *Jes* III: 2.

Notabilis est ratio significandi vocem malis ingruentibus pressam & ita suppressam, ut afflicti comparentur, ob calamitatem in-
 ge-

(*p*) De Pythonissa Endorea in *Tbesauro theol. philo-
 logico Hasæo—Ikeniano* Tom. I. p. 639. f.

gemiscentes & vocem adtenuantes, cum Magis Perfarum, Medorum & Assyriorum, immo Bactrianorum, qui, quum sacra facerent, ex cryptis tenebricosis singultiebant, pipiebant atque per gemitus repetiti modulos incantationes suas proferebant. Gemitus illos Magorum & sacrificulorum exterorum Persæ & eorum vicini adpellabant **שִׁמְשִׁי** / quod vocabulum legitur *Jes. LIX: 10.* Bactrianorum sacerdotes eique simul philosophi olim adpellati fuerunt *Samanæi*, id est, ut THOMAS HYDE docuit, *ingemiscentes, singultantes*, eo quod sacra fecerunt voce repressa, ore obligato. Confer *Jes. VIII: 19.* quo ex loco intelligitur, seculo Jesaiæ Judæis haud ignotum fuisse illum vocis adtenuatæ morem magicum. De re ipsa consulenda est THEOPH. SIGEFR. BAYERI, *Academici Petropolitani, Historia regni Græcorum Bactriani* p. 22., *Petropoli 1738. 4.* evulgata. In *Nova Acta Eruditorum* transtuli id ipsum a. 1741. p. 583. quod huc maxime trahi & ad veritatem probandam adhiberi potest.

§. 7.

Succedit miseræ serenior calamitatis facies. Subito enim obsidionem solutum iri, propheta indicat, prænuntians, fore ut multitudo ingens ex improvise huc illuc spar-

76 J. C. Harenbergii Commentatio

spargat fugæ vestigia, & ut hostes, qui dispersionem Hierosolymitanis illaturi sint, ipsi dispergantur, tamquam pulvis tenuissimus & gluma, quam ludibria ventorum rapiunt. Hæc rerum vicissitudo dicitur futura, præter obsessorum opinionem ad temporis momentum brevissimamque moram (q). Similitudo desumpta est a vento rafore, qui subito exortus pulverem verrit & abripit, ac glumam frugum tempore, quo triturratum frumentum ei erat obvium, dispergere solebat repente ac frugum grana purgare.

Jonathan: Et erit pulvisculus comminutus multitudo eorum, qui dispergebant te, & ut gluma mobilis erit multitudo fortium tumultuosa, & fiet repente tumultus. Laxiori tramite incedit

Alexandrinus interpres. En eam latine factam!

Et erit, quasi pulvis a rota, opulentia impiorum, & quasi pulvis impulsus, multitudo dure dominantium, καταδραστικῶν, & fiet tanquam punctum temporis repente. Multitudinem hominum urbem obsidentium convertit in copiam opum seu divitias. Glumam transeuntem seu facile mobilem credidit esse pulverem rotæ, quæ transit & movetur. At vocabulum רבב nunquam induit rotæ notionem.

§. 8.

(q) Id ipsum confirmatur *Jes.* VIII: 8. 9.

§. 8.

Ingruit obsidentium multitudini tempestas venti ratoris ac ustoris, tonitru mixta, & motu ac tremore soli horrenda. Ea subvertit castra, homines terræ adlifat, pressit, & partim oppressit. Qui valebant pedibus, fuga sibi consulere malebant, quam ad Hierosolymam obteri, vindictæque divinæ pabula fieri. Eam calamitatem ei sunt perpeffi, id damnum ei acceperunt, qui jaëtantia usi fuerant paullo ante tanta, ut constituissent, se regnum Judæ in modum tempestatis, grandine & typhone furentis, invasuros atque sibi rapturos esse. Non dubitandum est, exercitus Pekæ & Rezini fecus ab obsidione Hierosolymorum fuisse repulsos. Nec hujus rei vestigia prorsus defunt lectoribus vaticiniorum Jesaiaë, licetis supra c. VII: 1. breviter modo prodiderit, Regem utrumque Hierosolymam expugnare non potuisse. Nisi de vento illo procelloso, verrente & terente, ad caput præcedens jam, quantum satis est, dixissem, non nihil novi huc transferrem. Id memoriam subit, irrisores Israëlitas minanti eum ipsis ventum Jesaiaë respondisse, illud flagellum, si forte Palæstinam graviter afflicturnum esset, Israëlitas tamen præteriturum, non læsurum esse. At contra Jesaiaë sannionibus his-

78 J. C. Harenbergii Commentatio

hifce capite superiori pronuntiatum Dei op-
 pofuerat, quo, fubitam calamitatem ex
 vento illo typhónico orituram, inflare, quam
 primum regno Judæ occupando manus exer-
 citusque admoturus eſſet Rex uterque, cer-
 tiores reddebantur. Nullus igitur dubito,
 Deum oraculo ſuo implendo haud deſuiſſe.
Jonathan incifum ſextum ſic interpreta-
 tus fuit: *A Jehova Deo militarium exercituum*
viſitabimini (r) *tonitru & motu valido & ſoni-*
tu copioſo, per turbinem tempeſtatis procelloſæ,
per ventum & flammam ignis conſumentis. Tur-
 bo ille, illa procelloſa tempeſtas, quam
 Hebræi vocant *סערה / סער / סוף / סיפה*
 a Targumiftis adpellari ſolet *עלעול /*
al-ul, ut hoc loco. Conf. *Jef. L: 3. Jer.*
XXIII: 19. Ez. XIII: 11. Amos I: 14. Hab.
III: 14. Pf. LXIII: 16. Deum ministerio
 Je

- (r) Deus omnia, quæ creavit, in ordinem tan-
 quam in aciem collocavit ad vindicandum bo-
 nos, ac ad coërcendum & puniendum impro-
 bos. Utramque actionem Divini ſcriptores
 adpellant viſitationem, recenſionem milita-
 rem, luſtrationem. Verbum *פקד* in *Niphal*
 plerumque indicat, homines *deſideratum iri*
 ac requiſitum, tamquam in luſtratione militari
 inventos prorsus ineptos. *Num. XVI: 29.*
1 Sam. XX: 18. 1 Reg. XX: 39. Jef. XXIV: 22.
Jer. XXIII: 4. Erat igitur exercitus diſſipan-
 dus & dilapſurus.

Jesaiæ hæc fœderatis Regibus, Regem Judæ petentibus, prænuntiasse, quivis facile intelligit. Interpretis *Alexandrini* hæc sunt: *A Domino Sabaoth visitatio enim existet, cum tonitru & motu valido & voce magna, ventus procellosus vehemens (Φεγομένη), & flamma ignis consumtrix.* Ventus ille procellosus, vehementer ferri impellique & verrere solitus, ab eodem adpellatur *καταιγίς* vocabulo, quod nomini, *תופח* / typhoni, substituere solet, & quo illustravit capite superiori id, quod scutica & *flagellum* Palæstinæ fuit dictum. Sæpius enim interpretem sensus magis, quam verborum, agit Alexandrinus. Quæ ratio nos adducit, ut ne statim ad lectionis diversitatem decurramus inveniendam, qua ipse usus fuerit. Sæpius etiam ipse substituit vocabula, minus ad verba hebræa omnino congruentia, eo quod puncta nostra vocalia non habuit, vel ea sequi recusavit. De reliquo liberata videtur Hierosolyma per ventum terribilem rasorem ac ustorem paulo post festos tabernaculorum dies, quos turbaverat ea publica calamitas, quam hostium circumvallatio Hierosolymitanis infligerat. Ad tempus enim triturationis respexerat Jesaias c. XXVIII: 27, 28. quod post Pentecosten exactam incidere solebat. Ab eo tempore ad Septembrem funesta illa venti typhonis lues sævire subinde consueverat.

Festi

Festi Hierosolymitanorum dies erant disse-
candi & intercidendi (§. 3.). Ergo credibile
est, ipsos diebus, quibus tabernaculorum cele-
britas erat frequentanda, obsidionem passos
fuisse. Eo respexit *Alexandrinus*, qui illud:
Annum anno superaddite v. i. reddidit per
συναγάγετε γεννήματα ἐνιαυτὸν πρὸς ἐνιαυτὸν,
ἴσθηται συγκραθῆσονται, colligite ea, quæ in agro
nascuntur, anno uno post alterum, anni tem-
pore elapso, quo una mensis tritici post al-
teram hordei messem fuerat finita, *festæ*
tandem collidentur, interpellabuntur. Videtur
substituisse *Alexandrinus* verbo נִקְפֵי suum

נִצְדֵי / nisi notionem percutiendi & pertundendi,

quæ est verbo נִקְפֵי / secutus fuerit. Quid
SEB. SCHMIDIUM adduxerit, cur *festæ* definite
pro victimæ *festæ* dissecebantur, ictibus in-
ter cornua percutientur, posuerit, nescio.
Imperandi enim modum heic cernere non li-
cet. Verbo נִקְפֵי inesse hoc loco notionem
ex נִצְדֵי / ut alibi factum (s) est, inditam,
putavit interpret. Nisi scopum auctoris &
in prophetis notitiam rerum gestarum even-
tuumque ob oculos habeamus, interpretatio-
nis negotium vix feliciter succedit.

§. 9.

(s) 1^a Sam. XV: 6. Ps. CIV: 29. Qui colligunt
aliquid, illi addunt unum alteri. Annum pro
annuo proventu poni, nisi contextus oratio-
nis suadeat urgeatque, credibile non est.

§. 9.

Quum Hierosolymitani extremis laborarent angustiis, & nonnisi in Jehova, bellorum summo moderatore, fiduciam, opis obtinendæ cupidam, collocare possent, præsidium & auxilium quodcunque aliud frustra circumspicientes; ex machina quasi Deus præter omnium opinionem aderat opemque ex improvise ferebat. Videbantur sibi Hierosolymitani tunc ex somno evigilasse & omnia alia videre. Somnio similis videbatur omnis, quam toleraverant, calamitas. Actutum enim cessabant & aberant angores & angustiae obsidionales ad unam omnes. Imagines tristissimæ avolabant & vigilantium oculi eis liberabantur, simulac discessum subitaneum hostilium machinationum atque copiarum animadvertabant. Multitudo gentium, Syrorum & Israëuitarum, qui adversus Hierosolymam militatum & oppugnatum venerant, somnio & viso nocturno erat similis, quod subito dissipatur & extinguitur, quamprimum homo evigilat. Aufugiebant a tentata obsidione instar somnii, cito avolantis, *Zobbeim* & *Zobhin*, egressi militatum & oppugnatum, & turris speculatoria, Hierosolymis admota, nec non universi, qui vim prementem inferebant ei. *Locus insidiarum*

82 J. C. Harenbergii Commentatio

ex alto, specula, turris speculatoria alte locata, vocatur מַצְוֵרָה. Job. XXXIX: 28. 1 Sam.

XXII: 4, 5. 2 Sam. V: 9, 16. Ps. LXVI: 11.

XVIII: 3. XXXI: 3. alibi מַצְוֵרָה 1 Sam.

XXII: 3. *Jonathan*: „ Et fiet quasi ideæ

„ nocturnæ somnium multitudo omnium po-

„ pulorum, qui juxta urbem, in qua est al-

„ tare, congregati sunt, & omnia ipforum

„ habitacula & copiæ illorum, qui eos arctis-

„ sima obsidione presserunt. ” *Alexandrinus*

hoc loco non deprehendit difficultates. Vo-

cabulum tamen מַצְוֵרָה / quod *multitudinem* pro-

prie denotat, convertit in *πλάτων*, *divitias*.

Dabo ejus verba, in latinum conversa: *Et*

erit, quasi somniet quis somnium nocturnum,

opulentia gentium universalium, quæ exercitum

Arieli opposuerunt, ac quicumque exercitum mo-

verunt adversus Hierosolymam, omnesque, qui

congregati sunt contra eam, & ei, qui preme-

bant eam. Ad turrim exploratoriam hic In-

terpres non adhæsit, sensui imminens red-

dendo, vocabulorum singulorum haud raro

incurius.

§. 10.

Hostium conatus in somnium somniique eventum desituros, prænuntiat propheta.

Ipforum machinationes & consilia ad occu-

pandum regnum Judah tendebant. Ipsi opi-

bus

bus Hierosolymæ mox capiendæ inhiabant. At eventus dispar futurus erat votis. Consilia eorum fuerant somnia famelicorum & sitientium, qui per quietem sibi videntur ad satietatem edere ac bibere; quum vero evigilaverunt, majori fame, miseriori siti, & molestiori penuria, quam antea, laborant. Indicatur eventus ille, quo hostes spe exciderunt sua, celerrimeque huc illuc dispersi, obsidionem solverunt. *Jonathan: Et fiet res similis somnianti famelico, & ecce edens, sibi videtur in somnio edere, & expergescit & desunt ei omnia, ad famem levandam necessaria, & res se habebit quasi quis somniat sitiens, & ecce bibens, bibere sibi videtur, & evigilat & ecce fessus est & languet siti. Ita erit multitudo omnium populorum, qui congregati sunt circum montem Zionis. Alexandrinus iterum opulentiam, πλάσιν, substituit multitudini, ימין.*

quæ hoc loco non copiam facultatum, ut *Pf XXXVII: 16. Eccl. V: 9. 1 Chron. XXIX: 16.* sed copias militares, strepitum commoventes, ut *Ezech. XXXII: 20. Joël IV: 14. Jes. XIII: 4.* denotat.

§. II.

Increpat Vates elationem animi, qua turgabant ad temulentiaë similitudinem Israëlitæ, consilia de occupando regno Judah capien-

pientes. Adpellaverat ipsos propheta *Ebrios* capite superiori. Nunc tandem significæ indolem, ad quam respexerat, ebrietatis, per quam visi fuerant vacillare & vomere. Ebriis futuri erant denuo similes, quum obfatione subito sublata nescirent, quo sese verterent; quum unus alterum oberrans truderet & eum collideret: quum stupor, menti injectus, & impatientiæ dolor, ex dissipata consiliorum meta exortus, vix micam sapientiæ & prudentiæ fecissent reliquum. Præceptum enim destinationis & consiliorum everfio non potest non usum rationis ad tempus animis præripere, præcipue quum nobis fere portum consecuti esse videmur & in exitu stamus. Quo minus ea calamitas cerebro, præcipue calidiori, multum amentię & instabilitatis consiliorum infundat, ne ipse quidem HIERON. CARDANUS (†) ausit impedire, si vel maxime remedia curationi suæ inseruerit astrologica. *Jonathanis* juvat adjicere interpretationem. En eam: *Præ stupore remissi estote in opere & cunctamini ex admiratione. Perturbamini & estote cogitabundi. Estote ebrii, nec tamen ex mero: oberrate titubantes, nec tamen ex vino vetusto.* Hoc vocavit פִּתְיָ / *vetustum* (u), quoniam hoc facile bibentibus

(†) *De Utilitate ex adversis capienda* III: 27. p. 705. f. *Franckera* 1648. 8.

(u) *Onkelos* 1 Sam. I: 15.

tibus ebrietatem inducit. Christiani tamen primi vinum a *sikera* seu *schechar* distinxerunt, & hanc noluerunt in mensam cœtus ecclesiastici sacram adferri seu offerri (x). Copiose hæc exposuit Vir reverendus, amicus honoratissimus, JO. RUD. KIESLINGIUS, Professor Lipsiensis celeberrimus, de *Sikera in eucharistiam non adhibenda* (y), ibique differentiam vini a *sikera* solide (z) monstravit. *Interpres Alexandrinus*: Κραιπαλήσατε ἐκ ὧν εἶχερα, ἔδ' ὧν εἶνε κινέμενοι, *Crapula laborate non ex sikera, nec ex vino vacillantes*. Obsessores enim ut in consiliis capiendis, ita in obsidionis dimissione fuerunt quasi temulenti,

§. 12.

Deus siverat ipsos aberrare a ratione & prudentia, quum consultarent de regno Judah occupando, quum irruerent in hoc regnum Israëlitæ cum Syris, quum obsidione cingerent Hierosolymam, quum fugæ in discessu ab ea se mandarent, quum celeriter sese inde proriperent. Prænuntiavit hæc Propheeta, secum divinitus communicata. *Fudit super vos, ait, spiritum gravissimi & profundissimi sopo-*

(x) Canon Apostolicus III.

(y) *Commentat. de Sicera in usu sacra Eucharistia non admittenda, Lips. 1745. 4.*

(z) *f. 8. p. 18. f.*

soporis ἔκλειψεν ὀφθαλμοὺς ὑμῶν. Sic vulgo illud
 𐤀𐤃𐤅𐤁 interpretantur. Mallem id reddi per *ob-*

firmabit, obturavit. Spiritus ille est ventus
Sammiel, qui obvios sensu exuit, oculosque eo-
 rum obturat, ac sæpe corpus in stuporem
 vertit, ut homo videatur esse exanimatus.
 Sunt, qui eo adeo redduntur sensationum ex-
 pertes, ut procumbant enecati. Hic ventus
 congruenter vaticinio Jesaiæ corripuit obses-
 sores vs. 6. ALEXANDRINUS interpres ita:
 ὅτι πεπόληκεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως
 καὶ καμμύσει τὰς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν καὶ τὴν περὶ
 τῶν αἰσῶν καὶ τὴν ἀρχόντων αἰσῶν, οἱ δὲ ὄντες τὰ
 κρυπτά, quoniam potum vobis præbuit Dominus
 spiritum gravissimi doloris, ἔκλειψεν ὀφθαλμοὺς
 eorum ἔκλειψεν ὀφθαλμοὺς, quos habent, prophetarum, ac
 procerum, qui ipsis sunt, videntes occulta. Re-
 ctius *Jonathan*, qui sic interpretatus fuit:
 Utique infudit vobis Jehovah spiritum aberratio-
 nis ἔκλειψεν ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, prophetas ἔκλειψεν
 primos vestros, qui spectatores se præbent, ob-
 texit, ut caligent. Hæc *Jonathan*. תרדמה /
 „vocabulum hebræum, *Jonathan* ver-
 tit in טעות / *Alexandrinus* per κατάνυξις.”
 Hebræi somnum profundiore, quo nihil
 sentitur nec foris nec in anima per sese, ad-
 pellant תרדמה. Gen. II: 21. XV: 12. Prov.
 XIX: 15. Job. IV: 13. I Sam. XXVI: 12.
 Hebræis verbum 𐤀𐤃𐤅𐤁 idem sonat ac somno
 profundiore obdormivit. Jon. I: 15. Jud. IV: 21.
 &c.

&c. *Jonathan* verbo נֹדַר usus fuit, soporem immisum significans, ut *projectionem*, *ejaculationem*, *injectionem*, denotaret. Non alienæ sunt ab hac notione *sagittæ*, quæ in Palæstina interdum volant, & projici, jaculatione emitti, & injici dicuntur. *Sagittæ* autem sunt stilo veteri hieroglyphico fulmina & typhones. Utrisque Deus homines, obfidiioni ittentos, adflixit. *Typhones* vocantur *sagittæ* interdum volantes. *Pf* XCI: 5. *Fulmina* adpellantur *sagittæ*, 2 *Sam.* XXII: 15. *Pf.* XVIII: 15. CXLIV: 6. *Hab.* III: 11. *Ventus taub* seu *tau* est ventus *erroris*, *aberrationis*, seu status mentis emotæ, nec amplius ad genuinum actionis vel viæ tramitem attentæ. Id vero, quod per κατὰ φύσιν intelligendum est, duas jungit notiones, unam doloris, ad intimum sensum penetrantis, alteram obtusæ & extra conscientiam sui traductæ mentis. *Ventus procellosus* seu *typhon* oculis viatorum injicit arenas, eosque obturatos declarat & obtegit. Tunc oculatissimi caligant & cæcutiunt, simulac ipse, pulvere satur, oculis sese ingerit. Illi *videntes*, חוֹזִים / רְאוּם (a), qui jactabant visionem suam, חוֹזִים / erant homines, qui ostenta cœli & sidera inspiciebant, eorumque positu fortunam eventuum futurorum metiebantur. Hi, arte sua ementita temulenti, suaserant *Regibus*

(a) *Jes.* XLVII: 13.

gibus fœderatis bellicam in regnum Judah expeditionem. Eam ob causam, ut par pari rependeretur, ipsorum oculos mentesque amentia præstringebat, obturabatque oculos, & eos tegebat fulmen, vento typho-nico comitatum. Sic caligo caligine puniebatur. De his hariolis *Jesaias*: הַחֲזִיִּים כִּסְּהָ.

illos inspiciendo cœlo intentos obtexit, videlicet turbine, vento verrente & urente. Turba hariolorum ab expeditionibus bellicis non solita fuit removeri. A primoribus seu capitibus sive ducibus & consiliariis bellicis *Jonathan* non distinxit cœli siderumque *spectatores*, quod fieri tamen oportebat. *Alexandrinus* dedit spectatoribus hisce, quod agerent, scilicet attentionem in *occulta* conversam. Accessione hæc opus non erat.

§. 13.

Omnis illa divinatio ex inspectione positi mutative siderum chori per prophetam comparatur cum epistola, אָפֶסֶת (a) ab ipsa dicta, quam intelligere nemo possit, quia nihil habeat solidi ars illa astrologica universa. Epistolam enim obsignatam legere & intelligere non potest is, qui alioquin legendi est peritus. Epistolam vero non obsignatam
is,

(a) *Jes.* XXXVII: 14. 1 *Reg.* XXI: 8.

is, qui expertus est artis legendi, nec legere valet nec intelligere. Epistola ejusmodi symboli instar erat ad cognoscendam astrologicarum prædictionum vanitatem, tanto-
 pere a magistris occultatam & imperitis, qui eam intelligere non poterant, resignatam & declaratam. Non aberat ab arte illa apotelesmatica nomen Dei multiplex, quæ passim inde in ecclesiam Christianam permanavit (b), nec in hanc diem ubique potuit eradicari. Artem illam magistri senio vicini docebant adultos, non ut Jehova honoraretur, sed ut ex repetito ejus nomine in prædictionibus cresceret lucrum.

Babilidiani aliique planetæ, imprimis Gnostici, philosophi quippe orientales, nomina Dei divinationibus suis astrologicis immiscuerunt, ac principatus domorum cœlestium ritu successionis regnatos distribuerunt per æonas, עולמים. Inter Judæos ipsos ætate Josephi erant viri, qui ostenta cœli, meteora extraordinaria & siderum motus observabant ac exponebant, eventuum prænuntiationem inde effingentes variam, vulgoque plausibus exceptam. Morem hunc esse vetustissimum & in Oriente cum astrolatria conjunctum, jam ex Mosis ac prophetarum scriptis

(b) BINGHAMUS in *Originibus seu Antiquit. Ecclesiasticis* Vol. VII. p. 146. s.

scriptis elucet. Prædictiones astrologicae complectebantur vel nudas enuntiationes, vel recensioneſ fatorum instantium ſine adjectarum figurarum ſchemate; vel erant longiores & ipſo ſchemate domorum cœleſtium comitatae. Scripta ejuſmodi nomen **כִּרְבֵּל** tuliffe, quiſ ambiget? Hæc intelligentiæ ac ſapientiæ fatidicæ orientaliſ pars eximia in cenſum *γνώσεως* ſimul relata fuit, unde appellati fuerunt *Gnoſtici*. Qui *Plotinum* & errores primorum Hæreticorum curatius inſpexerit, eum hæc / quæ dixi, trahent ad ſuffragia benigniora. Ex rationiſ ac doctrinæ Divinituſ patefactæ fundo erui non poterant elementa astrologiæ judiciariæ. Nihil igitur reſtat præter originem, ex placitiſ & ex enuntiatiſ ad arbitrium adſumtiſ deductam, ſiquiſ ſcire ayeat, cuiam fundamento astrologia illa divinatoria & fatidica fuerit ſuperſtructa. Niſi vehementer fallor, incifa 11, 12 & 13. lucem jam ſœnerari hiſce & hinc recipere poſſunt. Addam interpretationem chaldaicam *Jonathaniſ*, quæ ad verbum fere codicem hebræum ſequi ſolet. En illam: *Inde erit vobis divinatio fatidica, quantaquanta eſt, inſtar verborum ſcripti obſignati, quod homineſ tradunt perito ſcriptorum, ita dicenteſ: Lege, quæſo, hoc ipſum; dum ipſe reſpondet: Non poſſum, eo quod eſt obſignatum. Traditur porro ſcriptum illi, qui rudis eſt legendi ſcripti,*
addita

addita voce: *Lege, quæso, id ipsum, qui tamen, se imperitum esse ledtionis scriptorum, respondet. Et dicit Dominus meus. Hoc ideo fit, quod adpropinquat populus hic ipse ad me ore suo & ipsi labiis suis honorant me, quum animus eorum procul est a reverentia mei, & est reverentia eorum erga me quasi constitutio hominum, quam unus alterum edocuit.* Postrema, seu incisum 13, ab Alexandrino sic fuerunt reddita: *Et dixit Dominus. Adpropinquat mihi populus hic corpore suo, & labiis suis honorant me; cor vero eorum procul abfuit a me. Frustra vero colunt me, docentes constitutiones hominum, ἐπιγραμμα ἀνδρώπων, & docendi modulos, διδασκαλίας.* Enuntiatum illud, *frustra me colunt*, est thesis ex duobus prioribus subsumta ac juste deducta: Est expositionis causa hic insertum, & a Matthæo adprobatum. Quæ enim proxime & vere colliguntur ex thesibus biblicis enuntiata, ea pariter sunt Divino verbo adnumeranda. Si attendimus animum ad mentionem *adspæctus*, תוֹרָה v. II. indicatum,

& ea alicujus pensi habemus, quæ ad caput superius §. 9. adlata sunt, facile intelligemus, quorsum hæc tendant: nec dubitabimus, heic inciso sequenti Jesaiam potissimè eum respicere populum, quos inter תוֹרָה & תַּנְכְּׁמִין/spectatores illi astrologici, summo erant in pretio, qui belli flammam contra Hierosolymam suaserant, eique subdiderant faces.

Non adprobabat Deus istas nugas astrologicas, quin potius populum, earum confortem & studiosum, mirifice erat tractaturus iterum iterumque, pœnas in eum expromiturus, & contraria cuncta ei impartiturus & repugnantia vaticiniis spectatorum astrologicorum. Horum sapientia & intelligentia, vulgo ab eis sic dicta, erat peritura & in latibula ac scrobes abjicienda per irruptiones Regum Assyriæ, Tiglatpileseris & Salmaneseris, quorum ille regnum Israëliticum misere adfliecit, ac Damascum ditioni suæ subiecit; hic vero regno Israëlitico & Samariæ excidium & ultimam eversionem intulit. Ubinam tunc astrologis erat locus? ubinam ponebatur eis porro pretium? *Gnosis* falso jactata periit & ad nihilum fuit redacta. Jonathan: *Eapropter ecce ego pergam percutere hunc populum, percutiens illum, separans eum. Et peribit sapientia a sapientibus illorum, & intelligentia ab intelligentibus eorum & abscondetur.* Nervum hujus vaticinii adsecutus fuit *Alexandrinus*, dum tractationem illam Dei mirabilem & singularem magis exposuit dilucide, quam verbis ipsis in græcum convertendis inhæsit. En verba ipsa: *Propterea ecce ego pergam transponere populum hunc, μεταθεῖν αὐτὸν, & transponam ipsos & perdam sapientiam sapientum ejus & intelligentiam intelligentium ipsius abscondam.*

§. 15.

Divinatores, astrologi, pseudoprophetae & consiliarii Regum foederatorum, tanta circumspeditione & silentii accuratione adhibita, consilium suum de occupando regno Judah omnes celaverant, ut ipse Rex Achaz nihil magis existimaret incredibile, quam irruptionem illam sibi impendere. Nisi Deus clandestina illa compacta & consilia Divinitus habuisset comperta, ea non effluxissent in vulgus. Foederati os sublinebant Achazo, eique promissa de amicitia & pace servanda instillabant mellitissima, ea fini, ut hunc occuparent & everterent inopinantem. Inter haec laeti erant ipsi de securitate Achazi, ac sibi per silentium & fallaces suas pollicitationes gratulabantur. *Jonathan* scopum prophetiae sequi omisit, hanc commentatus interpretationem: *Item sunt, qui quaerunt abscondere consilium Jehovae, & sunt quasi in tenebris opera eorum, dicuntque: non est, qui nos videt; nec est, qui novit opera nostra.* Non erat Jehovae nomen consilio addendum. *Alexandrinus Interpres* illud omisit, qui haec habet: *Vae! qui profunde consilium faciunt & non per Dominum. Vae! qui in occulto consilium faciunt, ut sint in tenebris opera eorum; & dicunt: quis nos vidit? & quis nos cognoscet, aut quae nos faci-*

94. J. C. Harenbergii Commentatio

facimus? Existimabant Israëlicorum consiliarios primores, sese consilia sua adversus regnum Judah tantopere occultare, ut nequidem prophetæ Dei illa per Dei iudicium rescituri essent. Ipsi in profunda vallium & latebrarum se abdidisse destinationes sibi videbantur, ac mansuras putabant eas esse tam ignotas & occultas, ut ne Jehova seu propheta illius illas comperire & aperire posset. Nomen **מקום** denotat regionem, aliis humiliorum & profundiorum (c). Inde ei dicuntur **מקומות** / quialiquid occultum, profundum & abstrusum faciunt vel tentant, ut deinde id videatur magnum, admirabile & immensum, *Jes. XXXI: 6. Hof. V: 2. IX: 9. Alexandrinus* sensum generatim exhibuit, non vim & pondus notionis fuit adsecutus.

§. 16.

Propheta consiliarios ejusmodi, perverse agentes, qui nec Deum nec ejus genuinos prophetas reverebantur, peccare dicit in Deum, qui universa condidit, a hoc vel illo modo perstare jubet. Comparatio illa, a figula & luto desumpta, in sacris litteris (d) est admodum trita, indicans summam Dei libertatem

(c) RELANDUS in *Palæstina* I. 54. p. 354. f.

(d) *Jes. XLI: 25. XLV: 9. Jer. XVIII: 6. Rom. IX: 21.*

tem & in res creatas dominationem, a nullo alio circumscribi solitam, nec ullis obnoxiam impedimentis. Consiliarii, fœdus concilians ad opprimendum regnum Judah, cum luto conferuntur, & ipsorum consilia comparantur cum ollis vasisque fictilibus, quæ facile frangi possunt. Qui hanc Dei in consilia humana potestatem sibi ob oculos non ponunt, in ejus potentiam & dominatum peccant, & sese dominatui Numinis supremi revera & facto ipso subducunt. Illud **הפנתם** *evertere vestrum, subvertere vestrum,*

denotat illam everisionem regni Judah, quam fœderati Reges (e) moliebantur. Quærit propheta, an hæc destinatio sit æstimanda, ut lutum figuli, ex quo fabricator, secus cogitans, effingere possit vas ejusmodi, quod a destinata forma abhorreat. Hoc reipsa eventurum, prænuntiat propheta (f). Illa subversionis .notio adhæret verbo **הפנת** in multis locis, e. g. *Gen. X: 29. XIX: 21. Jud. VII: 13. Job. XII: 15. 1 Chron. XIX: 3. Prov. XII: 7. Amos V: 8.* Ad everisionem Sodomorum ac Gomorrhæ significandam illud verbum adhiberi, nemini est incompertum. Subversionem regni Judah expetebant consiliis votisque amici & primores Regum fœderatorum.

Exi-

(e) *Jes. VII: 6.*

(f) *Conf. VII: 7. VIII: 10.*

Exitus destinationis inciso sequenti nūntiatur. - Liceat subjungere interpretationem *Jonathanis*. En eam: *An ad mutandum opera vestra petitiones & postulata convertitis? Ecce ut lutum in manu figuli, ita a me estis aestimati. An fieri potest, ut dicat lutum ad eum, qui ipsum fecit: non fecisti me; & id, quod creatum est; creatori suo: sapientiam non adbibuisti mihi?* Ad verbi **הבין** notionem, contextui attemperandam, hæsit & imbecillitatem judicii sui prodidit. *Alexandrinus* subversionis seu everisionis mentionem prorsus omisit, absteritus indubie interpretandi difficultate. Statim enim incisum hoc ita inchoavit; *Nonne sicut lutum figuli reputabimini? An dicit formatum ei, qui id formavit: non tu me formasti? aut, quod effectum est, illi, qui fecit: non perite me fecisti?* Verbum **הבין** non ejus persona tertia, ab utroque interprete satis bene redditum fuit (g).

Ad destinationem everisionis vulgo non respexerunt interpretes. Exemplo sit interpretatio *SEB. SCHMIDII*, quæ sic habet: *Subversio (vestra) est: num sicut lutum figulus reputabitur? (Num) dixerit opus de factore suo: non fecit me; & figmentum de figulo suo dixerit: non intelligit?* Hæc mihi videntur obscuriora. Sententia *Jesaiæ*, siquid video,

(g) **הבין** est intelligendum dedit, attendit, considerationem adbibuit.

video, hæc est: „ Omnino everſio veſtra
 „ quam regno Judah intentatis, majoris pon-
 „ deris effectusque non erit, quam lutum
 „ figuli, quod vim effectricem non continet,
 „ ſed a figulo demum, effectore & fabricatore,
 „ formam eam recipit, quæ figulo probatur.
 „ Conſilium & deſtinatio veſtra, inſtar luti, ab
 „ aliena & potenti manu ſic fingetur & for-
 „ mabitur, quemadmodum non luto ſeu vo-
 „ bis volupe eſt, ſed ſicut Deo ſalubre vi-
 „ debitur. Veſtrum non eſt, hujus manui
 „ atque gubernationi quicquam opponere
 „ vel obgannire. ” Generatim in eo con-
 „ veniunt univerſi, qui Hermeneuticam ad
 „ ſcripta prophetarum traducunt, non Gram-
 „ matices ſolius præcepta ſufficere, ſed pro-
 „ grediendum eſſe interpreti porro ad histori-
 „ am, auctoris ſcopum, antiquitates rituum,
 „ geographiæ præſidia, & ipſum cælum
 „ ſolumque Palæſtinæ, in numero eſſe ha-
 „ bendum.

§. 17.

Exiguo abhinc tempore, ſic pergit pro-
 pheta, denuo ſupputatio inibitur, qua erunt
 pacata rurfus omnia, & concertationes,
 quibus turbantur omnia, quieſcent. Liba-
 nus, Carmelus, & Jaar urbs tunc pares erunt
 pretio & fertilitate. Tritum in Palæſtina
 fuit id proverbij ſeu dictionis genus, quo
Bibl. Hagana Cl. VI. F. I. G status

status publici tranquillitas descripta & expressa fuit ita: *Libanus est respectu Carmeli, ut Carmelus, ratione Jaar habitus, aestimatur.* Formula dictionis fere eadem redit c. XXXII: 15., ubi contextus orationis statum tranquillitatis publicæ dilucide prodit. *Jonathan* non abhorret ab interpretatione mea, hæc habens: *Nonne adhuc pusillum (b) quasi minutissimum, & redibit Libanon, ut sit sicut Carmel, & Carmel multis urbibus habitatus?* Notus est ille idiotismus hebræus: *redit & facit, pro denuo facit.* Sic *rediens aestimabitur* idem est ac *denuo reputabitur.* Ad vero non omnes fortasse exploratum habent, urbem *Jaar*, יאר esse Kirjath

Jearim, Res ipsa patescit ex *Pf. CXXXII: 6.* ubi fit mentio de arca fœderis, ex urbe Kirjath Jearim ad arcem Zion transportata. A silvis adiacentibus nomen urbi hæsit, quæ erat in tribu Judah ultima versus occidentem, in limite tribus Benjamin (i). *Alexandrinus* nomen *Jaar* in *silvam* mutavit, hunc in modum: *Nonne exiguum breve, restat tempus, & transferetur Libanon in montem Chermel? & mons Chermel reputabitur in locum silvæ? eis δευμὸν λογισθήσεσθαι; COTOVICUS (k); MAUNDRELLUS, DELA ROQUE, RELANDUS, & ante hos omnes*

JOAN-

(b) יאר מעט מעט עיר *Jes. X: 25.*(i) RELANDUS in *Palæstina* l. III, p. 725.

(k) I: 18, 19.

JOANNES PHOCAS (1), copiose descripserunt montem Libanon, a Tripoli ad Sidonam procurrentem, ac cedros, cypressos, pinus, frugiferasque ejus herbas dilaudant. Carmeli fecunditatem laudibus prosequitur JOACOTOVICUS (m). Silvæ autem ad Kiriath Jearim patuerunt usque ad Idumæam per Judæam montanam. Urbs *Jaar* simul notat silvam adeo amplam. Pacata igitur fore universa per tractum omnem maritimum, per Cœlen Syriam, Phœnicen, Israëlidem & Judæam propediem, significatur formulæ dictionis pervulgata. Silvam illam permagnam ignoraremus, nisi urbem *Jaar* haberemus cognitam seu *Kirjathjearim*, urbem silvarum.

§. 18.

Tranquillitate restituta evigilabant pii libereque loquebantur, qui antea quasi surdi ac cæci debebant videri. Enuntiata enim, ut hoc quoque addam, alia ad rem ipsam ejusque veritatem congruunt, alia ad vulgatam hominum opinionem sunt accommodata. Secundum alteram enuntiatorum indolem Paulus disseminatum a sese evangelium adpellat stultitiam, 1 Cor. I: 23. Cui-
G 2
nam

(1) l. II. c. 14, p. 6. f. Symmilton *Legnis Allatii*.

(m) l. I. c. 20. p. 118.

100 J. C. Harenbergii Commentatio

nam isthæc sunt ignota: *Quis est cæcus, nisi servus meus, & surdus, ut nuntius meus, quem mittam?* *Jes. XLII: 19.* Talis erat non ipsa, sed ex opinione & fama procerum inimicorum. Geminam hanc enuntiatorum formam solide ostendit & illustravit JAC. GAILLARD (n). Antequam effunderent sese fœderatorum Regum calamitates bellicæ, pii, quotquot supererant, incolæ & prudentes, qui procerum exempla, miscentium Divinæ cum sacris extraneis præscripta, haud adprobabant, tacebant surdorum instar, & siquid monerent sani, cæcitatibus nota adiciebantur. Quum enim regio sese in calamitates est præcipitatura, sanis consiliis judiciisque virorum, probitate & prudentia insignium, non relinquitur locus: audiuntur modo adplaudentium sententiæ, qui summatibus blandiuntur, minus solide rationes putantibus: & eis pretium ponitur, qui fucum, non medullam, sapientiæ suis primoribus blando orationis modulo exponunt. Seria & solida, quæ videntur non fatis esse recentia, repudiantur. Homines enim, qui gallice adpellantur *modernes*, habentur soli tum rerum gerendarum periti, tum ad consilia suppeditanda apti, eo quod vanitati magis litant & plus ventosæ artis habent. Ita reliqui, rectius cogitantes

(n) *La Genealogie de Jesus Christ Matth. I: 1. s. Luc. III: 23. s. p. 161. s. à Leide 1683. 2.*

tes & clariorem lucem nacti, contenti esse debent obscura sorte sua, eique sese taciturni involvunt, ne se eant prorsus perditum. Eadem ludebatur fabula ævo Jesaïæ. *Jonathan* concise: *Et audient tempore illo, qui quasi erant surdi, verba libri prophetici, & ex tenebris atque ex caligine oculi cæcorum videbunt.* Libellus quivis propheticus, vaticinium singulare complectens, **כִּסְפֵּי** seu liber adpellari solebat. Hoc vero vaticinii hujus scriptum, Divinitus cum eventu postea concinens, avide a viris Dei studiosis diligenter & cum gaudio, obsidione soluta, lectum & animo volutatum fuisse, quis ambigere conabitur? Surdi sunt etiam muti, nec aliis respondere ad quæsitâ possunt. Hoc est in caussa, cur Hebræi eundem defectum soleant plerumque vocabulo eodem declarare. Pios prudentesque viros sæpius oportet esse *surdos*, vel ob damna gravissima a superbis præpotentibusque ingeniis perpetienda, attamen vitanda, quoad eorum inviolata conscientia fieri potest; vel quia nemo ipsorum consilia expetit, atro quippe carbone a vanitatum magistris notata. De hisce *surdis* mentionem *injecit* Jesaïas. Soluta obsidione, solvebantur surdorum aures & linguæ. Illæ ad securitatis & vanorum consiliorum nebulas & susurros fuerant clausæ; hæ potentiorum judiciis malesanis contradicere, immo hiscere

ingratiis eorum, non fuerant ausi. Quos antea opinio & fama auctoritatis ad cæcitate[m] damnaverat, eosque nil cernere, nil ad salutem perspicere, vulgaverat, hostibus dilapsis & angore obsessorum sublato, ei dicebantur tandem solida amasse consilia & ceteris fuisse perspicaciores. Fama virorum optimorum subinde deprimitur a nugatoribus; & postea Divinitus vindicatur: *Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim.* Virtutis enim magnitudo nonnisi per gradus patientiæ & æris triplicis circa pectus, improbitati obluclatum, crescit & ad fastigium anhelat.

§. 19.

Qui contumelias, damna, & injurias patienter toleraverant, lætitiã recipiebant, & egeni ac per obsidionis mala, quibus omnia indies facta fuerant arctiora, ad incitas redacti reviviscebant, & in Domino, in Sancto Israëlis, liberatore suo, præ gaudio exultabant. Jonathan: *Multiplicabunt, qui injurias susceperunt & pertulerunt, per verbum Domini lætitiã, & egeni filii hominum per verbum Sancti Israëlis ירעו* fervore quodam erumpunt, & alacritate superfusa feruntur. Sanctus Israëlis adpellatur Messias. *Verbum Domini, מיכא* est Deus ipse, nec semper Messiam indicat (o).

Alexan.

(o) JO. CHRISTOPH. WOLFFI *Bibliotheca hebræa tom II*
l. VI. c. 3. §. 4. p. 1185. f.

Alexandrinus interpres: *Exsultabunt pauperes per Dominum in mentis signitate ac moderatione, in ευφροσύνη, & spe destituti ἀνυπαρμητοί, inter homines, & Israël implebuntur gaudio (p).* Illud καὶ Ἰσραὴλ, quod in codice Alexandrino legitur & a Romano abest, arguit librarii defectum in scribendo. Videtur enim olim hoc καὶ heic haud fuisse lectum. Hebræa verba, quoniam hoc loco nullam habent difficultatem, interpres initio videtur scripsisse: *in ἀγίοις Ἰσραὴλ, in sancto Israël seu Israël.* Illud *in Ἰσραὴλ* posset etiam suffecisse, siquidem diu est, quum Judæi Messiam vocarunt (q) *Israel.* Vicissitudo rerum hæc lætissima dicitur, intra paucillum temporis exoritura. Repetenda enim sunt priora questionis verba ex inciso præcedente.

§. 20.

Adjungitur ratio maximi momenti, cur afflicti & inopra onerati sit gaudendum. Exponitur ea inciso 20 & 21 ita, ut enumerentur gradus paupertatis hominibus illatae. Hanc terris infundunt **בְּעָרְוָה** / *viri violenti*, qui

- (p) Ita sensus verbi **בְּעָרְוָה** quodammodo expressus fuit. De potestate ejus verbi consulendus ALA. SCHULTENS *Origin. hebr. c. I. §. 23. p. 71. f.*
 (q) LXX: *Jes. XLIX: 3.* THOMAS BOSTON in *Tractatu stigmatico hebræo-biblico.*

qui maluit metui quam amari: *irrisores* verbi divini & eorum, qui id nuntiant. Augent malum, qui invigilant iniquitati & pravitati exercendæ, præctice athei. Amplificant lernam malorum, qui alios & verbis & exemplis ad peccata adducunt, trahunt, impellunt. Increfcit miseria egenorum, si iudices forenſes nequeunt ferre eum., qui ipſos iniuſtitiaæ arguit & convincit. Extremus malorum gradus eſt, ſi ei, qui auctoritate polent & judiciis præſunt, id pro ſymbolo delegerunt: Hoc agamus, nequis tenuium & inopum quicquam habeat. Hiſ interſtinis malis & peſtibus laborabat forum, in portis agitari ſolitum, idque iurisdictioni deputatum, quum Jeſaias vaticinium hoc publicaret, non ſolum in regno Iſraëlitico, ſed in ipſo etiam regno Judah ejuſque urbe primaria (r). Cylindro igitur, poſtello triturante, baculo excutiente, obſidione, depopulatione regionum, ipſoque vento typhonico, glumas purgante & auferente, opus erat, ut violentia coërceretur, ut male parta & extorta diſſiparentur bona, ut obex primoribus, injuriarum exercendarum ſtudiolis, poneretur, & ut adſiſtis liceret respirare, quorum ſpiritus fuerat intercluſus, aures defatigatae, os clauſum, manus quaſi poſt tergum revinctae, & vires prorfus ſufflamina-

tæ.

(r) Jeſ. X: 1. ſ. III: 14, 15.

ta. Sic Deus tandem improbos punit & miseris consolatur! Ad vocabula nunc parum videtur esse commentandum. עריצים sunt homines præpotentes, duritiei actionum deditissimi, ad alios terrendos & obterendos propensi, ad id, quod ipsis adversatur, frangendum atque tollendum apti nati. *Alexandrinus* nomen ἀνομιος eis imponit hoc loco. At עריץ tantumdem ei valet *Jes. XLIX: 25.* ac ισχυρον, *validus, robore pollens, & Jer. XX: 11.* ισχυρος, *fortis.* Apud Ezechielem c. XXVIII: 7. זרים וְעריצים גוים sunt in LXX ἀλλότριος λοιμοὶ ἀπὸ ἐθνῶν, *extraneæ pestes ex gentibus.* Ultima duo nomina repetuntur utrimque *Ezech. XXX: 11.* Ex hisce exemplis intelligitur, *Alexandrinus* ad contextus indolem magis respexisse inter interpretandum, quam ad notiones nominibus infixas, quarum una solet esse scaturigo reliquarum specialiorum. Is, qui verba flectit torquetque, & vultum irrisioni exercendæ adplicat, adpellatur לץ

irrisor. Ps. I: 1. CXIX: 51. Prov. I: 22. IX: 7, 8. III: 54. XIX: 28. Alexandrini hoc loco. ὑπερήφανον, *superbum*; alii alia vocabula, habent. Quos Jesaïas vocavit זקרי לא / *vigilantes & imminentes iniquitati,* *Alexandrinus* adpellavit ἀνομῶντας ἐπὶ κακίᾳ, *non congruenter legi agentes cum malitia,*

mis generaliter. Verbo Hebræo inest notio *vigilandi, agilitatem & gravitatem adhibendi, festinandi*. *Esr.* VIII: 29. *Jer.* XXXI: 28. Vocabulo פֶּחַח in hæret notio *defectus & rei*, quæ reverà physiceque est, *vanitas & nihil*, quemadmodum idola. *Jes.* XLI: 29. LXVI: 3. Inde defectus moralis, iniquitas, & a lege aberratio vocabulo eodem significatur *Pf.* XCIV: 23. VII: 15. *Num.* XXIII: 21. 1 *Sam.* XV: 23. *Prov.* XXX: 20. Melius itaque græce interpretamur illa duo vocabula hebræa per ἀγρυπνῆτες ἐπὶ ἀνομίᾳ. Qui ab his improbis hominibus vexabantur & injuriis adiciebantur, erant potissime עֲנִיִּים & אֲנִינֵי אָדָם. Per illos designati sunt *adflitti, humiles, animo depressi, vacuique*, qui procerum violentiæ non audent resistere, mala inflicta patienter ferentes. Per hos significantur *homines, opem & quæ ad vitam necessaria sunt, expetentes & avide desiderantes*. Nomen אָדָם adjectum paupertatis indicio, vel vocabulo אִשִּׁי (s) oppositum, notat *quomvis hominem abjectæ miseræque sortis*. Unde mihi fit verosimile, Ezechiëlem dictum fuisse בֶּן אָדָם ab hominibus, eum minoris habentibus, nec ei nomen *hominis Dei seu prophetae* indulgentibus, ipsumque Jesum a Judæis, arrogantia plenis, appellat.

pellatum fuisse *hominem*, scilicet (t) *ex vulgo*, *filium hominis*, vilemve virum. Ezechiël & Jesus illam adpellationem non reformidarunt, ut se ab omni fastu remotissimos esse, publice declararent & contemtores modeste increparent. Hæc est mea conjectura. Judices etiam, violentia & injuria in judiciis forensibus usos, increpat propheta, quippe qui pectus induraverant ad preces supplicum, quibus deerant opes & potentia: qui justorum causam reddebant irritam eosque lite cadere sinebant non solum, sed etiam, ut ita eveniret, nulli operæ parcere consueverant. Dicuntur ipsi fecisse, ut *justi causa*, utique *justa*, recideret לַתִּוְהוּ

in *inanitatem* & pro nulla (v), pro re prorsus pensi nullius, reputaretur. Deus igitur, jure talionis usus, eos jussit desinere, dejici, munus amittere jurisdictioni adstrictum, immo ipsos solum vertere per Regem, paululum temporis resipiscentem & salubriorem sequentem.

§ 21.

Domui familiæve ac posteritati Israëlîs jam olim memoria Abrahami fuerat recolenda,
pro-

(t) *Plinius Secundus: Unus e multis.*

(v) לַתִּוְהוּ est res, quæ additur nihili æstimationibus
Jes. XL: 17. 22. XLI: 29. XLIV: 9.

progenitoris quippe communis, quem Deus ex idolorum domicilio redemerat, & ex variis fortunæ adversæ eripuerat casibus. Qui genuino Numinis cultui religioso, quem Abrahamus, e patria egressus, & Jacob professi fuerant, studiose addicti erant, præsidio Dei poterant confidere. In imitatore Jacobo, obsidione Urbis soluta, cadere non debebat pudor vel ignominia. Ille Jacobi imitator intra & post obsidionem fidus Deo perstabat & in Eo erat quietus, & adeo tranquillus, ut vultus ipsius non contraheret pallorem ex metu & rerum vicissitudine, qua proceres injusti & irrisores prophetæ, e fastigio auctoritatis dignitatisque suæ prolapsi, pudoris & palloris molestias perpetiebantur atque temeritatis suæ dabant pœnas. *Jonathan incisum 20 & 21. sic fuit interpretatus: Nam desit is, qui alios angustiis premebat, & discessit depopulator, & desierunt omnes, qui mane surgebant ad bœresin suam idololatricam. Qui obstringebant filios hominum verbis suis & erga increpantem ipsos in domo iudicii intra portam, ea, quæ legi erant consentanea, requirentem, offendiculo exponebant & innocentes declinabant per fallaciam iudicii. Pergit sic Jonathan v: 22. Quæ quum ita sint, ita dicit Jehova ad domum Jacobi, qui redemit Abrahamum (v): Non ex hoc temporis articulo pudefient, qui de domo Jacobi sunt, nec*

es

(v) RASCHI: Ex Ur Casqbdm.

es hoc temporis puncto vultus eorum immutabuntur. Alexandrinus incisa 21 & 22, reddidit ita: Illi, qui alios peccare faciunt peccare verbo, omnes vero increpatores in portis pro offendiculo habebunt (instar offendiculi ponent), & per fallaciam justum injustis adnumeraverunt. Propterea hæc dicit Dominus ad domum Jacobi, quem segregavit ex Abrahamo: Nunc non pudefiet Jacob, neque nunc faciem suam mutabit Israël.

§. 22.

Quamprimum genuinus Jacobi imitator videbat natos suos, opus manus Dei, inter sese, Deum laudaturus erat quisque ipsorum, ejusque nomen maximi faciebat & prædicabat, ac venerabatur Sanctum Jacobi, & Deum Israëlitis metuebat, eo eventu, ut, qui animo aberraverant, intelligentiam susciperent, & ei, qui antea adversus prophetam ejusque vaticinia murmuraverant, disciplinam & doctrinam, prophetæ probatam, & olim Divinitus acceptam, discerent. Ita calamitates possunt homines flectere, superbiam domare & ad saniora consilia circumagere, dummodo ipsi nondum penitus callum obduxerint. Quum verò illa ad salubriores cogitationes reditio paullo post rursus intercederet, & Rex idololatriam denuo admisceret doctrinæ Divinitus traditæ, in novas in-

cidit

cidit molestias bellicas, & Rex uterque hostis ab integro regnum Judæ vastare & Acha sum afflictere non omisit. Revirescenti peccatorum auctoritate redintegrantur pœna & publicæ calamitates. Qui nostrum tempus indole temporis, quo legatus Dei Jofaias floruit, metiuntur, Deum quidem eundem ubique Dominum orbis terrarum se præbuisse deprehendunt; attamen Theocratiam fuisse genti Jacobidarum propriam vernerentur necesse est. Juvat tandem ad *Jonathanis* interpretationem adpellere animum, eamque dare in latinum conversam. En illam: *Nam cum videbunt opera, potentiam spirantia, quæ filiis ejus (Jacobi) effectui dabo, benignitates Abrahami posteris ejus post ipsum, in regione sua, inter ipsos sacrum declarabunt nomen meum, & sanctum prædicabunt Sanctum Jacobi, ac Deum Israël venerabuntur potentem, ac obtinebunt, qui non sunt instituti, spiritum intelligentiæ, & qui dicunt, [non] omnes isti suscipient doctrinam.* Mallem, non legeretur heic negandi formula. At nihil muto in interpretatione satis obscura. Adjungo hoc tantum, subaudienda esse hæc fortassis in fine: *obtinebunt spiritum intelligentiæ*, ut sensus sit & indicetur, eos, qui recusaverint antea doctrinam indoctis instillare & obmurmuraverint eis, qui cum his eam voluerant communicare, quasi hi eam suscipere vel

con

concoquere nequeant, quoque ipsos imbutum iri spiritu intelligentiæ, nec eum rudibus & indoctis denegaturos vel invisuros esse, certe debere intelligentiam excipere, nec aliiis subtractam seu denegatam velle. Ad vocabulum *דגל* ingenium non videtur satis adpulisse *Jonatban*, quo ei denotantur, qui antea mussitaverant ac invicem susurraverant contra vaticinium prophetæ, nec ei fidem habere haberique volebant, sed potius artes suas divinatorias & consilia clandestina efferebant laudibus. Hi, exitu rerum convicti erroris sui, debebant ad frugem redire, oracularia sua pronuntiata respuere, & doctrinam avitam, olim Divinitus acceptam ac postea propagatam, amplecti solam, & Dei legis fidem non detrahere. Ad Jacobi posteros sinceros (x) hæc direxit Jesaïas, non ad eos, qui Jacobi indolem & intaminatam in solum Deum, creatorem universi terrarum rerumque obviarum orbis, fiduciam animo haud adservabant, atque in cultum Dei religiosum, Hierosolymæ vigentem, conversionem inferre adgressi erant. Oblique propheta pungit cives regni Israëlitici, qui se *domum Jacobi* adpellabant, ut ex Amoso intelligitur, & qui Jacobi doctrinam & integritatem tamen dudum deseruerant, ac commentis superstitionum ethnicarum mirum in modum

(x) Ut *Jes.* XLIII: 1., 22. XLI: 20. 8. XLIV: 1,

dum commaculare malebant, paucis exceptis, qui a sacrificulis Regibusque Israëlitis haud raro premebantur, & insectationibus adfentatorum aulicorum expositi erant. Interpres *Alexandr.* utrumque incisum sic reddidit: *Sed quum viderint filii ipsorum opera mea, propter me consecrabit nomen meum, & consecrabit (y) Sanctum Jacobi, & Deum Israëlitis timore prosequentur. Et cognoscent, qui spiritu aberrabant, intelligentiam, murmurantes vero, γογγύζοντες δὲ, discent obedire.* Additamentum, quod vulgo hisce est subjectum, glossema est, olim a quopiam in margine notatum, quod *Origenes* jam olim voluit abesse. Videtur omnino *Jesaias* docuisse *Israëlidas*, ipsos nunc tandem debere ad veri Dei cultum religiosum redire, & hunc, ad exemplum *Jacobi*, quem prædicent gentis suæ conditorem, revereri, hunc metuere (z), hujus ad cognitionem accedere, & a mûssitationibus ac clandestinis fœderum cum extraneis initorum machinis abstinere, quum visuri sint exitum consiliorum suorum occultorum inanem, sùgamque tumultuariam exercitus utriusque, quem Deus ab tentata Hierosolymorum obsidione

vento

(y) Ἀγιάρωσι.

(z) Terrorem enim ipsis proxime erat vehementem intussurus, Hierosolymam obsidentibus. Hujus tertotis causam debebant ad Deum auctorem referre, nec eum ad vindictam denuo irritare. *Jes.* VIII: 12, 13, 14. 2 *Reg.* XV: 28.

vento procelloso, urente & radente, & grandini commixto, prope diem sit submoturus. Futurum tempus heic est imperandi in modum substitutum, ut in decalogo & alibi in hebræo codice factum est. Nostri etiam, dicturi idem ac Latini, *Ne fac istud*, formulam dictionis adhibent, *Du wist ja das nicht thum*. Hanc regulam si curæ cordique habeamus, multa removimus in prophetarum lectione impedimenta, nec id pro vaticinio venditabimus, quod in eum numerum referri non potest. Ut usum hujus regulæ huc transferam, id in causa est, quod Israëlida, rejecti ab obsidione Hierosolymorum, non resipuerunt (a), nec (b) exemplum Abrahami sunt imitati, qui, idololatriæ nuntium missurus, patriam potius alibi delegerat, quam ut altrolatriam & ignis cultum religiosum continuaturus (c) esset. Non redierunt ad frugem Israëlida, dispulsi ab Hierosolymorum obsidione, sed, novis susurrationibus usi, conata denuo haud ita multo post resumerunt, & exercitu suo, quem separaverant a Syrorum copiis, quæ seorsim in regnum Judah irrumpebant, regnum Judah hostili animo ingressi sunt, ac Hierosolymam instaurata cinxerunt obsidione, denuo vi Divina

(a) Jef. IX: 12. f. VIII: 15.

(b) Jef. VIII: 29. IX: 6. 11. 1. 2.

(c) Jef. XLI: 9.

114 J. C. Harenbergii Commentatio

vina repellendi. Tanta hominum miseria est, ut alter alterum infestare haud omitat. Tanta Dei est sapientia & justitia, ut peccata plectat & peccatores coërceat, ne æternum pereant: ac ut ex pœnis ipsis prodire jubeat id, quod in universitatis reparationem moralem redundat, licet digitum Dei vindicem & rectorem nolint mentes hominum cæcæ & occalescentes agnoscere & venerari, malentes stirpitus interire, quam pace frui ac conservari.





III.

JACOBI CREMER, J. I. F.
OBSERVATIO EXEGETICA

in

PSALM. XXII: 21.

COLLATO

EVANGELIO JOANNEO,
CAP. XIX: 31 — 37.

§. I.



Accedit jam ad biennium, quod mihi, in munere, quod reliqui, Ecclesiastico *Lerodamensi*, explananda incumberet illa maxime memorabilis sane Pericopa, ex Historia perpeſſionum Domini noſtri & per-

H 2

fecti.

fecti Servatoris JESU CHRISTI, quae super-
 scripto loco *Joannea* reperire est. Summa
 difficultas, qua eandem premi jam olim sen-
 feram, orta ex simplici *Crurifragio*, quod
 Interpretes plerumque ibi notare solent,
 quod vero ad mortem celerrime accer-
 sendam minime idoneum & sufficiens habe-
 ri potest, me tunc temporis quam maxime
 detinebat. Ipsi Medicorum filii me scisci-
 tantem docuerant, ne conditionem quidem
 corporis, de ligno pendētis, tale *Cruri-
 fragium* magis lethiferum efficere potuisse;
 saltem non eo gradu, ut crucifixi, post
fracta crura, sine mora deberent expirare.
 Nec audiendi omnino hic PLINIUS & NONNUS,
 GERHARDO citati. Ab altera parte hoc qui-
 dem extra omnem dubitationis aleam erat
 positum, quod mors ocissima, æque ac
 atrocissima, fuerit omne punctum, in quod
 postrema hæc molimina *Judaorum* in JESUM
 vivum collineaverint; partim, ut supersti-
 tiosæ interpretationi Legis, *Deut. XXI: 22,
 23.* satisfaceret, partim, ut per recens cru-
 cifixos summæ religioni & sanctitati se-
 quentis Sabbathi magni nihil decederet. Er-
 gone, sic mecum reputabam, *Judaorum*
 furor in vesaniam abierat; ut suæ ipsorum sen-
 tentiæ contrarii, novam tantum pœnam
 suffixorum a *Romano Prætor*e efflagitarent,
qua iuvita eorundem vita totum Sabbathum su-
 pera-

perare valuisset? Utrum eorundem obitum accelerare illis plane non erat propositum? Neutri véro harum cogitationum calculum addere poteram, neque in alterutra acquiescere volebat animus. Alterius ratiocinia, mihi sæpius & publice & privatim auribus usurpata, multo adhuc minus erant ad palatum, scilicet: non modo *Crurifragium* expetitur adhibitumque fuisse, verum violentam contusionem & contritionem omnium ossium corporis, maxime costarum anteriorum, & quicquid præterea hujus solidissimi membrorum generis pectora tegebat. Etenim τασκελη, seu, uti apud omnes *Græcæ* linguæ Auctores & Doctores in confesso est, *Crura* carne & cute adhuc vestita, eademque corporum vitali aura & motu nondum destitutorum, hæc, inquam, *Crura* tam facile in σκελετον mutare, potius ad nodi sectionem, quam solutionem accedere videbatur.

§. 2.

Alia proinde via mihi erat quaerenda. Nec diu latitabat. Resumto enim & paulo accuratius pensitato postremo hoc *Judæorum* in rejectum ipsis & spirantem adhuc *Messiam* conamine, cum omnibus suis περιεσσοσι, nec non in subsidium vocatis *Romanorum* moribus, crucifixos ipsorum spectantibus, sive ad mor-

tem eorundem tardandam sive maturandam, mihi persuadere cæpi, *Judaicam* istam supplicationem, PONTIO PILATO expositam, comprehendisse denuo pœnas duas, alteram summe dolorificam, alteram vero lethiferam: non autem, ut plerique autumant pœnam unam, ad crucifixos letho dandos, deinde sepeliendos. Quid enim auditu lectuve vulgatus, quam: *Judæi regarunt Prætorem, ut ipsorum (crucifixorum) crura frangerentur, ipsique tollerentur de cruce?* Nemo autem hætenus adscititia hæc duo vocabula *de cruce* in textu Evangelico legit; quapropter, ut omnino rejectanea, rescanda sunt, nec unquam, vel in Paraphrasi permittenda. Alia enim restat interpretatio, & longe melior insertio, pluribus quoque jam notata, quæ sic sonat: *tollantur e medio, vel de vita.*

§. 3.

Nihilominus, quod mirere, postremam Versionem observantes & probantes Exegete, non converterunt illam in usum adeo necessarium, quem illis potuerat & debuerat præstare. Nonnullos forte plane fugerat supra memorata difficultas, quæ me tantopere premebat, ut in initio significavi, nempe de *crurifragio simplici, ad mortem subitam consciscendam inepto.* Sed hoc meâ
pa-

parum refert, & quandoque bonus dormitavit HOMERUS. Dictus autem scrupulus mihi plane exemptus est, postquam fortio-rem illum verbi usum *αιρειν* in usus meos probe convertere didicissem. Actum agere nolo, aut pridem jam satis adstructam significationem denuo confirmare. Consulat de illa dubius τὸς O *Jes.* LI: 13. & MARCUM, *Evang. Cap.* XVI: 18. & ibi KEUCHENIUM. Notabilis videtur locus I *Maccab.* V: 2. *και ἰβυλευσαντο τε ἀραι το γένος-ἃ ἤρξαντο τε θανατην ἐν τῷ λαῷ ἃ ἰξαιρειν.* Conf. etiam *Luc.* XXIII: 18. *Job.* XIX: 15. *ἀρον!* genus, *σαυρωσον!* species. Innixus tam certa hypothese de τῷ *αιρειν* e *mediis*, vel de *vita tollere*, id est, quovis modo *interficere*, habeo dudum persuasissimum, *Judeos*, sive *Græco*, sive alio idiomate, Præto-rem convenisse, & postremo suæ petitionis mem- bro revera indigitasse novum aliquod mor- tis genus seu vulneris lethalis, quo, post perpe-ssum *crurifragium*, Triga illa pendu- lorum conficeretur, illique supremum spi- ritum è vestigio efflare tenerentur.

§. 4.

Annunte PILATO, confestim *Golgotham* involarunt vel ipsi *Judeorum* Proceres, vel eorum pedissequi, vel aliquis Prætorii fatel- les, & carnificibus injunctum, ut crucifixis

crura frangerent & porro ipsos vitæ huic eriperent. Illi duobus Latronibus, hinc inde ad latera JESU CHRISTI pendentibus, novam illam ac plane sævissimam pœnam infligunt: abstinentes, ut videtur, a vulnere lethali, quod gladio, lancea, pugione, cultro, vel simili instrumento dari poterat, donec Medium illum Crucifixum eodem *crurifragio* plexissent, & ejus quoque dolores innumeros insigniter ita cumulassent. Aliter autem visum fuerat Judici omnium supremo, qui subductis Justitiæ divinæ rationibus, sibi satisfactum esse sentiens, Filio suo jam copiam fecerat vitam suam deponendi. Ringentibus forte adversariis, vel simulatam modo mortem suspicantibus, carnificum unus, lancea sumpta, latus JESU, crurifragio elapsi, tanta vi percussit, ut ipsas pectoris latebras transiret ferrum, & miserrimus ille, si adhuc vitæ aliquod residuum habuisset, eodem illico privatus fuisset. Neque putandum adeo, quod miles ipse ex mera quadam petulantia, & cadaveris, in gratiam *Judæorum*, violandi & proscindendi causa, hoc ipsi immane & supremum vulnus adegerit. Denique nullum mihi reitatur dubium, quin idem ille satelles, lancea insignis, vel alter & tertius ex carnificum quaternione, eodem modo latera & pectora Latronum petierint, eodemque crucifixos & crurefractos tandem

lejo

letho dederint. Moriendum enim ipsi erat, antequam instans Sabbathum solemnissimum inluxisset.

§. 5.

Robur tali conceptui hujus historiæ accedit ex *Romanorum* more, qui miserrimam vitam crucifixorum suorum & immanes eorum dolores cito abrupturi (quod tamen singularis favor censendus hominibus, qui mortem nihili, sed dolores tantum præcedaneos existimare solebant) eosdem *gladio vel lancea infodiebant*, quin etiam *fumo* excitato nonnunquam suffocabant, atque ita brevissime & minus dolorifice hac vita migrare jubebant. Illustris LIPSIVS, ex *Martyrologio*, de MARCELLIANO & MARCO *cruciaris*, hæc habet: *cumque transisset unus dies & nox, jussit ambos (FABIANUS judex) lanceis per latera verberari. (de Cruce l. II. c. 13.)* Alibi (id est, l. III. c. 10, 11.) *de hominibus morituris in cruce, non per ipsam, attulit, præter locum ipsius CICERONIS insignem, exempla Martyrum, & cujusdam Fumi-Venduli in cruce fumo necati, jussu Imp. ALEXANDRI: item, de iis, qui in cruce bestiis tum objiciebantur, tum exponebantur, qualem TERTULLIANUS, Leoni concessum vocavit: citat inter ceteros quoque MARTIALEM, de Laureolo canentem:*

H 5

Nuda

*Nuda Caledonio sic pectora præbuit Urso
Non falsa pendens in Cruce Laureolus.*

Sed hic modus erat crudelior. De POLYCARPO incombustibili per confectorem occiso per pugionem, capulo tenus abditum, legenda Epistola Ecclesiæ Smyrnæ in *Actis RUINARTI*.

§. 6.

Hiscæ prælibatis, nunc ad *Psalum* nostrum pergo. Nec iterum, post HOMERUM non unum, heic *Iliada* novam scribere lubet. Quem enim *Tilliani*, eumque secuti præmissive labores *Psalteriales* latent? quos inter, honoris causa, tantum nomino *Commentarium summi VENEMÆ*, *Frisiorum* decoris, nec non *Versionem Germanicam Novam*, concinnante J. D. MICHAËLIS, cum *Annotationibus brevioribus*, in usum, ut vocat, *indoctorum*. Sed neque convenit inter hos Eruditos, imo Eruditorum (absit invidia dicto) Duumviros, de subjecto *Psalmi*, seu de persona loquente, quam a capite ad calcem perorantem induxerit S. Vates. Posterior enim pollicem illorum Interpretum pressit, qui MESIAM esse, primo intuitu & directe, jam dudum contenderunt. Prior vero, scilicet *Celeberrimus VENEMA*, cum iis se facere profiteretur,

tetur, qui MESSIAM quidem non exclusum vel excludendum voluerunt, ast nonnisi oblique, & secundario sensu, hunc DAVIDEM Mysticum in censum vocarunt; omnia prius in DAVIDE proprio quærentes, & de eo singula pro virili exponentes; deinde, egregio temperamento, expulsam sibi MESSIAM revocantes.

§. 7.

Me quod attinet, fateor lubens, me jam pridem inclinasse in *Messianorum* (sic eos brevitatis ergo liceat vocare) sententiam. Nuperrime tamen, occasione data, repetitum examen instituens, & præ ceteris Clar. VENEMÆ rationes allatas ponderans, una sese mihi obtulit, quæ fere ferme, & quidem invitum (nihil dissimulandum) coëgisset ad sententiam mutandam. Etiam si enim, salva aliter sentientium reverentia, MESSIAM in veterum Prophetarum Oraculis rursari in deliciis habeam, inventumque semper gavisus fuerim; tamen non modo alteram semper aurem patulam servavi ratiociniis secus sentientium, nec semel in aliam me sententiam perducere sum passus; verum etiam jam publice nomen meum profiteor inter illos Bibliorum Interpretes, qui & vident & dolent innumeros illos abusus, quos, per seculum

lum ferme, prophetandi quidam zelus, & nonnunquam parum religiosus, peperit: & qui proinde prophetandi sobrietatem ore, more & calamo denuo inculcare satagunt. (a)

Hoc

(a) Ne quis autem ingenuam hanc Confessionem mihi vitio vertat, addendum putavi: me in *Profetiis Messianis* similem fovere opinionem, ac de *perpeſſionibus*, sicuti jam Belgis meis ante biennium quadantenus exposui in demonstratione ponderis *passionum CHRISTI Gethsemanitarum*. Hac autem occasione unum & alterum in perspicuo compendio exhibebo. Quemadmodum enim in *perpeſſionibus CHRISTI vicariis*, Divinam peccatorum extantiorum vindictam, & rigidam talionem, hic illic sole clarius & directe perspicere licet, alibi vero tantum indirecte & satis obscure, præter quæ loca ingens restat multitudo rerum circumstantium, in quâ talionem eandem aut vix aut frustra quæſiveris: Sic etiam se res habet in *Profetiis Messianis*. Sunt, & omnino esse debuerunt nonnullæ, licet non numero sed pondere graves, & in quas *Psalmum* nostrum omnino relatum velim, quæ primo intuitu & directe *Messiam* concernunt, quarum hic primum & unicum est Subjectum, & per quas illius Characteres exhibui debuerunt, æque ac Characteres *passionis vicariæ* per insignes illas taliones. Dantur porro Vaticinia Mystica, proin etiam obscuriora, eundem MESSIAM sub figuris rerum & personarum prædicantia, nec tamen superioribus leviora. Restabit denique numerus ipgens eorum, quæ cocceus & illius Affectuæ, magistro adhuc oculatiores & acutiores, eodem retulere, ast irritò plerumque conatu.

Hoc de me ipso quoque præmonendum censeo, ne quem subeat mirari, quod nunc plenius adjiciam, scilicet: mihi primo intuitu tantum valuisse unicam illam Cel. VERNEMÆ rationem, pro DAVIDE *Mystico*, non *primario*, sed *secundario* hujus Cantici *subjecto*, ut jam irrefragabilem eam, & nemini infringendam, mecum pronuntiarem, & de rationibus alterius Interpretum partis enervandis jam serio cogitare cœpisssem.

§. 8.

Sed quænam tandem est illa insignis Ratio, inquit L. B., quæ animum tuum eo usque perculit? Promam, & quidem ipsis verbis Clar. Commentatoris, ex *Anacrisis* in *Psalmum XXII paragrapho II*, qui est *Prolegomenon* ipsius VI. No. 3. ubi hæc scriptum: „ Accedit, miserum huncce morti „ proximum, non directe suam liberationem „ nem ex morte, sed ab ea supplicare, ne in „ eam incidat, sed in vita conservetur, vs. „ 21. *Eripe vitam meam gladio, & t manu canis „ unicum meam*, h. e. ne permittas, ut violenta morte occumbam, quod; qua ratione „ MESSLE directe conveniat; equidem vix „ perspicio. ” Quibus consona sunt, quæ porro exhibuit in *Paraphrasi* hujus *Versiculi*, §. XXVII. — „ festina ad auxilium meum, „ cum præsentissimum vitæ & spei discrimen „ men

„ men subeam; *eripe meam animam, unscam*
 „ illam, & omni ope & robore destitutam,
 „ cum ejus interitu spes omnes evanescent:
 „ *eripe*, ne carnificis manus violenta me
 „ afficiant morte — Verba in DAVIDEM
 „ nondum in potestatem hostium redactum
 „ exacte & directe quadrant; in MESSIAM non
 „ nisi sensu remotiore: CHRISTUS vere *gladium*
 „ hostis expertus, & violenta morte affectus
 „ est: quod DAVID hic directe, & primo
 „ sensu deprecatur. Quod enim nonnulli re-
 „ ferant ad mortem CHRISTI, antequam *la-*
 „ *tus* ejus lancea militis perfoderetur, ac si
 „ illud esset: *eripere animam gladio*, nimis re-
 „ motum & leve est, quam ut attentio-
 „ nem mereatur. Phrasis dicit: efficere,
 „ ne violenter per manum carnificis mo-
 „ riar.” Haecenus VENEMA.

§. 9.

Si hæc omnia & singula immobili nitantur talo, generosi non foret animi, ad sensum Viro summo denegare, & vel in ipsius partes secedere nolle, vel *Amyraldino*, aliove pejore adhuc modo, si non elabendi rimam quærere, saltem sensum *Psalmi* perturbare. Quid enim faciemus, utrum hunc *versiculum* 21. de DAVIDE, & v. 23. 19. aliosque de MESSIA interpretabimur, ut *Sal-muriensis* ille præcessit? an cum aliis, hono-
ris

ris causa non nominandis, ipsi a MESSIA tam alieno *Versui* ejusque phrasibus violentas injiciemus manus? Non placet, atque religioni duxerim.

Interea mansit hucusque nodus, saltem mihi, donec tandem se oggereret superior ille conceptus pericopæ *Joannæ*, de CHRISTO *latus percussus*, ne deliquium animæ, vel simile quid passus, modo semi mortuus de cruce tolleretur, deque commilitonibus ipsius eodem modo percussis, ac demum letho datis; idque omne accidisse ex mente *Judeorum*, qui sanguini & morti JESU æque ac superstitioni inhiantes, talia flagitaverant. Hinc novam lucem scenerare studui, &, nisi me omnia fallant, hunc scopum attigero. Sed alii judicent, non ego.

§. 10.

Eum in finem jam paulo distinctius mentem exponam. *Confessio lethalis*, quam *Judei*, meo quidem judicio, a Prætoře Romano rogarunt & impetrarunt, nulli supplicio crucis jam affectorum erat applicanda, nisi prævio *crurifragio*. Verum enimvero inter *Characteres Messiacos* & hic erat, quemadmodum JOANNES apprime monuit, vs. 36. *Os ipsi non conteretur!* multo minus ergo ambo *Crura*. Heic autem Judex CHRISTI Capitalis, internecivis ipsius hostibus permotus, ad utrumquè, tam *Crurifragium* quam
Con-

Confessionem letalem, ipsum una cum latronibus damnaverat, &, si accedentes carnifices ipsam modo anhelantem adhuc comperissent, nemo dubitaverit, quin tanto citius utrumque Domini sui mandatum in illo fuissent executi: quare MESSIÆ JESU omnino erat ante moriendum, nisi *Crurifragio* peracto, notam indelebilem *Pseudo-Messia* ipsi inscir inuississent adversarii, vel alio remedio inopinato, seu potius miraculo Divino, palam vel secreto operante, huic pœnæ fuisset eripiendus.

§. II.

Non enim hoc erat *leve*, quod pace VENEMÆ, Viri Celeberrimi, dictum esto, uno momento, ex hucusque vero & *vincis* MESSIA, in *Pseudo-Messiam* degenerare, & omnes conatus suos præcedentes, ad veritatem *Messiatum* sui tuendam tendentes, duobus ictibus carnificis Ethnici perdere. (b) Unde concludo, nihil minus a persona MESSIÆ alienum censendum esse, quam quod a Vate sacro inducatur, tanquam deprecans mortem, per verum enses, vel jaculum vel pugionem, vel hastam, vel simile ferrum, proxime causandam, atque ita ma-

tu

(b) Hoc vero, quod pace Doctissimi CREMERI dictum esto, minime *leve* dixit Venerab. VENEMA, uti p. 126. videre est, nec dicere potuit. Ex sua hypothese loquitur CREMERUS, quæ cl. VANMAM latebat N. B.

turandam, sed non nisi post *crura fracta*. Non quasi novum *Crurifragii* dolorem fugeret, hic enim parvi momenti fuisset omnibus doloribus jam excruciato, & hoc *leve* fuisset: sed ut optimo & simplicissimo modo manus adversariorum effugeret, qui JESU nostri *Messiatum* tam insigniter conspurcassent, si non totum pessum dedissent. Mens ergo precantis huc redit: „ Mi DEUS! qui omnia nosti, vidisti quid novi hostes mei „ Sancto tuo paraverint. Tu quidem per pœnam Crucis me occumbere permitteres, „ imo juberet, illi vero denuo ferrum in „ me stringent, ni Tu ipsis obicem ponas, „ & Crucifixo Tuo vitalem *animam*, *unicam* „ illam uno ictu & actu eripient. Hæccine „ vero æterno Tuo consilio, & nostro Fœderi mutuo, verbo per Prophetas Tuos „ jam revelato, & ulterius revelando per „ Spiritum nostrum, erunt consentanea? „ Confodiar Ego? Si modo confodiar tantum; nam hostes mei sunt atrociores: „ quid, si in Crucifixum Tuum insuper aliquid „ quid moliantur? quid si in ipsa *crura* mea, „ quæ Tu ipse integra servanda edixisti? „ Quapropter emoriar tantum & quantocyus! Expediet Utrique nostrum! Non est „ quod vitalem *animam*, alioqui mihi carissimam, longius traham, quam dudum „ traho ægerrime! Non recuso mori; sed

Bibl. Haganae Cl. VI. F. I. I „ in

„ integram tibi vitam offero , trado , si nunc
 „ modo mori permittas , & maledicta mea
 „ crucis morte contentus sis.” — Spe-
 ro me jamjam ipsius Doctiss. VZNEMÆ atten-
 tionem meruisse , ad minimum excitasse.

§. 12.

Consimiliter , si hoc modo cogitationes nostras de præsentemateria digeramus , nulli videre possumus , quod *remotum* dicendum sit amplius , *τὸ ἐπιπερε ἀνὴμὰν γλαδίῳ* , cum nonnullis Interpretibus , cl. Commentatori non appellatis , referre ad mortem CHRISTI , antequam *latus* ejus lancea militis perfoderetur. Novi præter TILLIUM etiam GARGONIUM & Cognatum meum D. S. CREMERUM (in *Oed. Evang.*) & , præter hanc Eruditorum Trigram , alios forte plures talia cogitasse de illa *Davidica phrasi*. Sed præterquam quod breviores sint in sententia sua explicanda , longissimi ab eadem statuminanda , nondum mihi in liquido est positum , an ipsis in omnibus quidem sederit mens eadem , quæ mihi. Hoc Lector certum habeat , neminem horum mihi existisse sententiæ *αἰὼν* vel *ὀδύνην*. GARGONIUS omnium proxime ad me accedere videtur : tamen non videtur plane de *confodiendo vivo* cogitasse , idque *prævio* immani *Crurifragio* , quod , quasi novum mor-
 tis

Observatio in Pl. XXII: 21. 131

tis genús, ab adversariis jam *crucifixe* denuo intentaretur. Sin vero Viri illi Doctissimi omnino mecum senserint, iterum pace Viri Celeberrimi, cujus eruditionem stupendam olim jam miratus fui, ac mirabor semper, dictum sit, quod nihil *remoti* in nostra sententia locum habeat.

Non esse *remotum* quid à Persona *MESSIE* deprecari *expositionem animæ suæ tali gladio*, modo jam, ni fallor, simul evictum dedi eam convenire cum *non-levitate*, sive ut *latine* magis dicam, cum *gravitate & pondere*. Pergam itaque & ostendere annitar, neque *remotum*, hoc est, alienum, illud censendum esse à *Psalmistæ phrasi*; denique & neutiquam à *contextu sacro*; tum *Psalmi*, cum *Evangelico-Harmonico*, vel privo *Joanne*.

§. 13.

Phrasin ergo quod attinet, sponte cl. *VENEMÆ* largimur: Primo, *Animam* precantis heic nil nisi *vitam* ipsius proprie dictam significare, seu illam *vitam*, seu *animalem*, seu simul *mechanicam* vocare velimus, quemadmodum filii Medicorum distinguere solent. *Personam* ipsam alii quærere student, sed invita Minerva. Quâ specie quis orare posset. *Eripe personam meam, meam unicam!* Rejiculum hoc sic oportet: quis enim unquam *duplicem*

plicem habuit *Personam*? Ἰψήνη θιαυθωτῶ ἀδίασπλις unicum modo *personam* constituit? Cui accedit, quod illud יחידה / *unica*, sit apud *Hebræos* epitheton *animæ*, non quidem *rationalis* illius, ut *MAKSPANIUS*, *GEJERUS* alii- que voluerunt, sed *vitalis* tantum. Apposite hic monuit summus *Götsingensium Philologus*, quem supra jam *Franequerano* nostro *Theologo* opposui, *Hebræos vitam*, prout carissima est, æquiparare *unicæ Filiæ*, quemadmodum & *Jephthæa* audivit *Jud. XI: 34*: *Homogeneus* hucusque nostro loco est *Psalms. XXXV: 17*. *Domine! quamdiu videbis? restitue animam meam a streperis eorum vastationibus, a leonum catulis unicum meam!* quæ verba cl. *Commentator* hoc modo περιεφρασε: „ *Ne otiosus* „ *amplius videaris Spectator*, *Domine!* sed *animam meam*, seu *vitam meam*, *unicam meam* „ *spem* eripe eorum violentis insectationibus, & in integrum, seu in libertatem ac „ *prosperitatem* restitue. ” *Postrema hæc* sunt reliquenda suo loco. Sufficit nobis, hic *vitam* eodem nomine ac *schesi* proponi, quibus in nostro *Psalmo XXII*.

Neque de יחידה eripe, *lis* aliqua movenda. *Immunis* sit ab illo malo oportet, ex quo sibi *ereptionem* deprecatur. ὑποδισσι δαλειυσι, qui *Hebræo* verbo alium sensum affricant; præsertim, ubi sequitur eadem præpositio *Mens*, ut in סחרב. *Itane est gladio*, quod
Latini

Latini dicunt, præripere? Minime putandum, quod *eripiendus* ille *gladio* succubuerit: quin imo, si jam succubuisset, intempestive sane & præpostere precaretur: *Eripe animam vitalem!* ut ut jam direptam, & *gladio* ipso dudum abscissam. Verum hisce non diutius immorandum, cum ipsi Viro Clarissimo, à quo hic discedere sum coactus, non aliter videatur, neque dubitet hanc phrasin de DAVIDE morti præripiendo explicare.

Sed de genere mortis paulo accuratius inquirendum. Ulro hic iterum cedimus, sub nomine *gladii* sæpius venire *omne violentæ mortis* genus; præsertim, si qua juris & justitiæ specie à Magistratu Politico infligatur: ita ut *mors crucis* æque ac aliâ quævis hoc modo potuisset denominari, maxime ex Hebraicæ linguæ genio atque usu. Verumtamen eodem halitu affirmamus, & nobis etiam ulro largiendum censemus, amplissimam illam *כרס* seu *gladii* notionem esse non nisi *secundariam*, & plane *figuratam*. Ad hanc autem non opus esse, ut descendamus, quamdiu notio *primaria*, & minus figurata, seu propria. locum suum tueri possit, Hermeneutarum est Regula; nunquam & nunquam infringenda. Et sic cum *gladio* Psaltis nostri revera comparatum esse, nemo prudens facile inficias iverit; modo attendat; quam facile fuerit, *Cruciarium* adhuc vivum & spl-

hoc precandum? Hanc scire amarem. Ex me si illam quæras, L. B. dicam ex hypothesi præstructa: CHRISTUS notam *Pseudo-Messia* studebat effugere, propter rationes omnium omnino gravissimas; proinde rogat Patrem, ut sibi vitam ponere, & animam efflare liceat, dum internecini ejus hostes ipsi *crurifragium* & *confessionem* parant. Et hanc rationem esse fonticam *properandi* JEOVÆ, prout MESSIÆ urgendi, nemo sanus negare poterit; maxime, si ex eventu, seu implemento de brevitate temporis, quod supererat, bene edoctus fuerit.

Si jam pedem paulo remotius figere volupe sit, confidenter, ut omnia simul comprehendam, affirmare ausim, nexum totius *Psalmi* partibus nostris favere. Bimembris enim est.

I. Primum conficiunt MESSIÆ preces, *vs.* 2-22.

II. Alterum, vota insequentia, quibus preces urget, 23-32.

Preces videntur esse generaliores & specialiores, suis quæque basibus innixæ.

I. Generaliores offendimus 2-12. quarum,

A. Basis præjecta continet querelas acerbissimas.

a. De *derelictione Divina*, quæ, ut ipsum male habebat, sic etiam alienior videbatur, à glorioso illo DEO

Observatio in Ps. XXII: 21. 137

N. A. 2.

ISRAËLIS, & Amico patrum ABRAHAMI, ISAACI & JACOBI, quos ut suos pingere non erubescerat, *vs.* 2. 6.

b. De contemptu & illusione *populi Judaici*, quæ propter eandem *derelictionem* præ ceteris perpetienda erat, iterum non conciliandam cum consuetudine Dei, & Ducis suæ juventutis, 7. 11.

B. Supplicatio, huic duplici basi super imposita, se offert, *vs.* 12.

3. Specialiores MESSIÆ preces consimiliter gaudet.

A. Nova & propria basi 13-19. ubi iteratas audimus querelas, de tot & tantis passionibus corporis, quæ mortem patientis non modo reddebant indubitatum, verum etiam minabantur supervacanea & acerbissima maturatione.

a. De novo hoc & imminente sibi periculo præmonet supplex, oriundo a proceribus & diabolo, *vs.* 13, 14. graphice pingens semet ipsum, quasi cinctum undiquaque bubalis *Basanis*, unice ad illum cornibus suis perforandum intentis, & sic porro.

b. Ad præsens periculum, seu potius supplicium, quod attinet, hoc describit *emphatice*.

a. non modo, ut lethale omnino
vs. 15, 16. ubi *desperationis* tamen
 nec vola nec vestigium; *Deliqui*
 tantum.

β. Sed & jam dudum exquisitoribus
 calamitatibus Rei crucifixi obses-
 sum pressumque *vs.* 17-19. verbū
 causa: Coronā ethnicorum, car-
 nificum & militum, impurorum,
canum instar allatrantium, 17^a,
 latissimis vulneribus per manus
 pedesque, 17^b. distractione &
 luxatione membrorum, 18^a. spe-
 ctatorum Judaicorum caterva
 trucissima, 18^b. Omnium deni-
 que vestimentorum direptione,
 19.

B. Novæ sunt, saltem extensiores pro-
 ces, alteri huic basi impositæ, *vs.*
 20-22. quas inter jam simul compa-
 ret *versus noster* 21.

a. Generalius vero est iterum, quod
 orat, *vs.* 20. & cum *vs.* 12. probe
 conferendum.

b. Specialius autem quid sonant

a. Verba *vs.* 21. &

β. Verba *vs.* 22. figuratam exten-
 sionem versus superioris haben-
 tia, & sedulo expendenda ad
 mentem *vs.* 13. & 14.

Missa jam totâ parte posteriori hujus Cantici, ut ut parum faciente ad rem præsentem; missa quoque *Inscriptione*, ne *Solis* Epitheton prius *Cervæ* naturali, dein *subjecto Psalmi* aptare cogar, verbulo tantum insito adhuc specialiori illi petitioni *vs. 21, 22*. Eaque fini, *primo*, *Lectoris* invoco fidem, si data *Analysis* integræ partis prioris non sit naturalis & plana, minime coacta, vel ad hypothesein detorta. Nisi alicui subiret negare, aliud quid esse *Bubalis cingi*, & jam *cornibus illorum confodi*. Præsentia quoque sunt, non futura adhuc & nunc imminetia tantum, quæ leguntur *vs. 15-19*. quemadmodum & prima illa mala *vs. 2, 3*. Et hoc nostra demonstratione non eget, quia se ultro in oculos ingerit: potius provincia fuerit secus sentientium, ut illi suum DAVIDEM tueri possint, omnia de malis imminetibus, & nondum immixtis, exponenda demonstrare.

Secundo, si jam *gladius vs. 21*. significaret quamvis mortem violentam, & *ereptio* præstaret immunitatem, essetque *præceptio*, sicut *Hebraica* sonant, quomodo conciliabimus hæc cum *vs. 15-19*.? nisi existimaret quis, illa omnia nihil ad *gladium*, nihil ad mortem violentam facere: scilicet *ossa separata*, *cor liquefactum*, *vis exsiccata*, *effossæ* (si hoc præferas) *manus & pedes* & similia; unde tamen ipse æger, jam propinquam mortem suam
intu-

intulit, *vs.* 16. Concludamus ergo à *nexu Psalmi*, tantum non totius, non esse aliqua ex parte remotum, quod statuatur *vs.* 21. non modo MESSIAM loqui, sed etiam ipsum inibi deprecari verum *ferrum letale*, quod visum erat non simpliciter icturum, sed cui plusquam verosimiliter (& pro arcanorum Divinorum conscio, certissime) præcederet alia adhuc, per illum, qui verus esset & haberetur MESSIAS, nullo modo patienda, pœna. *Crurifragium* me respicere non opus erit, ut repetam.

Jam quoque mihi est in promptu, rationem reddere numeri singularis, quo *Carnificem crurifragum*, vel *Confosorem* designare voluit MESSIAS & ut *Canem* latrantem & impurum (Ethnicum illusorem & maledicum) a multitudine *Canum* similium distinguere, *vs.* 17. Nec ita opus *vs.* 21. vocem *Canis* collectivè vel *ἑλλαγως* intelligere.

§. 25.

Agmen claudat, sicuti duxit, *Historia Evangelica*. Nec enim lubet jam examen *Lectio- num כָּאֵרִי & כָּאֵרִי* instituere, postquam a Doctissimo *Berolinensi* SCHULZIO didicimus, quantum & quare lectio *τῆς Κερί* & hic & alibi sit præferenda. Videtis eundem de hisce *Lectio- nibus* differentem, in hac ipsa *Bibliotheca*, tom.

l. p. 169. Gaudeant & valeant cum suo **קרא**/ qui in illo defendendo omnibus adhuc nervis allaborant; quorum causa etiam, si victrix esse posset, sententiæ nostræ supra adstructæ nihil demeret, quoniam utique *perfossum* seu *effossum* denotaret, quo de cel. **VENEMA** tantummodo consulendus, licet ipse denno verterit *sicut Leo*.

Sed properandum nobis ad finem propositum.

Filium itaque narrationis *Joannæ* breviter attingamus. Historicus ille sacer *Pericopam* nostram immediate subjunxit relationi suæ de morte **JESU**, & quam ita composuit, ut non nisi accelerata dici queat. Attendatur modo *vs. 30. Quum autem sumisset acetum JESUS, dixit: consummatum est! & inclinato capite spiritum tradidit.* Ne postrema quidem verba **CHRISTI**, quæ **LUCÆ** debemus, adjicere voluit. Huic vero narrationi *de morte JESU* statim subnectit relationem istam *de Cruribus crucifixorum confringendis*, & ipsis é medio tollendis, seu letho dandis. Particula connectendi utitur peramata sua *et*, quam in superioribus identidem adhibuit, quæque pro re nata nunc *autem*, nunc *igitur*, vertenda. Prius *vs. 31.* præferendum, quando nec vola nec vestigium supererit indicii, quasi *Judæi propter jam cognitam sibi mortem Servatoris, PILATUM de novo adierint, Crurifra-*
cium

gium & Confessionem lethalem tantum nondum agonizantium expetentes. Tale quid etiam nullo modo cum executione rei, prout à JOANNE refertur, esset conciliandum; omnium minime cum *versu 33 & 34.*

Si Harmonice spectare velimus has & connexas partes historiarum *Evangelicarum*, nihil omnino reperiemus, quod nobis obstet. Tres priores *Evangelistæ* solummodo literis memoriarum prodiderunt, quibus miraculis JESU mors confestim fuerit insignis, quæ tamen in *Golgotha*, & proxima vicinia ejus, tantum sentiebantur. Unde sequitur, quod illa phænomena *Golgothica* Senatoribus *Judæorum* nullam remoram injicere potuerint, ne Judicem PILATUM novis rogationibus fatigarent, in ipsa urbe: rogationibus inquam, quales ipsis tunc superstitio & sævities unice, miro connubio, ex æquo instillabant.

§. 17.

Coronidis loco & hæc monenda visa sunt. Congessit cel. Commentator plura ratiocinia, quo plenius evincere studuit, MESSIAM ipsum non habendum esse pro subjecto primario, dicam & unico, *Psalmi* nostri, sed alterum inter illa non offendi, quod vel ansam dubitandi præberet. Quare etiam illis percensendis & refutandis supersedebo. Ipse Cen-
sor

Observatio in Ps. XXII: 21. 143

for *Lipſienſis*, puta ERNEſTI, ὁ πρῶτο, quem tota, quā late patet, *Germania*, Magiſtrum & Dictatorem ſuum agnoſcere & ſuſpicere videtur, uno verbo primam Cel. VENEMÆ rationem fregit & invertit, oſtendendo quam revera Characteribus MESSIÆ diſtinctivis minime careat *Pſalmus*, & inter quos ipſum *verſiculum ſecundum* in fronte collocare non dubitavit.

Me vero, ut ſuperiora chartis illinerem, nonniſi Veritatis amor, quam unice quæro, & candor & liberalitas, quibus in diſputando ſemper loquus eſſe debet, impulerunt: Libera-
le enim nunquam dixeſim, quando non concedimus adverſariis, quicquid jure merito ſemper ſibi concedendum eſſe poſtula-
bunt. Imo, ſi opinionem meam de *Pericopa Joannea* demum concepſſem poſt ſcrupulum ex *Ps. XXII: 21.* injectum, forte jam domi manſiſſem; veritus, ne tantum, hypotheſi communiore (de MESSIA loquente) inſerviens, Evangelistæ relationem obliquo & niſtante oculo contueri valuiſſem.

Sed heic manum de tabula. (c).

- (c) Præſtitit ſane Doctiſſimus CREMERUS in vindicando *Pſalmi XXII.* ſenſu ad Meſſiam directo plus quam omnes alii Interpretes, nec magis ingenioſam aut ſpecioſiorem *vs. 21.* expoſitionem conlati cum Joannis loco citato, legiſſe me memini. Magnam propterea gratiam

144 Jac. Crem. Observ. in Ps. XXII: 2

tiam meruit apud nonnullos, qui quo se-ri-
pian, nesciunt. Forte etiam *Psalmi CXV*
17, 18. commata validioribus aut speciosi-
bus, quam fieri consuevit, rationibus dire-
ad Messiam transferre poterit. Vellem
mnino, ut pro suo, quo pollèt, ingehii a
mine hunc lapidem volvat & adhuc felic-
volvat, Vir Amicissimus, immo ad hanc oper-
ipsum impense rogare liceat? N. B.





I V.

J. C. BONNET

V. D. M.

DISSERTATIO
DE LEGE JUDAEIS PER NUNCIUM
TRADITA,

A D

ACT. VII: 53. GAL. III: 19:
& EBR. II: 2.

QUORUM LOCORUM NEXUS SIMUL
OB OCULOS PONITUR.

§ 1.



Ut proposita Sacrae Scripturae loca, legis per angelos latae mentionem facientia, recte intelligantur, multi Viri Docti dederunt operam. Haut ego omnia vidi, multo minus legi, quae hac de re scribitur.
Bibl. Haganae Cl. VI. F. I. K pta

pta sunt. Fieri igitur potest; ut explicati-
onem proponam non novam: ita enim fa-
cilis mea mihi videtur interpretatio, ut eam
iam praeoccupatam esse admodum vero
simile videatur. Quodsi autem inter Erudi-
tos inaudita non sit, vulgaris certe non est,
atque ut notior reddatur, ego dabo operam.
Haud, puto, erit, qui eam rite cognitam
ita sit damnaturus, ut quae in censum veni-
at, plane indignam iudicet. Sed quum ni-
mia nostri dilectione facile fallamur, ne quem-
quam Lectorum offendam, brevissimis om-
nia complectar. Dicam *primum*, quae sem-
spectant universam; *dein* vero singula loca
adducta paullo curatius inquiram.

§ 2.

Cardinem rei in voce *Angelorum* verti,
haud videtur esse dubium. Sunt, qui bea-
tos illos hic locorum intelligunt genios, pu-
tantes, hos legem de monte Sinai voce adeo
sonora pronunciaffe, ut tonitrua magis,
quam verba loqui viderentur. Sed a me
impetrare nequeo, ut horum subscribam sen-
tentiae, siquidem in relatione rei gestae,
quam scripto reliquit Moses, nec minima
Angelorum horum fiat mentio. Equidem
ad *Deut XXXIII: 2.* provocant, ubi tamen,
me legis per Angelos latae vestigium inve-
nire

nire non posse, ingenue fateor. Quamvis etiam largiar, angelorum cohortibus stipatum in Sinai legem laturum apparuisse Jehovam, nusquam tamen Moses vel verbulo innuere videtur, in traditione legis illos fuisse occupatos, quod tamen loca nostra, de re quippe notissima loquentia, omnino requirere videntur.

§ 3.

Alii igitur, in medio relicta propria hac Angelorum notione, interpretantur hanc vocem de Prophetis, Senioribus Israëlis, verbique divini ministris generatim. Haud ibo infitias, quibuscunque rerum divinarum præconibus recte *Angelorum* s. *Nunciorum* convenire nomen. Sed lex iam fuit lata, antequam Prophetæ sunt excitati, neque alii omnino in sacris reperiuntur legis traditores, quam unicus Moses. Itaque nec his meum facile adiecerim calculum, qui de aliis præter unicum Mosen hic cogitare audent.

§ 4.

Liceat igitur mihi per *Angelos* hos solum intelligere *Mosen*. - Quid? dices forsitan, Lector, unicus Moses, qua quaeso ratione Angelorum nomine poterit insigniri? - Id vero, dummodo aures mihi præbueris elegantes, sic ponam in aprico, ut omnem tibi eximam scrupulum. Ultro fateberis, non

insolitum esse sacris scriptoribus, plurali numero loqui, ubi non nisi unicam aliquam intelligunt personam. Imo vero & alii, iique elegantissimi, sic loqui amant Scriptores. Quodsi haec scripta legas verba: *Fussu Divino ipsimet parentes ad immolandos filios suos sese accinxere*; ni omnia me fallunt, sub parentibus Abrahamum, sub filiis intelliges *Isaacum*. Plurima collegit exempla Cl. GLASSIUS, in quibus *Pluralis* indefinite pro uno aliquo & multis ponitur. Christo crucifixo maledixerunt *latrones* h. e. *latro aliquis*. Aliquoties occurrit: *Scriptum est in Prophetis pro in aliquo Propheta*. Ne vero repetam, quae lippis nota sunt atque tonsoribus, duo tantum adjiciam exempla, in quibus ipsa *Angelorum* vox pro *angelo* atque *nuncio aliquo* legitur, alterum e sacris, alterum e profanis depromptum literis. Prius habetur 2 Pet. II: 1. ubi ἄγγελοι ἰσχυροὶ καὶ δυνάμεις μείζονες ὄντες indefinite dicuntur, cum unicus intelligatur *Michaël Archangelus*, quod clarissime prodit *Judas Ep. v. 9*. Plura hic dici possent, ni brevis esse laborarem. *Posterior* extat in SOPHOCLES *Aiace Flagellif. v. 291*. ubi *Tecmessa Aiaci*

— τί, αἰτ, τὴν δ' ἀκλήτους, εἴδ' ἵπ' ἀγγέλων κληθεῖς, ἐφορμαῖς πείραν; —

— quid hancce injussus, nec a NUNCIO ALIQUO Vocatus, suscipis expeditionem? —

Nihil

nuncium trad. ad Act. VII: 53. &c. 149

Nihil itaque erit, puto, quod mihi jure ob-
jici possit, quando verba, *lex per nuncios tra-*
ditā est, sic interpretor: *per nuncium aliquem,*
nempe Mosen, tradita lex est Israëlitis. (*)

§ 5.

Sed res, quam dico, inaudita non est,
siquidem Commentarii Mosaici locupletes
sunt testes, omnia Dei praecepta, quae lex
illa complectitur, per Mosen unicum ad po-
pulum Israëliticum pervenisse. Quin imo
expressis traditur verbis *Ex. XX: 18. 19.*
Deut. V: 25. XVIII: 16. postquam Jehova
de monte verba Decalogi tanta majestate,
tamque horrendis fulguribus atque tonitribus
cinctus, est elocutus, noluisse verba audire
populum, sed refugisse atque a Mose petiis-
se, ut is sibi Jehovae referret verba. Quid?
quod,

(*) Si qui forte sunt, qui plane concoquere ne-
queunt, *Unicum Mosen* plurali numero *אֲרַיִ-*
לֵּם dici, & quidem ter ab Auctoribus diver-
sis; hos monitos velim, ne ideo universam
hanc tractationem reiiciant. Omnia enim,
puto, bene se habebunt, si Mose fratrem *Aa-*
ronem adjunxerint. Hunc enim etiam haud
semel Mose adstantem videmus, quando Jeho-
va ad populum dedit mandata. Vid. *Ex. VII:*
8. XII: 1. Lev. II: 1. XIII: 1. alibique saepe.
Alia, quae hic dici possent, brevitatis studio
silentio praetermitto.

150 J. C. Bonnet, de lege Judaeis per

quod *Joannes* in *Evang. cap. I: 17. Lex, inquit, per Moſen eſt data; gratia vero atque veritas per Jeſum Chriſtum nobis obvenit. Haec in anteceſſum; jam ipſa inſpiciamus loca, de quibus eſt ſermo.*

§ 6.

Verba *Act. VII: 53.* haec ſunt: οἵπνες ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαπαγὰς ἀγγέλων, καὶ ἐκ ἐφυλαξάν. Ut omnia plana reddantur, *primum* nexum verborum ob oculos ponam, *deinde* ipſa verba paucis illuſtrabo.

Nexus hic eſſe videtur: Stephanus, ad Judaeis verba faciens, obiicit eis animi obſtinationem, qua nunquam non incredulos ſe praebuerint, atque reſtiterint Spiritui ſancto. Id probaturus, Patres veſtri, ait, omnes perſecuti ſunt Prophetas, qui nempe illos ſunt hortati, ut agnitis peccatis, divino locum darent Spiritui, letoque dedere, quotquot vaticinati ſunt de adventu hujus Juſti h. e. innocentiffimi Jeſu, nemini male, omnibus bene facientis, ſi mores ejus reſpiciatis; ſi vero doctrinam, veri rectique Prophetarum, ſumma utentis lenitate, cum invitaret homines ad fidem, accipiendumque ſpiritum illum, omnium laetitiarum fontem. At vero hunc vos non accepiftis, prouti meruerat, ſed Patres veſtros non imitantes modo,

nuncium trad. ad Act. VII: 53. &c. 151

do, sed superantes quoque, Ipsum resputum ad crucifigendum tradidistis, qui tamen patienter adsumsistis Legem in praeceptis nunciorum, nec eam servastis. Hoc vult: Haud adeo mirum esset, si legi per Mosen vobis traditae vos opposuissetis, & nuncium ejus male accepissetis, quippe quae tantas vobis advexit molestias, ut nec re ipsa illam servaretis, nec servare possetis. Sed accepistis illam patienter, nec vobis in mentem venit, Mosis, qui nunciavit vobis, eapropter exhibere molestias, licet ad recusandam legem ex promissionibus, antea a Deo clementer propositis, haud una ad manus fuisset causa. Illis solummodo vos opposuistis, qui loco legis ad Spiritum & Christum vos manuducere sunt conati. Hos ferro persecuti estis & igne.

§. 7.

His aliquas adicere liceat observationes: 1), *Lex* hic opponitur *Spiritui Sancto*. *Legi* non obstiterunt Judaei, vid. *Exod.* XX: 19. *Maxima* eam receperunt in se reverentia, *Mosisque* traditori tanto majorem exhibuerunt honorem; quamvis horrendis promulgaretur minis, & onus esset, quod nemo mortalium portare valet, nec ipsi Judaei unquam, prouti decet, portarunt. *Spiritui Sancto* e contrario maximis obviam semper

K 4

ibant

ibant ausibus, persequentes omnes, qui illum offerebant, ipsum etiam Christum, qui abrogatis legis terroribus tanta humanitate ad accipiendum eum invitabat miseros. Atque in hoc pervicaciam suam prodiderunt Judæi.

§. 8.

2), Δίκαιος primum dicitur Jesus, quod summa morum sanctitate fulgebat, suum cuique tribuebat, quin etiam non merentibus quaevis exhibebat beneficia, sicque cunctis & divinis & humanis satisfaciebat legibus. Sed nihilo minus, ut ex opposito additur, male a Judæis tractatus & interfectus est. Dein quoque respectu ad munus habito, hic Jesus, Δίκαιος dictus, opponi videtur & Prophetis ante memoratis, & Mosi, legis nuncio. Vis vocis enim est cum in *morum innocentia, benignitate, cet.*; tum in *veritate atque rectitudine*, quemadmodum etiam Δίκαιος ὄνν *Matth. III: 15.* hoc significatu sumenda est. Jesus certe *verus rectusque* fuit *Propheta*. Omnes, qui ante & post Eum Prophetarum nomine inclaruerunt, ipseque Moses, non nisi *nuncii Ejus* fuerunt, atque ad illum digitum intenderunt. Hinc etiam κατ' ἐξοχὴν *Propheta* adpellatur *Matth. XXI: 11. Job. VI: 14. & alibi.* Confer. etiam *Deut. XVIII: 15. 18.* Atque Archipropheta noster etiam in exer-

cen-

nuncium trad. ad Act. VII: 53. &c. 133

cendo suo numere, Doctor fuit lenissimus & benignissimus vid. *Matth.* XI: 29. haud urgens legem, sed peccatorum promittens remissionem; praeter fidem requirens nihil, spiritum concedens divinum; cum contra Moses, & qui ejus premebant vestigia Doctores, legem inculcarent, & iram Dei transgressoribus minari deberent. Sic etiam d. *Joannes* I. c. *gratiam atque veritatem* Jesu Christi oponit Mosis, legis doctori. Respici simul potest, quod Jesus umbras removit, quae ad ipsam se referebant. Haecenus de nexu.

§ 9.

Verba ipsa, quod attinet, notandum videtur: 1), Verbum λαμβάνειν hic, me judice, significat: *in se recipere, assumere.* Exempla hujus significatus exhibent *Lexica*, v. *Matth.* VIII: 17. *Christus patienter in se recepit infirmitates nostras*, *Marc.* XII: 19. *uxorem fratris assumere* cet. 2), Locutio εἰς διατάγαις ἀγγέλων, varias experta est explicationes. *In dispositionibus* s. in mediis agminibus, inter medios exercitus *Angelorum*, stipantium *Jehovam*, vertit *Glassius*, *Grotius* & alii, quod *Jud.* III. 23. 1 *Macc.* VI. 35. 2 *Macc.* XII: 20. verbum διατάσσειν tanquam *vox militaris* occurrat. Sed an id. sufficiat rei probandae, iudicent alii. *Cel.* LIGHTFOOTUS in
K 5 Hor.

Hor. heb. duplici modo verba sumi posse ait, *vel passive* sic: *accepistis legem*, quae vobismet ipsis fatentibus homines disposuit in statum Angelicum, nisi intervenisset crimen cum vitulo: *vel active* hoc modo: *accepistis legem ad disputationem internunciorum* i. e. ut proponeretur per ministros verbi divini & Prophetas, juxta votum vestrum *Exod. XX: 19. cet.* Sed novas fere voci *διαταγή* tributas video notiones, quas absque probatione admittere nemo tenetur. Nihil obstat, quo minus propriam vocis vim, qua *dispositiones* atque *praecepta* significat, hic admittamus, ut sensus sit: *accepistis legem in praeceptis nuncii* sc. Mosis: *eis* enim adeo frequentur pro *in* legitur, ut *vix* id monere sit opus. Sensu plane eodem *eis* etiam per *juxta*, *secundum* reddi potest, sicuti *Matth. XII: 41. eis τὸ κήρυγμα juxta praeconium Jonae*, *Luc. XVI: 8. eis τὴν γενεάν secundum s. juxta genus suum prudentia antecedunt bonos mali. cet.* Sic *Vulgatus* quoque rem intellexisse videtur, vertens: *indispositione*, & *Syrus: in manu praecepti*.

§ 10.

Quod 3), ad vocem *ἀγγέλων* pertinet, de ea jam supra satis egi. Hic vero notandum est, *nuncii* hic fieri mentionem, ut eo magis illucescat Judaeorum perverbia. Non nisi *nuncius* Christi explicuit Judaeis legem, atque hunc nuncium in summis habere hono-
ri-

ribus, quamlibet legem, quam explicuit, quam minime servaverint. Jam adest *ipse Christus*, qui Mosen olim ablegaverat, nec is legem, intolerabile proponit onus, sed doctrinam hominis statui convenientissimam, modo blandissimo, plurimis firmat miraculis, Spiritumque pollicetur sanctum credentibus. Huius vero sunt interfectores.

§ II.

Ne quid restet obscuri, versionem commatum 51-53, cum intermixtis interpretationis adjicere liceat: *Dura vos estis cer-vice & incircumcisis cordibus auribusque* h. e.: immoti mala vestra persistitis mente, stupiditas cordibus, & auribus vestris adhuc adhaeret surditas, nec rescissae sunt malae hae affectiones, ut percipere & audire valeatis, quae vobis proponuntur. *Semper Spiritui S. obstititis* i. e. mentem illam divina sapientem, & libere, absque legis terroribus quaecunque bona adspirantem, quae Dei donum est, respuitis, omnesque ideo persequimini, qui vos hortantur, ut libere, iniussi, nec lege coacti, Deo serviatis. Non fide, qua hanc adipisci possietis mentem, sed legis operibus beari mavultis. *Et vos & Patres vestri in his eodem plane agitis modo. Quem illi Prophetarum non sunt persecuti? atque vero occiderunt*

156 J. C. Bonnet, de lege Judaeis per

derunt eos, qui vel praenuncii fuere adventuri illius Viri optimi, qui nil minus, quam mortem meruerat, veri illius atque gratiosissimi Prophetae Jesu Christi. Obiurgarunt scilicet peccatores, simulque monuerunt, ut ad futurum hunc Virum integerrimum, magnumque hunc Prophetam oculos intenderent, cujus adumbrationem in cerimoniis habuere, eique credentes, liberationem a legis maledictione, quam promeruerant, reciperent, sicque a lege liberi, lubenti tamen animo legis praestarent praecepta. Sed haec illi concoquere non potuerunt, ideoque monitores adeo male tractarunt. Hoc fecerunt Patres vestri; vos vero multo longius progressi Ipsius apparentis hujus Benefactoris & Archiprophetae proditores occisoresque facti estis, quum ostenderet vobis, quam parum legi satisfacere valeatis, invitaretque ad fidem, accipientemque mentem illam coelestem. Qui tamen legem illam secundum nuncii alicuius, non ipsius Christi, institutiones, intolerabile onus, maximis in transgressores additis minis, patienter recepistis, nec ideo servastis. Hos sane pervicaces esse oportet, qui legem adeo severam, cui satisfacere nullo modo valebant, ideoque necessario ejus se maledictionibus subiicere debebant, legem inquam, quae inevitabile aeternum advehebat exitium lubentes recipiebant, ejusque traditorem summis
etiam

nuncium trad. ad Act. VII: 53. &c. 157

etiam efferebant laudibus, licet vel nuncius, non auctor legis fuerit; sed vero illum, qui ablegaverat nuncium molestissimae legis, quum post humana appareret forma; adeo respuebant, ut etiam cruci addicerent, quamvis ne minimum quidem ipsi posset objici male factum, & doctrinam ejus adeo lenem veramque, tanta propositam ab ipso gratia atque humanitate, praeter fidem nil quicquam postulantem, maximis munitam miraculis, excellentissima promittentem praemia, — odio persequebantur plus quam vatiniانو, planeque execrabantur. — Num sat lucis huic affuderim loco, tu judica, Lector.

§. 12

Ad alterum progredior locum, qui extat Gal. III: 19. ubi iterum *nexu* textus *primum* ob oculos posito, aliquas *dein* adiiciam observationes, verba nostra speciatim spectantes.

Quod ad *Nexum* pertinet, cuius oppido in oculos incurrit, in eo esse d. Paulum, ut demonstrat, non nisi *per fidem viam patere ad beatos*. Probat propositionem ex incluta illa promissione, qua Deus dignatus est Abrahamum atque semen ejus. Promisit nimirum Deus, omnes terrae gentes beatas praedicatum iri in Abrahamo atque in Semine ejus, h. e. si Abrahamum sequantur & ejus Semen.
Id

Id vero Semen Christus est; nec enim hoc nomen de quocunque Abrahami femine hic dicitur, sed de Uno aliquo extantiori. Credidit vero Abrahamus Deo; hinc eos, qui eum sequi volunt, etiam credere oportet. Quis omnium magis Deo credidit, quam Jesus Christus? Hoc ergo illius Semen qui sequuntur, sane hos etiam credere oportet. Quid etiam praeter fidem Christus requirit? — Hinc juxta hanc Dei promissionem sola fides ad beatos aperit aditum. Observat Paulus, legem postea latam hanc ad coelos viam non sustulisse, quum Deus sibi non contradicat. Id ansam dedit objectioni removendae. Quaesere aliquis poterat: Quid igitur lex sibi vult, si vitam non adfert? Respondetur: Legis finis erat, ut imbecillitatem humanam in illustri collocaret. Quo enim plura erant praecepta, eo plures etiam accidere transgressiones; atque ubi lex expressa non extat, homines nec peccare sibi falso persuadent. Hinc lege palam factum est, homines esse peccatores, nec vitam, sed mortem meruisse. Nec diutius durare debuit Lex, quam usque ad Christi, Seminis illius Abrahamitici, apparitionem in terris, ad quem illa spectabat promissio, *omnes, quicumque ad ejus se applicaturi sint societatem, beatos esse praedicandos.* — Sequuntur iam verba, quae diligentio-rem nostram requirunt operam.

nuncium trad. ad Act. VII: 53. &c. 159

§. 13.

Addit nempe Apostolos: Διαταγῆς δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτη, h. e. siquidem illa Lex constituta est per nuncium aliquem sc. Mosen, opera mediatoris alicuius; is vero mediator fuit Christus. Observo 1). Vox διαταγῆς eiusdem originis & significatus est cum διαταγῆς Act. I. c., ideoque non dubito, phrasin διαταγῆς δι' ἀγγέλων eodem interpretari modo, quo illam εἰς διαταγῆς ἀγγέλων sum interpretatus. Res ipsa postulat, ut de Mose iterum cogitemus; is enim solus fuit nuncius, quo usus est Christus, in monte apparens Jehova, ad explicandam populo legem.

§. 14.

Observo 2) verba ἐν χειρὶ varias quidem pati interpretationes, sed simplicissime idem indicare, quod antecedens praepositio διὰ per s. opera alicuius. Quare & Syrus utrumque membrum in manu vertit: حَيْمٌ مَّلاَئِكَةٍ ἐν يَدَيْهِ where ubi notandum quoque est, singulariter hic *angeli* (مَّلاَئِكَةٍ) nomen poni, ut eo clarius ad Mosen alludi pateat. Sic ἐν χειρὶ legitur. Act. VII: 35. c. XI: 30. & alibi. Haec quidem faciliora sunt.

§. 15.

§. 15.

Sed 3), vox *μεσότης* hic altioris videtur esse indaginis. Vulgo *Mosen* hac voce indicari statuunt. Sed ignoscant mihi hujus sententiae patroni, si haud absque gravissima causa hic de *Christo* cogito. Equidem provocant illi ad *Deut. V: 5.* ubi *Moses*, *Ego*, inquit, *steti inter Jehovam & inter vos illo tempore ad indicandum vobis verbum Jehovae eet.* Sed haec verba mihi certe non *mediatorem*, sed solum *nuncium* significare videntur. *Mediatoris* enim ratio talem innuit personam, quae dissidentes conciliare studet, ideoque utriusque partis causam agit apud partem adversam. Hanc verò mediatoris personam inter Deum hominesque nemo omnium unquam induere potuit quam *Christus*, quod etiam expressis Paulus asserit verbis i *Tim. II: 5.* Quis enim viventium Patrem potest adire, lucem inhabitantem inaccessam, ut Ejus ad homines accipiat mandata, atque apud Eundem causam agat mortalium, praeter Illum, qui in Patris est sinu? Neque homo pro fratre, neque angelorum quisquam aptus est, ut pro nobis intercedat. Quare nec *Moses Mediatoris* titulo erit honorandus.

§. 16.

Observo 4) ipsum Paulum hoc in loco, versu sequenti 20. satis significare, quid nomen ^{μεσίτης} hic sibi velit. Ait enim, *mediatoris* ideam duas requirere partes adversas, *unius non esse mediatorem. Verum, addit, una tantum pars est Deus* sc. Pater. Per se patet, alteram partem esse *Homines*. Quum legem promulgaret, *Christus tanquam Dei mediator* prodiit, non hominum, siquidem Ejus postulata proposuit hominibus, idque modo Deo dignissimo, summa fulgens majestate, quare & nuncio fuit opus, qui perterritis hominibus referret divinitus dicta. Quo haec spectent, facile est intellectu. *Primum* quum dicitur: *opera mediatoris alicujus* legem esse publicatam, hoc intenditur: Non ideo latam esse legem, ut homines ejus observatione vitam mereantur, siquidem ipse Pater eam non tulerit, sed Mediator, ut nempe jura Dei ostenderet, eoque ad fidem adigeret, quum intellexissent, sese ad praestanda omnia plane ineptos esse. Itaque Christum hunc in modum loquentem audire mihi videor: Vos miseri mortales non nisi gratia beati esse potestis, quam Deus promisit credentibus. Fallimini, quotquot propria sanctitate coe-

Bibl. Haganae Cl. VI. F. 1. L lum

lum mereri volueritis. Hoc ut facilius intelligatis, exponam, quae forent praestanda, si beata ipsimet potiri velletis vita. En vobis legem, Dei exponentem jura! Non ideo propono, ut perfecte observetis, quod quidem *ἀδύνατον*: sed ut inde vestram cognoscatis miseriam, eoque cupidius fide arripiatis promissiones. — Itaque probavit Paulus, legem esse latam propter transgressiones, & ut Paedagogus sit ad Christum.

§. 17.

Deinde, quum addit Apostolus: *Iste vero mediator non est unius Dei*, sed etiam hominum, hoc vult: Nomen Mediatoris in Christum non plene caderet, ni se quoque ceu hominum stitisset Mediatorem apud Deum. Itaque plane erat necesse, ut servi peccatoris indueret formam, atque tentatus omnimode, exantlatis omnibus miseriae mortisque laboribus, perfectoque redemptionis opere, ad Patrem rediret, pro hominibus intercedens, summisque ab Illo contendens precibus, ut remittat peccata, nec imputet legis transgressiones, sed promissionum memor vitam largiatur credentibus. Itaque probat his Apostolus, Christum debuisse venire ceu semen Abrahami i. e. verum hominem. Per se
pa-

per nunc. trad. ad Act. VII: 53. &c. 163

patet, hoc tempore apparitionis Christi hominis cessare debuisse legem, siquidem juxta Dei promissionem *beati* sunt praedicandi illi, qui in hoc sunt Abrahami Semine, h. e. Christum sequuntur, ei credunt, ejus faciunt jussa.

§. 18.

Tandem 5) non emphasi caret *δι' αγγελων*. Objici nempe poterat: Ipse Paulus adfirmavit, Semen Abrahami, ad quod pertinet promissio, esse Christum. Sed quum legem poneret Christus, adparuit hominibus. Propterea juxta promissionem ipsam illi sunt beandi, qui legem observant. Hi enim soli dici possunt in Christo legislatore esse, qui iniuncta praestant. — Sed respondetur: Equidem ille legislator idem fuit, qui post tanquam excellentissimum Abrahami Semen adparuit. Sed tunc tanquam Dei filius, non Patriarchae nepos prodiit, ideoque per nuncium Moysen cum hominibus egit, siquidem ejus fulgorem mortales ferre nequirent. Quum Christus se ceu Abrahami Semen ostendere vellet, id fieri debebat modo minus Augusto, ut nuncio non sit opus, sed Ipsemet ab hominibus adiri & audiri posset.

§. 19.

His praemissis, commata 19 & 20. sic ego intellexerim: Quid, quaeris, lex sibi vult, si per eam nemo beatus reddi potest? Respondeo: Eapropter antecedentibus promissionibus, secundum quas beantur, quotquot Abrahamo ejusque semini Christo se sistunt focios, est adiecta, ut homines, quanta Deo debeant, quamque nullo plane modo Dei iuribus satisfacere valeant, intelligerent. Hinc eousque tantum durare debuit lex, donecum libuerat Deo, semen illud Abrahami mittere, cujus affectae absque legis operibus sola fide sunt beandi. Quod id semen tunc non venisse censendum sit, cum lex lata est, inde clarum est, quod iniuncta est per *Mosen nuncium*, quo opus erat ob gloriam coelestem, qua cinctus erat legislator: Sed *semen Abrahami* non Dei, sed hominis indui debebat forma, ut cuiusvis mortali ad id aditus pateret, absque nuncio. Si forte istas, Christum Mosei tamen legem tradidisse; sic habeto: Non ideo ceu Abrahami nepos est spectandus, sed ceu *mediator*, & quidem *Dei*, unde denuo efficitur, Eum postea etiam ceu hominum mediatorem venire debuisse, cum alias mediatoris ideam non exhaustis.

per nunc. trad. ad Act. VII: 53. &c. 165

fisset. Simul hinc patet, legem cognoscendae debilitati humanae tantum inservisse: mediatoris enim non est, leges ferre; Sed Dei jura exponere poterat, ut sic homines ad expectandam gratiam adigeret, quae erat a Deo promissa. — Num hic quoque boni Interpretis administraverim provinciam, iterum tuum esto, Lector, aequa ponderare lance.

§. 20.

Tertius restat locus *Ebr. II: 2.* qui minimis urgeri videtur difficultatibus. *Ὁ δὲ ἀγγέλων λαλήθεις λόγος* rursus *lex est per nuncium aliquem*, nempe *Mosen promulgata*, atque opponitur salutis praeconio, ab Ipso Domino primum peracto, post ab Ejus apostolis, cf. c. X: 28, 29. Additur *vers. 5. sqq. Nec enim Angelis h. e. cuidam nuncio, Mofi simili, subiecit Dominus Ecclesiam N. T;* sed ipse Filius Dei infra genios coelestes descendens nostram adsumsit carnem, hominibus regni sui naturam exposuit, atque credentes in se baptizatos collegit. Hominum dux salutis constitutus, Ipse homo factus est, hominesque suos dicit fratres. — Mofi, ceu angelo cuidam, subjectum fuisse populum Israëliticum, cujus quippe dux per de-

tertum est constitutus, ita ut in Eum quoque baptizati Israëlitae dicantur 1 Cor. X: 2. non dubitabit, quisquis Mosis Commentarios vel adspicere voluerit. Sed Angelis sive coelestibus sive infernis illos esse subditos, ego quidem minime dici posse puto, quamquam interdum beatorum geniorum opera illis quam maxima exhibita sint beneficia, qualia & in N. T. locum habent. — Promissae brevitatis memor hic orationis meae filum abrumpo.





V.

HERMANNI TOLLII
ORATIO,

P R O

MAGNORUM VIRORUM GLORIA, AB HISTORIARUM INTERPRETE, NON TEMERE OBSCURANDA.

publice dicta

Harderovici Gelrorum ad d. 13. Junii 1770.

Cum fasces poneret Academicos.

PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI ACADEMIAE GELRO-ZUTPHANICAE CURATORES.

QUI ILLUSTRISSIMO HUIC COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR AMPLISSIME.

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CUJUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES HUMANISSIMI!

Quamquam in ceteris Historiae laudibus haec maxima est AA., quod imitandorum & fugiendorum exempla proponit,

L 4

ponit,

ponit, in vitas hominum intueri tanquam in speculum jubet, & ad optimi cujusque & probatissimi imaginem mores vitamque nostram conformare: tamen, ut solent in ceteris quoque rebus, quae pulchrae eadem arduae esse, ita summam hanc utilitatem magna cum praecipendi difficultate conjunctam esse, qui quidem periculum fecerint, confitentur omnes.

Habet antiquitas, habet majorum nostrorum aetas viros illustrissimos, qui famam ad posteros transmisisse meritis & virtute quaesitam videri possint atque adeo debeant: Sed, quod virtutis officiique praemium amplum, sanctum castumque esse oportebat, vehementer extenuavit, obscuravit & delevit maligna quorundam hominum obtrectatio & invidia. Si enim Annalium omnium memoriam accuratissime replicemus, in universis totius antiquitatis monumentis vix unus erit aliquis, de quo idem & constans sit hominum iudicium, qui, dum laudatur ab his, non culpetur ab illis, quemque adeo proponere Auditoribus, & in exemplum, omnium suffragiis comprobatum, posimus commendare.

Intelligunt quidem idonei harum rerum iudices in praestantissimorum hominum memoria obscuranda saepe invidiam plus valere, levitatem quamdam & errorem popularem, quam gravitatem rectumque iudicium:

um: cum tamen eadem illa obtrectatio non hanc solam fundo nostro minetur calamitatem, ut Historia, quam vitae magistram admirati sunt Veteres, omnibus destituta imitandorum exemplis, ad morum disciplinam inutilis videatur & vana; sed cum hanc etiam aetati nostrae intentet securim, ut erepto justissimo virtutis praemio. honore & gloria, homines virtutem minus diligenter colant, sermonem illum, quem laeta a me exposcit hujus diei solemnitas, *Virorum magnorum gloriae dicare decrevi, ab Historiarum interprete non temere obscurandae.* —

Quod dum aggredior, vehementer certe timerem, ut mea in dicendo tenuitas insignem hanc rei magnitudinem & difficultatem capere posset ac sustinere, nisi illud in primis mihi animum adderet AA., quod Judices quasi de re vestra dati subtilem illam & elegantem orationis copiam vix videmini desiderare. Quomodo enim vos, Viri Illustrissimi, Amplissimi, Celeberrimi, Oratori pro virtutis gloria, quamvis exiliter, dicenti non adsentiremini, qui dudum meritis vestris in eam gloriae possessionem venistis, qua magnorum virorum plurimos injuria pulsos esse querimur, quique ad eandem incendi debere & inflammari censetis omnem hanc civium nostrorum coronam.

Itaque adeste animis AA.; dicentem be-

DOMI: I VIT: ...

... accuratissime representemus, in universis antiquitatis monumentis vix unus erit al de quo idem & constans sit hominum cium, qui, cum laudatur ab his, non petur ab illis, quemque adeo proponer ditoribus, & in exemplum, omnium f giis comprobatum, possimus commen

Intelligunt quidem idonei harum r judices in praestantissimorum hominun moria obscuranda saepe invidiam plus re, levitatem quamdam & errorem p larem, quam gravitatem rectumque j



cum tamen eadem illa obrectatio
c solam fundo nostro minetur calami-
at Historia, quam vitae magistram ad-
int Veteres, omnibus destituta imi-
m exemplis, ad morum disciplinam
videatur & vana; sed cum hanc eti-
ti nostrae intentet securim, ut ere-
tissimo virtutis praemio. honore &
homines virtutem minus diligenter
sermonem illum, quem laeta a me
: hujus diei solemnitas, *Virorum mag-*
oriae dicare decrevi, *ab Historiarum in-*
non temere obscurandae. —

I dum aggredior, vehementer certe
n, ut mea in dicendo tenuitas insignem
i magnitudinem & difficultatem cas-
isset ac sustinere, nisi illud in primis
imum adderet AA., quod Judices
e re vestra dati subtilem illam & ele-
orationis copiam vix videmini desi-

Quomodo enim vos, Viri Illustris-
Amplissimi, Celeberrimi, Oratori pro
s gloria, quamvis exiliter, dicenti non
remini, qui dudum meritis vestris in
loriae possessionem venistis, qua ma-
n virorum plurimos injuria pulsos esse
ur, quique ad eandem incendi debere
mmari censetis omnem hanc civium
um coronam.

ue adeste animis AA.; dicentem be-

nivolentia, vestra sustentate, & rem omnem, quam brevissime transigi poterit, cognoscite!

Jam primum, quoniam cauti Historiarum Interpretes veritatis se nuntios & profiteri & praestare solent, facile intelligitis uberrimam hic subesse dicenti materiam; de veritate & errore, de utriusque fontibus & causis copiose disputari, omnemque Dialecticorum de testibus explorandis & numerandis disciplinam hic longa oratione excuti posse; Verum, date mihi hanc veniam AA., ut omnem hanc subtiliorem disputationem circumscribam ex hoc meo sermone & tollam, cum vestra praecipue eruditio molestum hoc ad dicendum audiendumque opus supervacuum facere videatur.

Historiarum igitur Interpretem hic ponimus talem, qui in factis magni ex antiquitate viri versetur certis & exploratis, eademque illa ad recti judicii rationem exquirat, ut, collectis diligenter omnibus & consideratis, tandem cogitationum suarum aliquam quasi summam faciat, & veram cujuscunque hominis imaginem effingat. Tum vero Clementiam perfectissimi Numinis & justitiam illibatam, utramque & infinitam, humani judicii regula metiri si non impium & temerarium existimet; certam tamen adhibeat & aequam formulam, ex qua num. laudandus sit ab homine homo, an vero culpandus pronunciet.

Ple-

Pleum profecto opus aleae, & tanto gravius iudicium, quanto memoria unicuique & ad posteros fama, carior esse solet, eatenus autem difficile, quatenus nullam hi rei honoris sui defendendi habent facultatem. —

Si igitur omnibus, quae inter homines sunt, iudiciis, aequum consideratumque iudicem praepositum esse volumus, multo certe minus ad hanc cognitionem vel leves admittendi erunt vel iniqui. Absit hinc oportet odium, gratia, suspiciones, conjecturae, livor inprimis & maligna calumniandi libido! Contra, quae a Philosophis & JCtis acceptimus rerum recte aestimandarum praecipua, universa illa observentur & cumulata.

Praeter has autem notas leges, & apud omnes pervulgatas, habent illi, quorum gravitas & modestia, mortuorum memoria integre incorrupteque aestimanda censetur, multas proprias cautiones & domesticas, quas ad communes illas adjici ipsa iudicii hujus vis & natura videtur postulare.

Qui in sella vel tribunali civium causas disceptat, singula cognoscit hominum facta, passionis, crimina: Noster iudex omnem hominem ejusque famam, ex factis universis iudicat. Illi vel absolvendus reus est vel condemnandus; Hic rerum, & temporum causa interdum etiam excusandus. Ille in suo
ver-

versatur jure, certo ut plurimum, & definito; Hic in vario, saepe etiam obscuro & fluctuante.

Videamus haec tanta judiciorum differentia quam in cautionibus adhibendis vim habeat!

Primum igitur hoc satis constat „ hominum genus ad honestatem natum, inde ab Adamo, malo cultu pravisque opinionibus dudum corruptum, corpore nasci tam fragili & infirmo, animo, ita ad molestias anxio, humili ad timorem, molli ad labores; prono ad libidines ” ut nemo unquam mortalis homo & caducus tantam tristissimae hujus corruptelae vim superare potuerit & funditus evertere; sed contra universum genus nostrum, nosque adeo singuli ex vitiis virtutibusque mixti quasi videamur & temperati.

Poëtis forte licet & Pictoribus, perfectam, detractis omnibus vitiis, hominis imaginem effingere; Historicis, quam quaerit honestatem & virtutem, in uno homine reperire consummatam non potest.

Aristides, Cimon, Epaminondas, Camilli, Fabricii, Reguli, Boëthii, Melanchthones, Grotii, etsi aequaliter sanctitatis & justitiae, atque armorum vel sapientiae laude floruerunt, absolutionem tamen illam perfectionemque probitatis, in qua reprehendi nihil possit, non sunt assecuti. —

Valent hic mirum quantum coeli, corporis, civitatis, aetatis, educationis, studiorum, vitae denique, quibus aliquis utatur, temperationes & ratio; quaeque inde afferatur homini & inseritur quasi nota, sive ut graeca utar voce, *χαράτις*, emollire quidem illam, regere, continere eruditione, sapientia & religione possumus omnes, atque adeo debemus; qui autem correxerit universam & penitus emendaverit, inventus est nemo: —

Hinc, quos meritis excellentes suspicimus & admiramur, eosdem saepe turpissimis vitiis immerfos esse indignamur. —

Magnos cogitate Alexandros, Constantinos, Elisabethas, Henricos, Ludovicos, Petros, & intelligetis profecto praestantissimos viros non tantum noxis atque peccatis, sed interdum criminibus etiam, fuisse obnoxios.

Hos igitur an a pessima illa parte spectandos auditoribus praebebit Historiarum interpres? condemnandos sistet & abominandos?

Equidem Criticorum gentem ex ipsa natura sensuque communi prudenter hanc derivasse legem exiltimo. „ Quod excellens sit „ & magnum in cunctis rebus pulchro nitidoque praevalere: quemadmodum enim „ ignem, qui in focis nostris quotidie accendi solet, purum licet & illibatum, non ita „ stupemus & admiramur, uti solem, lu- „ nam-

„ namque, tametsi & obscurentur nonnum
 „ quàm & maculis notentur: ita quidquid
 „ delicti expers sit, culpam quidem vitare
 „ verum illud solum, quod grande sit atque am-
 „ plum, admirationem concitare. Conferen-
 „ da igitur vitia virtutibus esse, & una sæpe
 „ sublimitate, unius sententiae magnificentis
 „ cuncta redimi peccata.” —

Hac regula, qua Homeri, Platonis, De-
 mosthenis ingenia judicavit princeps Criticæ
 artis Longinus, nos magnorum virorum
 merita & famam metiamur.

Noxas illorum & delicta fateamur, indi-
 cemus etiam; & animi, honoris ac glo-
 riæ, sicut omnium rerum magnarum, do-
 leamus tam lubricam esse & præcipitem alti-
 tudinem: Virtutes vero, resque præclare
 & sapienter gestas laudemus, ad imitatio-
 nem commendemus, iisque ipsis, si magnum
 animum, altum & exaggeratum prodant,
 vitiorum maculas elutas quodammodo & re-
 demptas esse largiamur. Deinde in ceteris
 omnibus, dum perfecta moderationis exem-
 pla frustra circumspicimus, celebremus ta-
 men illos & veneremur etiam, qui ut per-
 fecti essent, sedulo laborarunt. —

Ita cavebimus certe, ne, qui apud poste-
 ros *magni* cognomen adhuc obtinuerunt,
 inde a nostro seculo *pessimi* audiant, & no-
 stræ

strae aetatis propria haec labes feratur & macula, *virtuti invidere.* —

Hujus autem rei iniquitatem & infamiam attente mihi cum animo meo consideranti, nova exoriri cautio videtur & provisio, ut nempe temporum momenta & conditiones rerum, in quibus peccatum esse dicatur, diligenter perferutemur. —

Quod enim pessime aliquis vel fecisse videri possit, vel omisisse, si, praeter ipsius culpam, tale fuerit, ut aliter fieri vel omnino non potuerit vel difficulter, necessitati donandum esse gravissimi censent & severissimi Philosophi, vel eo excusandum magis, quo major obstiterit officii faciendi difficultas. —

Nihil, ut in rem praesentem veniamus, nihil turpius & impium magis ne cogitando quidem conjici potest, quam, si in Religione & Dei cultu illas opiniones, illos ritus admittat quis & observet, quos perversos esse noverit, & a summi Numinis voluntate remotissimos. —

Jam, ne Constantini M. utar exemplo, vix habet omnis Historia, quem cum Petro Magno, Russici Imperii statore & patre possimus comparare: Hic vero, qui salubri consilio, & exemplo fere singulari, variorum populorum instituta & Religiones diligentissime cognoverat & accuratissime, hic,

„ namque, tamen si & obscurentur nonnum-
 „ quam & maculis notentur: ita quidquid
 „ delicti expers sit, culpam quidem vitare,
 „ verum illud solum, quod grande sit atque am-
 „ plum, admirationem concitare. Conferen-
 „ da igitur vitia virtutibus esse, & una saepe
 „ sublimitate, unius sententiae magnificentia
 „ cuncta redimi peccata.” —

Hac regula, qua Homeri, Platonis, De-
 mosthenis ingenia iudicavit princeps Criticae
 artis Longinus, nos magnorum virorum
 merita & famam metiamur.

Noxas illorum & delicta fateamur, indi-
 cemus etiam; & animi, honoris ac glo-
 riae, sicut omnium rerum magnarum, do-
 leamus tam lubricam esse & praecipitem alti-
 tudinem: Virtutes vero, resque praeclare
 & sapienter gestas laudemus, ad imitatio-
 nem commendemus, iisque ipsis, si magnum
 animum, altum & exaggeratum prodant,
 vitiorum maculas elutas quodammodo & re-
 demptas esse largiamur. Deinde in ceteris
 omnibus, dum perfecta moderationis exem-
 pla frustra circumspicimus, celebremus ta-
 men illos & veneremur etiam, qui ut per-
 fecti essent, sedulo laborarunt. —

Ita cavebimus certe, ne, qui apud poste-
 ros *magni* cognomen adhuc obtinuerunt,
 inde a nostro seculo *pessimi* audiant, & no-
 strae

strae aetatis propria haec labes feratur & macula, *virtuti invidere.* —

Hujus autem rei iniquitatem & infamiam attente mihi cum animo meo consideranti, nova exoriri cautio videtur & provisio, ut nempe temporum momenta & conditiones rerum, in quibus peccatum esse dicatur, diligenter perscrutemur. —

Quod enim pessime aliquis vel fecisse videri possit, vel omisisse, si, praeter ipsius culpam, tale fuerit, ut aliter fieri vel omnino non potuerit vel difficulter, necessitati donandum esse gravissimi censent & severissimi Philosophi, vel eo excusandum magis, quo major obstiterit officii faciendi difficultas. —

Nihil, ut in rem praesentem veniamus, nihil turpius & impium magis ne cogitando quidem conjici potest, quam, si in Religione & Dei cultu illas opiniones, illos ritus admittat quis & observet, quos perversos esse noverit, & a summi Numinis voluntate remotissimos. —

Jam, ne Constantini M. utar exemplo, vix habet omnis Historia, quem cum Petro Magno, Ruffici Imperii statore & patre possimus comparare: Hic vero, qui salubri consilio, & exemplo fere singulari, variorum populorum instituta & Religiones diligentissime cognoverat & accuratissime, hic,

hic, (inquam) cum inveteratam barbariem ex moribus animisque suorum prudenti disciplina delevit; an in Sacris etiam, quae emendanda esse probe perspexerat; correxit omnia?

Intelligebat Princeps sapientissimus ita opinionationes & caerimonias veteres suorum animos occupasse, ut praecidi continuo & extirpari non possent, sed deberent contra, meliores opiniones inferendo, leniri paullatim, emolli, tandemque omnino emendari: Jejunia igitur frequentiora, imaginum venerationem, aliaque a puriore Dei cultu alienanda, admisit; Monasticae vitae facultatem, cum auferre suis non auderet, certis terminavit finibus; tandem, quo facilius reliquis vitiis publicam Religionem vel ipse expurgaret vel ipsius successores, separatim antea Patriarchae munus imperio in perpetuum adjunxit.

Accusabimus igitur maximi Principis in re maxima cunctationem? Immo vero laudemus cautam sapientiam! —

Sicut enim inter antiquos Socrates & alii nonnulli Philosophi multas suorum superstitiones, aperiendo, quos solos poterant, Philosophiae naturalis fontes, leniter eluere tentarunt & delere: ita sagax hic & providus Imperator, cum cognovisset turpissimos errores ex S. Literarum ignorantia emanare, pervul-

gata

gata inter suos S. Codicis versione, id efficere conatus fuit, ut clarissimum & splendidum ipsius Evangelii lumen densissimas antiquarum religionum tenebras dispelleret, atque adeo doctrina & institutione eo perducerentur homines, quo per leges cogi atque impelli vix poterant. —

Qualem, ut hoc addam, Erasmo deberi ad posteros gloriam censebimus? cui statum publice posuerunt Nostrates, & cui tantum debent Litterae Scientiæque, quantum haud scio an nemini. ---

Hic tamen, licet plurimos in Sacris errores minuendos esse & perspiceret, & non obscure confiteretur, ad Lutherum tamen ceterosque emendatae doctrinae patronos accessit nunquam, illas publice professus est opiniones, illos sectatus ritus, quos vix ipse probabat. Nescio enim qua obstrictus religione, secessionem a suis facere non ausus, hanc animo conceperat opinionem, „ ut „ sibi magno opere etiam displicere scriberet feditiosam illam libertatem, seque falli „ malle in nonnullis, quam tanto orbis tumultu pro veritate digladiari. ”

Turpissimae simulationis & impietatis Erasmus, Iudices! habetis reum, eumque confitentem.

Ergone evertendam existimatis Statuam, abolendam memoriam omnem, & in scele-

ratorum hominum gregem detrudendum esse, qui adhuc inter Eruditos, doctrina & meritis nobiles primum fere locum tenuit? Gratulor ego Erasmi manibus, aequius posteritatis, aequius vestrum iudicium; Quod laudari non possit factum, excusandum certe iudicatis, & temporibus Viri Primarii condonandum, quibus vel timide & cum simulatione aliqua praeparanda Sacrorum emendatio erat, vel cum tumultu & armis propaganda. Cum igitur tempori cedere & necessitati servire interdum etiam Sapientis sit, diligenter caveat homo Historicus, ne temere illos condemnet, quos officii praestandi difficultas aut negligendi necessitas defendere possit & excusare. —

Et his equidem vellem cautionibus rem omnem absolvi posse; Verum enimvero, quandoquidem haec nostra cognitio & iudicium tam late regnat & dissipatur, quam seculorum regionumque termini intelligi possunt, insignem sentio superesse difficultatem, & nescio an multo maximam, quo jure, qua ad iudicandum norma utamur. —

Risum profecto moveret vobis & cachinnos AA. si quis Alcinoi illam, quam Homerus deformavit, aulam ex Ludovici XIV. magnificentia iudicandam, vel Euandrum illum apud Virgilium, in Pantherina pelle & canibus stipatum regem, ad splendidum

nostrorum regum comitatum pompamque censeret exigendum esse. —

Uti Artifices, Poëtas, & Scriptores reliquos, ex suo quemque seculo & civitate aestimandos esse concedunt omnes; ita in factis quoque & vita hominum aetatis ratio & mores civitatis publici mirum quantum regnant & dominantur. —

Neque enim, ut dudum monuit Cornel. Nepos, „ eadem omnibus honesta sunt & „ turpia; Quae in magnis laudibus apud „ alios, vel sunt vel fuerunt, partim infamia apud nos, partim humilia & ab honestate remota ponuntur, contra apud illos turpia, quae nostris moribus decora. ”

Unde hoc certe intelligitur, ex nostris institutis singulis omnium aetatum & gentium Viros illustres judicari nec posse nec debere: neque multum ego ab illa absum sententia, ut ex suis legibus & consuetudine cuiuslibet jus dicendum esse existimem, ac neminem ab Historico condemnandum, nisi qui tale admiserit crimen, quod sciverit ipse, scire certe per aetatis & civitatis suae rationem potuerit, in societatem injustum, vel in Deum impium esse. —

Sentio equidem, quorsum tandem ducat haec regula, & plurimos mihi video ex hoc praescripto absolvendos esse, qui ne ad normam quidem naturalem, qua nos bonam le-

gem a mala dividimus, vitam factaque direxerunt; Graeci, Romani, Muhametani honesti dicentur viri & probi, si, praeceptorum legumque meliorum ignari, patria instituta diligenter observaverint, nec ab illa, quam habere poterant, justi atque injusti conscientia discesserint; Quin intelligo, quod objici hic fere solet, „ quas „ gentes memorant rectum putare humana „ sacrificia facere, parentes post sexagesimum annum occidere, viduas in maritorum rogos imponere: ” Intelligo inquam, in iis etiam gentibus, si fuerint forte viri meritis insignes, vix illos, suorum mores & ritus sedulo secutos a nostro, quem informamus Censore Historico, ulla ad ignominiam nota inurendos esse. —

Quid igitur? num, ut hominum nonnullorum gloriam tueamur, naturam ipsam movere, & leges ab illa non scriptas nobis & dictatas, sed insculptas penitus animis, intritasque eradere conamur & evellere —

Longissime a nobis tanta abest & tam impia temeritas; sed ita opinamur, lege neminem teneri, nisi illa, quam cognoverit, cognoscere certe potuerit: quae autem nos, singulari Benignissimi Numinis beneficio, primum ex limpido illo S. S. fonte hausimus, deinde vero ex ipsis quasi naturae principis *mira* arte elicere instituimus, illorum
prae-

praeceptorum plurima nec perspecta fuisse, nec perspicere fere potuisse ab illis, qui sola natura usi sunt duce. Si enim legum praeceptorumque omnium, quae & neglexerunt illi & ignorarunt, tam facilis fuerit inventio: gentes illae, quas dixi, Barbarae, (quamquam forte hae, nullis viris magnis nobilitatae, ad nostrum institutum parum pertinent) Gentes tamen illae Barbarae, quomodo tam crudelibus caerimoniis sacra facere, quomodo ritus tam horrendos, adhuc tam sancte servare potuerunt? Sunt profecto illae caerimoniae, sunt illi ritus ejusmodi, ad quos non voluptatis aliqua specie & suavitatis a natura duci homines possint, sed ad quos invita adigi natura debet & compelli maxima aliqua religione & metu, nisi Parentes, liberos, se ipsos ultro excruciaturos fore putetis, quibus pateat & in promptu sit lenior puriorque Dei colendi & placendi ratio? — Equidem dubio & suspenso animo cogitare saepe soleo, quam excusationem posteritas libentius sit acceptura, aut ignorantiae illam, quam miseri hi habent mortales, aut hanc sollicitudinis, nescio cujus, quam solam afferre possunt illi, qui cum servos ex harum gentium multis & cetera emolumenta avidè venentur, tamen, ne in Christianos scilicet minus forte quam in Paganos valeat dominorum jus, in tantis erroris &

inſcitiae tenebris clariffimum melioris do&trinae quod habent, lumen non audent illis praeferre. —

Inter Romanos Graecosque, ut illuc revertar, fuiſſe conſtat, qui (virtutis an gloriae ſtudio ducti hic parum refert) omni virium contentione per omnem vitam id unice egerunt, in eo laborarunt, ut certam aliquam veramque Dei, mentis & officii notionem ac formam conciperent animo & definirent; Incredibilem admiramur in his ipsis ingenii vim & diligentiae, quibus reliquas artes omnes & diſciplinas non inventas ſolum & inchoatas ſed exornatas mirifice & tantum non abſolutas ad nos tranſmiſerunt; Hic autem illi, quod quaerebant, aſſequi non potuerunt; Numinis ſupremi, veri Juris, germanaeque Juſtitiae, cum ſolidam effigiem nullam tenerent, umbris & imaginibus fuerunt uſi. —

Quam igitur ignorantiam tot tantique viri, continuato per plurima ſecula ſtudio & induſtria, ſuperare non potuerunt, non video tantae illam culpae & vitio illis aetatibus dari poſſe, ut ab homunculis nobis, famae & gloriae periculum ideo illis aſſerri debeat.

Deinde vero, ſi unus forte & alter ex ipſa natura eruere potuerit, quae nos divinitus inſtituta, eo contulimus; ſi ſuperari poſſe Muhametanorum aliorumque inſcitiam fatendum

dum sit, qui tamen inter illos honestis moribus fuerint, vitae integrae, & multa virtutis laude floxerint, non continuo illos scelestissimorum hominum loco habendos, & per omnium ora invidiose traducendos esse concesserim. —

Durus sit & ferreus oportet, qui miserum non deploret illarum gentium caecitatem; sed iniquus idem & injustus, nisi in singulis illarum civibus aestimandis cogitet, quanta vis sit & auctoritas opinionibus vulgi, quam sit difficile errores abjicere, quos cum lacte nutricis suxeris, & praejudicatas opiniones universae eripere civitati, denique quam parum a seditionis atque impietatis suspicione & poena abesse soleat, qui caerimonias religionesque publicas aggrediatur emendare, quibus retinendis majorum instituta & civitatis vim unice servari posse semper singuli censuerunt populi & universi. —

Atqui simus Judices AA. & humani! Quos ignorantia non absolvet vix superanda, ab illis tamen temporum suorum excusationem accipiamus, & omnino sic statuamus: laudandos homini historico omnes esse & ad imitationem proponendos, qui quantum per humanam naturam, rerum conditiones, & aetatis suae rationem licuit, virtutem sanctissime coluerunt ac justitiam. —

Praestantissimos quarumvis aetatum & gen-

tium viros laudando, excitanda nobis in Auditoribus est & alenda animi Magnitudo, cuius, auditis magnis rebus & cogitatis, insignem animo complecti speciem solent & amorem; Indicandum demonstrandumque, quam constanter pietatem & integritatem justitiamque multis etiam adversis casibus, & calamitatibus vexatam, homines coluerint a vera Dei cognitione alieni, qui, cum, maximam partem, in exigua hac vita perpetuam illam & sempiternam vix sperare audent, nulla fere alia re, nisi ipsius virtutis splendore & voluptate duci potuerunt & sustineri; Denique efficiendum hoc est, ut sentiant auditores, illorum vix se assequi sanctitatem posse & temperantiam, quos eatenus superare debebant, quatenus permittit jubetque certior illa, clarior & vere coelitus missa Christianorum doctrina, atque adeo pudore suffusi censorium ponant supercilium, honestissimos illos atque in hac mortalitate ac Dei obscurissima notitia sanctissimos homines imitari potius, aut, si fieri possit, superare conentur, quam magnitudinem illorum allatrando turpiter in aliena splendere invidia. —





VI.

ANONYMI
DISSERTATIUNCULA

DE

י ש ר ר י

NOMINE

ISRAËLIS

MYSTICO.

§ I.



frustra omnino sunt, qui, in exponendo hoc *Israëlis* nomine *Deut.* XXXII: 15. XXXIII: 5, 26. *Jes.* XLIV: 2. *aliam* admittunt *Radice*m, quàm שררר, *terc. quiesc. He*, ut vulgò dicitur.

M 5

§. 2.

§ 2.

Non sane! ac si, *id nominis*, ex inde, esset (quae sententia est *Clar. J. F. MICHAËLIS* in *Dissert. de Genuinis ישרון Natalibus*, Witembergae a. huj. sec. XVI. ventil. *Sect. I. §. 13.*) *secundum easdem formationis leges*, quibus ירותון 1 *Paral. XVI: 38, 41, 42. XXV: 1, 3, 6. 2 Paral. XXXV: 15. Nebem. XI: 17. Psalm. XXXIX: 1. LXII: 1. LXXVII: 1. à ירה descendit; ה He sc. pro more abjecto*, atque י Fod ab initio & ן Nun in fine, ex literis Heemanticis, *adjectis; nisi quod in ישרון Kibbutz*, vicarium ט Schurek, *occurrat. Nam, gratis affirmatur*, inquit JOANNES OLPUS, nostras, in *Dissert. de Feschurune ejusque &c. Delicto*, quam *Bremae 1730. sub Praesidio Celeb. THEOD. HASAEI* prodire fecit, *Cap. I. v. 4. quod ישרון à Rad. ירה descendat, secundum illas leges*, quibus ירותון à ירה, confessus est. ירותון enim non a ירה, sed contracte à יריות dilectionem notante derivari, *evicit HILLERUS in Onomast. p. 10, 193, 415. & imprimis p. 513. Imo si vel maxime ישרון descenderet à ירה secundum illas formationis leges*, quibus ירותון à ירה, tum aut istud ה deberet mutari in ת, aut in locum ה abjecti ה Heemanticum inferi, adeoque

de **ישׂרון** nomine Israëlis Mystico. 187

que non deberet scribi **ישׂרון**, sed **ישׂרותון** vel **ישׂרתון** aut **ישׂרתון**.

§ 3.

Veritatem, itaque, si amas, forma, quae-
so! simpliciter futurum Conj. Pybbal ejusdem
Rad. **שרה**, in origine **שרו** & **שרי** ult.
Waw & Fod, atque in 3 Plur. Masc. cum ן
Nun Parag. enunciato, ipsissimum habebis
ישׂרון. Nisi mavelis 3 Sing. Masc. **ישׂרה**
ex Orig. pro **ישׂרו** per Paragogen itidem au-
gendum. Quicquid autem elegeris; Omne
vocabulum certum formationis suae habet fun-
damentum, exque illo conjugandi ordine deri-
vatur, cujus faciem repraesentat. Id veris-
simum esse, nemo non agnoscit, &, si non
aliunde, ex bocce saltem Exemplorum nume-
ro: **עם** Deut. IV: 33. **נויד** Gen. XXV: 29.
גנב Exod. XXII: 6. **כתנת** Exod. XXIX: 5.
הרתוך Ezech. XXII: 22. **תרמה** Jud. IX: 31.
& **הבלל** Lev. XXI: 20. qui omnes septem **ע**
יתרי **עמם** **יתרי** **עמם** **יתרי** **עמם** **יתרי** **עמם**
tritis-
simas conjugandi variationes ostendit, libens
recognoverit.

§ 4.

Character, fateor, Conj. Pybbal, media nem-
pe dageffata, in **ע** **ישׂרון** non comparet. Ca-
ve

ve tamen *inde* quicquam efficias in *contrarium!* Est tantum ad *evitandam κακοφωνίαν*, quae ex stridore *horridae literae Caninae* geminato, resultaret. Quamvis à vero non abhorreat dixisse, *utrumque* & יִשְׂרָאֵל & יִשְׂרָאֵל

veteribus Hebraeis in *usu* fuisse; quum ne nunc quidem peccaret, qui *Rad. שרה* in *Conjug. Dageffatis, Pibbél, Pybbál & Hitpabbel, שרה, שרה & השחרה* proferret

& per omnia conjugaret. Nam, *Dagesch forte*, ut felicissimus *Linguarum Orientalium* instaurator ipse, A. SCHULTENSIUS, fatetur, *jus habet in omnes literas, ne Gutturalibus quidem, aut Resch, exceptis; in Institut. ad Fundamenta Ling. Hebr. §. XVIII.*

§ 5.

Ad ipsam vero, quod attinet, *notionem* שרה, videlicet: *solvit, resolvit, dimisit, emisit, liberavit*, juxta MICHAËLEM in *Dissert. antea adductâ*, Sect. II. §. 18. vel, ut eandem jam, bene & plene, *uno verbo*, exposuerat CHRIST. RAVIUS, Vir merito suo celeberrimus, in *Concord. Hebr. & Chald.* scribens: שרא, שרה, שרו. שר. r. in l. solvo. Quàm vellem hęc *Doctiff.* OLPICIO c. l. pag. 11. non excidisset: *Illâ* (notio sc. allata) *infirmo admodum talo nititur; Quippe Radicem שרה apud He-*

Hebraeos, solvendi, liberandi, dimittendi significatu gaudere, id nondum satis est evictum. Quid enim, ad evictionem, firmitus, quàm quod ipsis Dialectis, quae, cum Hebraea, unam eandemque constituunt Linguam, innititur?

§ 6.

In *Chaldaicâ* certè! *Dialecto*, istud *solvere* פָּרַשׁ & שָׂרָה & שָׂרָה subest. Non dubitabit, qui *Magnum BUXTORFIUM* in *Lex. Chald. Talm. & Rabb.* evolverit; Ubi p. 2525. inter alia: *פָּרַשׁ וְשָׂרָה נְמִלִּיאַ*, & *solvit camelos*, scil. à funibus & vinculis, vel ut JONATHAN habet: *פָּרַשׁ וְשָׂרָה נְמִלִּיאַ* *solvit capistrâ camielorum*, Gen. XXIV: 32. Porro: *Video quatuor viros פָּרַשׁוֹת מֵהַלְכִין שָׂרִין* *solutos* (JACHIAH. addidit בְּלִי קֶשֶׁר *absque ullis vinculis*) *ambulantes in medio ignis*, Dan. III: 25. It. porro: *וְהַשָּׂרִי סִינִיָּה* & *solvit* (Hebr. וְהַלְצִיָּה) *calceum tuum de pedibus tuis*, Deut. XXV: 9. Denique: *הַיִּשּׁוּר מִן אֲרֻצָּא* *Numi solvet aliquis laqueum de terra, antequam capiendo aliquid ceperit?* pro *הַיִּשּׁוּר* *Num solvet* scil. הַיִּזְרַח *auceps laqueum vel rete suum*, Amos. III: 5.

§. 7.

Non minus ac in *Syriacâ*; Ubi ܠܡܫܘܬܐ teste *Clar. DE DIEU* ad 2 *Timoth. IV: 6. proprie significat solvere. Exemplum si requiras? En unum alterumve. Actor. XXII: 30. ܠܡܫܘܬܐ Et solvit eum, scil. è vinculis, ut Graec. ἔλυσεν αὐτὸν ὑπὸ τῶν δεσμῶν. Luc. XIII: 15. ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ ܠܡܫܘܬܐ ἢ nonne solvit τὸν βῆν αὐτῆ ἢ τὸν ὄνον ὑπὸ τῆς Φάτνης. Marc. XV: 6. Consueverat autem quocunque festo ܠܡܫܘܬܐ in Graeco est: ἀπέλυεν, eis vincetum unum, quem ipsi postulassent. Plura suppediturus CASTELLUS in *Lex. Heptag.* fol. 3536.*

§. 8.

Quin imo in *Arabica*; Ubi ٿري itidem est *solvere*, insp. *aqua affusa*, ut *CLODIUS* scite monuit in *Lex. Hebr. Sel.* p. 518. Excerptam ex *GOLIO*, quantum, *huic ideae firmandae*, conducet. Habes ibi: *Humida & humore mollita fuit terra*, vel, ut est apud *GIGGEIUM*: ٿري للارض terra rore humectata fuit. *Mollis fuit, cum antea dura esset.* II. *Trans. ٿي praec. humectavit, conspersit humore locum, frumentum, & i. q. Conj. I. Humuit, humoremve in se habuit. Est nempe idem,*

de שרון nomine Israël's Mystico. 191

idem, quod *Chald.* תרה, in Aph. אתרה vel התרה, *maceravit, in liquido dissolvit.* In Itph. אתרה, ut *Num.* VI: 3. ubi JONATHAN, pro *Hebr.* משרת ענבים, quod ONKELOS presso sequitur pede, reddens מתרות ענבין; habet: שיקיני דאיתרו ביה ענבי potum sive liquorem, in quo maceratae, vel dissolutae sunt uvae.

§. 9.

At, quod magis est & majus, ipsa *Dialectus Hebraea*, hanc solvendi imaginem non respuit *Job.* XXXVII: 3. ubi *Elibu*, postquam de tonitru locutus fuerat in genere, ejusque admirationem excitaverat, ita: *Sub universo coelo שרהו solvit eam, scil. קולו יצא והנה מפיו יצא* h. e. ex *Vers.* JUNIO TREMELLIANA: *Vocem ejus & loquelam ex ore ejus prodeuntem;* vel, ut *id*, uno verbo, dicam: *tonitruum;* maxime, ubi, cum *Acutiss.* SCHEUCHZERO in *Lib. Jobs Heilige Naturkennis* p. 338. קול דען *een swaar, een bestig donderen,* & דען הנה *een klaterend donderen,* exposueris. *Metaphorâ*, ut puto, desumptâ à *re equestri*, quae in *sacris* quoque admodum frequens. Nam pingitur, q. *vinculum* antea, & *capistrum frenatum.*

§. 10.

§ 10.

Ejusdem est generis *Jerem. XV: 11.* ubi *Deus*, conquerenti *Prophetae*, ita: *Si non* (per modum juramenti inquit DE DIEB in *Crit. Sac.* ad h. l.) שרותך (pro pleno שרותיך 1 *Perf. Sing. Praet. Pibhél* א שרו, quemadmodum שריתך, quod *margo* exhibet, est א שרי.) *solvero te in bonum*; h. e. ut luculenter LUD. CAPPELLUS in *Annot. ad Jesaiae Cap. LIII: vs. 6.* adnotat: *Non ibis in captivitatem cum reliquis Judaeis, quin potius è carcere, in quem te conjecit Sedecias, educeris, & liber quocumque libuerit ire, dimitteris.* Habito, ni fallor, respectu ad *Cap. XL: 4.* ubi *Praefectus* satellitum sic loquens introducit: *Et nunc ecce פתחהך* (ex ipso nostro שרה habet *Chaldaeus* שריתך, itemque *Syrus* سرتك) *solvi te hodie à catenis &c. &c.*

§ 11.

Nec alterius est, quod relatam legimus *Ezech. III: 15.* ubi *Propheta*: ואבוא *Et veni* — — ואשר (pro ואשרה litera ה per *apocopen*, aut, per *vocem cum ה* incipientem, truncatâ) & solvi, scilicet נעלי מעל נעלי *calceos meos de pedibus meis*, h. e. steti. (Sic

de ישרון nomine Israëlis Mystico. 193

(Sic, utique! *plena phrasis* occurrit apud *Chaldaicum* (ONKELOS.) & שרי סינך מעל רגלך
Syrum סִינַךְ מַעַל רַגְלֶךָ *Exod.* III: 5. Nec
 non apud *Syrum* סִינַךְ מַעַל רַגְלֶךָ
 & *Chaldaicum* (JONATHAN.) שרי סינך מעל רגלך
Jos. V: 15. pro *Hebraeo* של-נעליך מעל רגליך
 & של-נעלך מעל רגלך, quod *Erudit. G. VERESTÓI* in *Dissert. de Palma Ardente*, *Franeq. Praefide* ALB. SCHULTENS, 1725 in lucem edita, *Part. I. p.* 183. itidem, non κατὰ γράμμα, sed τροπικῶς, explicat per *Remove incessum*, seu *cursum à pedibus tuis*, vel *à pede tuo*, h. e. *sta*, sive, ut VIRGILIUS loquitur: *istic jam comprime gressum*) וַאֲשֶׁר עָבַדְתִּי *sedi*. Pulcherri-
 ma, certe! gradatio in tribus hisce: בוא venit, שרה stetit & ישב sedit. Quare nollem, *Masorethae* τὸ וַאֲשֶׁר *circulo* notassent atque וַאֲשֶׁר *legendum* censuissent.

§. 12

Nihil ergo, τὸ ישרון, certius pleniusque nihil, ad *populum Israëliticum* (Nam, ut *Praest. VITRINGA P.* ait, *Certum est עָבַדְתִּי in confesso per Jeschurun intelligi Israëlem, populum Abrahamidarum; in Comment. ad Canticum Mosis p.* 106.) depingendum; q. d. *vi suae Radicis* שרה Ἀπειλότερον *Graec. & Lat. Libertum,*
Bibl. Haganæ Cl. VI. F. I: N vel

vel *Libertinum*; ita denominatum ab ejusdem stupenda educatione & liberatione ex servitute *Aegyptiaca*, ut laud. MICHAËLIS scite observat *Sect.* II. §. 20. ubi &, paucis interjectis, legitur: *Ab ipso enim Deo promissio facta est Patriarchae Jacobo Gen. XLVI. 3, 4. se velle ipsum reducere. Nec posteri Jacobi peculiarem gentem constituere potuissent, nisi educti ex servitute fuissent: Sub potestate namque Pharaonis vivebant, ita, ut adeo educatio ex servitute, ipsis quasi esse dederit. Promissio autem Jacobo facta, impleta est tantis miraculis, ut terrarum orbis vix unquam memorabilius quid viderit. Moses enim ex aula Pharaonis profugus, exul vagus, opilioque despectus, hujus expeditionis Dux, divinitus est designatus, qui etiam hoc admirandum liberationis opus, Divino auxilio, tot miraculis stipatus, feliciter perfecit. Hinc etiam Moses, quam primum Israël ex dura servitute eductus esset, memoriam stupendae hujus liberationis serio eidem injungit Et ne subsequens aetas tanti beneficii obliviscatur, Numen sapientissimum, instituto Azymorum festo prospexit. In solenni quoque promulgatione legis, Jehova Zelotes in acie Decalogi hanc liberationem ponit, perque Mosen & Prophetas illius recordationem quam diligentissime inculcat.*

§. 13.

Nobis tamen *hęc* nondum subsistere licet; respectu scil. cùm *Conjugationis*, tum *Temporis*, quibus ד שרון *formam suam* debet. Uti enim *Conjugatio*, cujus *Passivum* in שרון conspicitur, *perfectam* innuit *solutionem* sive *liberationem*; ita *Tempus*, ex quo prognatum, *liberationem* adfert *futuram*; q. ad literam d. *populus solutus*; imò, *perfecte solutus & solvendus*. Sic צהר א צהר, proprie quod *splendet & splendebit*, h. e. perpetuo splendens. Sic ירב & ירב, *adversarius, litigator* א רובב vel ריב proprie *qui litigat & litigabit*, h. e. *adversarius irreconciliabilis*. Sic ינר, *timidus, metuens* א נר, proprie *qui & metuit & semper metuet*, h. e. *meticulosus*. Quin imo, *idem jam*, ab *aliis*, observatum est, in *aliis*. v. gr. in יעקב א יעקב (*Jacob*) א יעקב ita dicto, quod ירו אחות בעקב עש Gen. XXV: 26. Nam, *hoc Jacobi factum signum erat*, ut inquit IKENIUS in *Dissert. Philos. Theol.* p. 286. *illius supplantationis*, quâ *is circumventurus erat fratrem*. Item in ישראל א שרה ita dicto, quod שרית עם אלהים ועם אנשים Gen. XXXII: 28. *Deus enim ipsa* h. ενομαθεσία *declarat*, ut inquit HEIDEGGERUS in *Histor. Patriarch.* P. II. p. 347. *Jacobum, qui in præsente lucta superior extiterat, imposterum quoque*

praevaliturum. Et, ut finiam, audi DRUSIUM, qui in *Comment. ad loca difficil. Pentateuchi* p. 98. de etymo nominis יוסף (*Joseph*) luculentè ita & abunde: *Qui Joseph interpretantur: addens, videntur in ea opinione fuisse, ut existimarint esse nomen factum ex participio praesentis temporis primae conjugationis, quam Kal appellant. Si sic est, falluntur. Nam id refellit plenior scriptura יהוסיף quae legitur*

Psal. LXXXI: 6. Ea nos docet nomen esse factum ex futuro tertiae conjugationis, quam Hiphil vocant & potius addendum sonare, quam addentem, vel additum. Quippe mater diserte, addet, inquit, dominus mihi filium alterum. Ecce non dicit addidit, sed addet. Dicitus ergo non quod ipse additus esset, sed quod mater speraret alium addendum, aut quod ad eum addi optaret alterum.

§. 14.

Atque sic detectâ verâ mystici hujus nominis ישרן etymologia, non amplius opinor, necesse est, ut cum *Vener. BUSCHMANNO* in *Lib. cui titulum fecit: Jacobs en Moses Testamenten*, Cap. XXXIII. §. 1. postquam ibi, sententiam MICHAËLIS nostri, enarrasset, sequentem in modum: *Hy leidt Jeschurun af van Scharak (refinge Scharab) vrymaken,*

de יִשְׂרָאֵל nomine Israëlis Mystico. 197

zo dat het te kennen geeft, een vrygemaakten slaaf, die uit den staat der dienstbaarheid in vryheid gesteld is; vage asseramus: *Was de afleiding regelmatig genoeg, de benamings-reden was op Israëel billyk t' huis te brengen.* Nullus equidem est locus, qui huic imagini (ad quamcunque liberationem etiam oculos intenderis, sive jam praesentem, sive adhuc futuram) repugnat. v. g. Deut. XXXIII: 26. ubi Moses, postquam Israëlitis benedixerat, ita: *Non est sicut Deus* (in fonte est אֱלֹהִים, fortè pro אֱלֹהֵי שְׂרֵי Deus omnisufficientissimus, Exod. VI: 3.) *ô Jeschurun.* Est enim *vocativus*, ceu ex accentuatione haud obscure ostendi potest, monente WEIMARO in *Uso Accent. Bibl.* p. 87. Quin imo, hanc expositionem in *Vocativo*, ut DACHSELIUS ait, in *Bibl. Hebr. Accent.* ad h. l. confirmat quoque sequens pronomen tui in בְּעֹזְרֵךְ in auxilium tui. Ne, scilicet, de *implemento benedictionis*, ulla ratione, dubitaretur. Maxime, ubi observaveris *Particulam וָ Wau* in tribus hisce locis Deut. XXXII: 15. Deut. XXXIII: 5. & Jes. XLIV: 2. diversum, *ubique*, usum induere. In hoc quidem: AT vel SED *insolecebat* (in Hebr. est שֶׁמֶן, quod, ut notat STOCKIUS, proprie est *animantium*, quae pinguescunt & obesa fiunt, dum copiosus pabulum, vel escam accipiunt, in *Lex. Hebr.* p. 1110.) *Jeschurun*; tanti beneficii, quod ipsi nomen imposuit, immemor.


198 Anonymi Dissertatiuncula &c.

In isto: ETENIM sive NAM erat (sc. Moses quem Stephanus *ἀντιεπιτην* appellat *Actor. VII: 35.*) in *Jeschurun* *יְשׁוּרֻן* i. e. Gubernator, secundum BUKTORPIUM, in *Catal. Philol. Theol.* p. 113. cum ante Saulem non Reges, sed Judices populo Dei imperitaverint. In illo denique: *Ne timeas serve mi, Jacob, NEMPE aut NIMIRUM Jeschurun &c.* His autem titulis, judice CALVINO in *Comment. ad h. l.* ornatus Deus populum suum, ut ex praeteritis beneficiis spem in posterum Judaei concipiant. Nam, ut cum *Clar. KOERBERO* in *Lex. Partic. Ebraeor.* loquar: τὸ ἢ verbis ἔϋ nominibus frequentius praefigi solitum, significationes omnium fere particularum connexivarum sustinet.



THE
OFFICE OF THE
DIRECTOR
OF THE
BUREAU OF
LANDS

WASHINGTON, D. C.
MAY 10 1906



RECEIVED
MAY 10 1906

S Y L L A B U S
S C R I P T O R U M,

FASCICULI SECUNDI.

CLASSIS SEXTAE.

- I. J. C. BONNET, V. D. M. *Observatio de insigni Harmonia, quae in Ecclesiae eiusque hostium factis conspicitur.* pag. 199 f.
- II. JACOBI CREMER, V. D. M. *Hulstensis, Observationum Exegeticarum ad historiam perpesionum D. N. Jesu Christi Decas.* pag. 215 f.
- III. DAVIDIS MEYER, V. D. M. *in agro Groningo-Omlandorum Ham & Franzum dicto (*)*,
Explicatio loci JOANNIS, cap. XIX. II.
pag. 247.

(*) Doctissimus *Meyerus* denatus est die 14. Januarii huius anni, & triste sui desiderium Viduae non solum & octonae proli, sed etiam coetui & amicis suis reliquit. Vir longiore vita dignus. Forte latent adhuc in scriniis, quae honestae petitioni p. 262. explicatae respondebunt.

IV. PETRI BOD, DE FELSŐ TERNÁTON, *Ecclesiae Reformatae Magyar-Igeniēsis, dum viveret, V. D. M. in Transylvania, & primūm Dioeceseos eiusdem nominis, mox Synodi Generalis Notarii, Historia Vnitariorum in Transylvania, inde a prima origine ad recentiora vsque tempora, ex monumentis Authenticis, concinnata.* pag. 263 sq.

V. ANONYMI *Modestum Examen Observationis Rev. J. J. CREMERI in Ps. XXII. 21. coll. Euang. JOANNIS c. XIX. 31-37. insertae Biblioth. Haganae Cl. VI. Fasc. I.* p. 115 pag. 363 sq.

VI. ANONYMI *Dissertatiuncula ad Ps. LXXII. 6.* pag. 378 sq.



I.


J. C. BONNET,
V. D. M.

OBSERVATIO

DE

INSIGNI HARMONIA, QVAE IN
ECCLESIAE EIVSQUE HO-
STIVM FATIS CON-
SPICITVR.

§. I.

 Admiranda est harmonia, qua Deus O. M. res Ecclesiae suae in terrarum orbe digessit, quaque usus est in ordinandis hostium ejus fatis, ita, ut ex ea Providentia cum aliis summis Ipsius virtutibus,
Bibl. Haganae Cl. VI. F. II. O. elu-

elucescat clarissime. Res digna est, quae curatius perpendatur. Lineas saltim hujus harmoniae ob oculos ponere mecum constitui, cum etiam magnam in ea vim positam esse sentiam, ad asserendam divinitatem Scripturae sacrae, quippe quae, a primordiis usque ad finem hujus mundi, tanto ordine credentium incredulorumque exponit vicissitudines, ut perpetua virtutum divinarum testis & praedicatrix videri suo jure queat.

§. 2.

Per omnes nimirum temporis periodos e sacris libris conspici licet: 1, Malos aetate aliquantum superasse bonos, sicque post hostes paratos in scenam productos esse electos. 2, Primogeniturae jura, externumque splendorem apud Deum nullum habuisse pondus, siquidem despectos minoresque natos in sinu quasi fovit, eximiisque dotavit prerogativis, quin dominium eis concessit in superbos. 3, Malos impositum sibi jugum non tulisse, sed, permittente Deo, malis suis artibus bonos ita vel corrupisse, vel e medio sustulisse, ut vix aliquod eorum superesset vestigium. Taedebat enim superbos, primogeniturae viriumque majorum privari juribus. 4, Malos ob scelus admissum a Deo damnatos, punitos; relictos; bonos vero ab ipso

ipso mirabili modo esse restitutos, magisque separatos a malorum commercio. 5, In restitutos bonos recepisse inimicitiam malos, illosque sic probandos multis persecutos esse modis, nec tamen plane atterere valuisse. 6, Tum vero extitisse Prophetarum par, qui magnis a Deo instructi viribus, nil non egerunt, ad fidem bonorum erigendam & custodiendam, malis contra tremenda Dei minati sunt judicia, sed frustra & ita, ut pro beneficio plerumque indignissime sint tractati. 7, Tandem vero Deum, magno aliquo misso judicio, rerum turbulentarum fecisse finem, suosque gloriosissime in novum eduxisse Regnum.

§ 3.

Ne ista gratis observasse videar, age, Lector, perlustremus historias sacras. Ab incubulis generis humani ordior, primumque *Adamum cum conjuge* tanquam Dei electos ob oculos pono. 1, Quisquis Mosis Commentarios a primo salutavit limine, novit, *Serpentem*, & qui eum rexit, *Satanam* aetate praecurrisse protoplastos, sicque ad hos probandos jam praextitisse malos. 2, Quam vero Deus homines, sua ornatos imagine, praetulerit omnibus reliquis terrae incolis, ipsique serpenti, cum illis dominium concessit

sit in universam terram, quem latet? 3, Excusit vero jugum serpens, & licentiam nactus adeo in fraudem induxit innocentes, ut plane deleti dici queant, nec vestigium prae-eminentiae pristinae apparet: jam enim morti erant obnoxii. Eheu! miserandum statum. 4, Sed triumphum fatanae excepit Dei maledictio. Contra vero, quae Dei fuit gratia, e mortuis quasi resuscitati, modoque plane divino & admirabili restituti sunt mortales, quamquam conditione deteriori in terris uti cogentur. Desiit simul cum serpente commercium. 5, Inimicitias posuit Deus inter restitutos homines atque serpentem, malumque genium, qui illum obsedit. Hinc tot vexae, calamitates, labores extitere, quos deterior secum advehebat hominum conditio, ut numerari non queant. Ipsum huc refero *Cainum*, qui, serpentina proles, improbitate sua haud parvam parentibus creavit molestiam. Ast omne serpentis venenum calcem tantum petebat, non caput mortalium, cunctaque Deus direxit mala, ut probarentur miseri & apti redderentur ad recipiendum coelum. Quamobrem 6, nec solatium iis negavit Deus, mittens *Abelem*, & ingravescente aetate *Sethum*, Viros optimos, qui miseriis obrutos parentes erigebant. Equidem nil ejus rei scriptum reperimus: quisquis autem paucula illa, quae

Mo-

Ecclesiae ejusque hostium fata. 203

Moses de his prodidit Viris, cognoverit, non dubitabit, eos apud parentes prophetarum sustinuisse vicem, hosque ad beatum ex hac vita discessum praeparasse. Ad Caini mores poliendos omnino Abel omnem quoque lapidem movisse videtur, sed ideo ejus incurrit invidiam, quae funestum peperit Fratricidium. 7, Tandem satis exercitatos primos homines e miseris evocavit Deus morte placida, ut novi aeternique Regni evaderent haeredes die hujus mundi extremo, ad quem etiam Satanae dilatatum est iudicium, qui simul cum omnibus suis sectatoribus aeternis tunc tradetur cruciatibus, sicuti contra omnes Adami restituti imitatores coelestes tunc occupabunt sedes.

§. 4.

Pergo ad posteros Adami, qui ad diluvium usque vixerunt. Observari hic facile potest I. *Cainum*, caput Ecclesiae hostium, aetate externoque splendore praecessisse *Abelem*, qui Deo fuit addictus. Is, si e nomine aliquid suspicari licet, corpore fuit exili & marcido, ut vaporis rei que inani existeret similis, ideoque nec rei rusticae, sed pascendis tantum ovibus aptus. Vix aliquid magni promisit, sicuti major natu *Cainus*, qui speciosa Viri forma apparuerat, cui etiam labor non fuit,

homunculum post uno occidere ictu. 2. Deum primogeniti non curasse jura, sed fovisse minorem, quin etiam supra illum evexisse dignitate, sicuti ex historia oblationis utriusque liquet satis superque. 3. Cainum aegre tulisse dominium minoris, ideoque innocentem trucidasse modo scelesto & fraudulentum. Malo sic triumphante, disparuit plane Dei Ecclesia. 4. Non impune scelus perpetrasse Cainum, damnatum quippe, expulsam in exilium, majorique expositum maledictioni. Sed vero extraordinario modo restituit Deus Ecclesiam suam, excitans in occisi locum *Sethum*, quem inter atque Cainum cessavit commercium. 5. Sethitis non defuisse vexas, siquidem Caini proles, Satanae regnum, nullas non adhiberet artes ad corrumpendos bonos. Indies caput altius tollebant mali, & injuriis replebant orbem terrarum; nec ideo Ecclesiam, licet ad paucissimos redactam, funditus dele-re valebant. 6. Missos fuisse Prophetas, duos, quorum alter *Henochus* post proposita vaticinia in coelum est sublatus; alter *Noachus* praeco nuncupatur justitiae. Hi reposcebant e Satanae regno captivos, sed a malis deridebantur. 7. Tandem hominum malorum nequitas diutius non tulit Deus, & tempore praedefinito *Diluvium* misit, ad suffocandos infaustos. Sed vero suos admirabili modo per undas servavit in arca, novi orbis ferente femina.

§. 5.

Nova jam rerum facies post diluvium prodiit. Alia legimus nomina, aliaque facta: sed reipsa nil aliud, quam formam rei mutatam offendimus. Nam 1. pro *Caino* hic *Chamum* habemus, qui Noachi primogenitus esse videtur: uti & judicat *S. V. Venema* in diff. ad *Gen. IX: 25-27*. Quemadmodum hic fratres suos aetate, sic etiam superavit eos arrogantia & ferocia. *Semus*, minimus fratrum, a Deo est electus, ut novae Ecclesiae existeret caput. 2. *Semum* cum posteris suis prae reliquis divina auctum videmus benedictione, siquidem pater nutu Divino eum Dominum renunciavit Chamitarum. Quin etiam *Japhe*to, secundo Noachi filio, posthabitus est *Chamus*, adeo jus primogeniti neglexit Deus. 3. Sed nihilofecius legimus, *Chamitas*, *Nimrodum* & *Affurem*, subjugasse bonos, ita imperium sibi arrogantes, ut bonos plane nullos illa tempestate invenire liceat, nisi suppressos quosdam Patriarchas, de quorum tamen vitae ratione hoc e *Jos. XXIV: 2*. constat, eos aliis serviisse Diis. Itaque, quod dolendum est, plane extincta fuit Dei Ecclesia. 4. Sed restituit eam Deus, excitando *Abrahamum*, ceu alium *Sethum*, quem e patria evocatum, in *Cananaeis* quam maximis

auxit opibus. Hostes vero, a quorum commercio secreti sunt boni secedentes, a Deo derelicti, suis traditi cupidinibus, in pejus ruebant, ad instar Cainitarum, 5. Haud acquievit bellum malorum in bonos. Ut cetera silentio praeteream, quem fugit, quam Israëlitae, Semi soboles, a Chamitis Aegyptiis sint afflicti? Sed deleri non poterant, Deo illorum numerum tanto magis augente, quanto durius illos tractavit Pharaon. 6. Ad solandos bonos mittebantur Viri magni, *Moses* atque *Aaron*, qui simul Divina Aegyptiis frustra nunciabant iudicia. Atque haec 7. inopinantes quoque multis modis oppresserunt incredulos, tandemque totus eorum exercitus in mari perlit rubro, quod ante sicco transibant Israëlitae pede, ut in deserto novum constituerent Regnum, ab hostium injuriis liberum atque immune.

§. 6.

In deserto, ubi quartam temporis periodum invenire liceat, sub aliis nominibus eadem res denovo acta esse videtur. Namque 1. *Moses* homo fuit sine nomine, fugitivus in peregrinis, opilio in deserto, neque corporis robore clarus, sed venustate tenera, neque disertus, sed linguae vitio laborans. Contra vero in Israëlitis *Seniores* habebantur, aucto-

auctoritate absque dubio pollentes, ipsaque
 aetate commendabiles. Sed illum, non hos,
 Aegyptiorum ritibus nimium deditos, sibi
 elegit Deus. 2. Quantis Mosen Deus orna-
 verit praerogativis, quanta induerit eum
 potestate in universum populum, ipsosque
 seniores, nemini potest esse ignotum. Non
 enim externum respicit Deus splendorem.
 3. Sed vix Dei ecclesia hoc in populo florere
 coepit, cum jam penitus desuisse eam vide-
 mus. Moses in monte Sinai remanserat ni-
 mis diu. Hanc arripiebant ansam rebelles,
 populoque persuadebant, Mosen esse sedu-
 ctorem, jamque apparere, meris mendaciis
 pavisse eum populum: quid ei acciderit, ne-
 minem nosse, hoc nosse omnes, periisse in
 monte; tantum enim temporis sine cibo vivi
 non posse. Quid multa? Serpens, qui Proto-
 plastos in lapsum dedit praecipites, univer-
 sum etiam Israëlitarum populum ad peccan-
 dum coëgit. Omnes bovem adorant pro
 Deo, ne excepto quidem Aärone. Lugend-
 um statum! 4. Nec impune hoc commis-
 sum est scelus. Exardebat Dei ira, ad om-
 nes perdendos parata. Novum e lumbis
 Mosis educere populum voluit Deus. Ast
 vero ter mille malorum per Levitas Mosi se-
 aggregatos occisis, impensis suis precibus
 obtinuit Vir sanctus, ut populus reliquus
 in Dei reciperetur gratiam, sicque Eccle-

fia quodammodo restitueretur. 5. Sed mala rebellium indoles novas saepe excitavit simultates, ita, ut Moses vir dici possit aerumnosissimus omnium. Nec tamen mali eum, cum paucis vere fidelibus, ab eo, quem adscenderat, gradu dejicere poterant. 6. Misit etiam Deus eximios viros *Josua* atque *Caleb*, qui bonorum sustentarent fidem, hortarenturque timidos, ut erecto Cananaeos adoriantur animo. Sed illos lapidibus obruere minabantur mali. 7. Quamobrem justum Dei judicium non effugiebant, omnesque per duodequadraginta annos varias passi calamitates perierunt in deserto, novo interea temporis exoriente populo, ad constituendum novum in Palaestina Regnum.

§ 7.

Quodsi jam quinto novum hoc Israëuitarum in Palaestina consideramus Regnum, mutatis circumstantiis aliquot, eadem denuo narratur fabula. 1. *Cananaei* pristini terrae incolae mali fuere. Homines adspectu terribiles, inter quos Satanae regnum floruit jam a multis retro aetatibus! Post hos adducebantur *Israëlitae*, homines timidi & ob ipsam juventutem contemti, omnes enim in deser-

to erant nati. Sed horum quoque maxima multitudo spretis Dei mandatis, foedera iniit cum Cananaeis, eorumque etiam adsumsit mores, ita, ut multo minima populi pars veram Dei constituerit Ecclesiam. Eminabant in ea *Judices*. Non alienum erit hoc loco notasse, *Athniëlem* minimum fratrum fuisse *Jud.* III: 9, *Gideonem* c. VI: 15. se minimum in domo patris sui, & domum suam inter *Manasitas* dicere minimam, *Jephtah* fuisse spurium, expulsus e patris domo c. II: 1, 2. *Simsonis* atque *Samuëlis* matrem diu sterilem, nec unum omnium fuisse judicum, qui natalium splendore clarus fuerit, imo *Deboram* feminam fuisse. 2. Placuit summo Numini, abjicere Cananaeos, & omnes, qui illosunt imitati ex Israëlitis, & praeferre humiles, qui magna gessere bella, populoque Dei nomine praefuere. 3. Sed vero hoc magistratum genus superbae displicuit genti, quae jugum a Deo impositum recusans, Regem sibi poposcit, ad instar gentium vicinarum. Itaque summa Imperii ad *Saulum* transferebatur, hominem omnium speciosissimum. Is vero Deum deseruit brevi, fuitque, qualis Rex, talis Grex. Plane jam Dei disparuit Ecclesia, quod senex Samuel multis deflevit lacrymis. 4. Quam vero *Saulus* cum populo malo sit punitus, neminem fugit. Atque loco Samuëlis exauctorati novum

vum Ecclesiae caput excitabatur *David*, & post hunc *Salomo*. Tum Templum aedificabatur Hierosolymis, magisque ab idololatriis distincta fuit Ecclesia Dei. 5. Nec ideo pax fuit bonos inter atque malos. Jam hi praevallebant, jam illi. Quamlibet vero plurimi Regum sequentium a vero se abalienarunt Deo, bonosque, quantum poterant, sunt persecuti, attamen septies mille sibi servavit Deus, qui Baälem respuebant, 1 *Reg. XIX.* 18. 6. Ad consolandos fideles praeter alios mittebantur *Elia* atque *Elisa*, Viri multis editis clari miraculis, causam Dei acriter defendentes, & verbis & factis idololatriam deturbantes; sed quamvis prior, sicuti *Henoehus* olim, vivus in coelum est adsumtus, parum tamen inter malos profecerunt. Quare 7. horrendum Dei iudicium scelerum fecit finem, adductis *Babyloniis*, qui immorigeros male muldebant, urbem cum praestantissimo *Salomonis* Templo incendio debant, totamque terram vastabant, nobilissimos vero gentis abducebant captivos. Sed boni a Deo tegebantur; sicuti praeter alios, *Daniëlis*, ejusque sociorum docet historia. Servavit sibi Deus semen inter captivos, ad novum post septuaginta annos erigendum sibi Regnum.

§. 8.

Prodit post captivitatem Babylonicam nova gens in scenam. Observo: 1. Remanserant quidam in Palaestina ex Israëlitarum gente, quibus adjungebantur gentiles, qui ad colendam terram erant adducti. Hi, postquam captivi e Babyloniis redierant, his illi accedere, & tanquam fratres majores natu dominari cupiebant, vid. *Esr.* IV: 2. 2. Respuebat Deus infideles licet potentiores; praeferebat captivos, quos suo juvit auxilio, dominosque constituit terrae, quicquid contra tentarent Samaritani. 3. Sed nimis diu Dei non floruit Ecclesia. Erant enim in Israëlitis mali, qui Antiochi secuti partes, populum invitabant ad foedus ineundum cum Rege improbo. Mox ita invaluit improbitas atque idololatria, ut Davidis verba repeti possent *Pf.* XIV: 3. ne unicus quidem reperiebatur bonus vid. *1 Macc.* I: 12. *seqq.* 4. Punivit scelus Deus bellis perniciosissimis; atque novam sibi excitavit Ecclesiam in *Maccabaeis*, ab improbis se disjunctibus. 5. Sed bella continua cum malis erant gerenda. Horrendas illius temporis persecutiones e Maccabaeorum cognoscere licet historia. Atque vix erit, qui Herodianaë Regiae gentis furōres in bonos nesciat, nec ideo plane interiit Ecclesia, licet

cet ad paucos redacta cf. *Luc.* II: 25. 36. 38. 6. Ad confirmandos electos, & reducendos malos apparuit *Joannes Baptista*, novus *E-lia*, ipseque Rex Regum & Prophetarum summus, *Jesus Christus*. Sed hos quoque respuebant improbi, quemadmodum semper factum esse vidimus in antecedentibus. 7. Exspectandum igitur erat novum aliquod judicium, quod anno quadragesimo post rejectam salutem aderat, totumque incredulum populum partim delevit fame, ferro, incendio, partim in sempiternum irae divinae testimonium ad hunc usque diem multis irretitum calamitatibus in exilio detinet. Suos vero Deus sua veluti textit manu, & novum iis paravit per orbem terrarum Regnum.

§. 9.

Tandem septimo ad nostra Novi Testamen-
ti pervenio tempora. Deus vero semper idem
atque immutabilis hic quoque eadem suos
ducit via, qua eos duxit antea. 1. Christia-
norum gens ab incunabulis suis fuit contempta,
& ante eam natam jam paratus erat Cainus
aliquis, nomine frater, re hostis infensissi-
mus. Quem fugit, quam ferociter Judaei
sua primogeniturae jura defenderint? nec
Ethnicismus folio suo se deturbari facile pas-
sus est. 2. Sed rejecit Deus primogenitos,
&


& humiles Christi sectatores sibi elegit, prae-rogativis exornavit splendidissimis, quin etiam Dominos heredesque constituit omnium. 3. Mirum non est, & Judaeos & gentiles, inito quasi foedere, insurrexisse contra innocentem hunc Abelem, tandemque eo rem perduxisse Satanam, ut veri Dei Ecclesia plane nulla esset. Saecula adeo obscura erant, ut & verbum divinum & bonae artes, omnisque pietas fastidio haberentur. Malorum plena erant omnia. Inscitia crassissima cum erroribus pestilentissimis in throno sedebat. 4. Quemadmodum vero poena divina improbos est secuta, adhuc dum durans; ita novum Sethum ortum videmus in *Reformatione*, ubi secreti sunt boni exorientes ab iis, qui dominium arrogabant sibi injustum. 5. Sed jam bella non desunt inter utramque partem, & calamo, & ferro igneque adhuc gesta, semperque gerenda: induciae habentur interdum minus diuturnae. Haec nos hodie vivimus tempora. 6. Adfore Prophetarum nobile par, qui confirmabunt bonos nimium pressos, & judicium indicabunt extremum, dubitare non sinit Apocalypseos liber c. II: r. *sqq.* — Tandem 7. quoniam mali saluberrima non curabunt monita, sed Viros integerrimos persequentur; dies mox aderit pantocriticus, & male peribunt aeternum omnes, qui ab initio ad finem usque Satanae secuti

cuti sunt castra. Contra vero omnium fe-
lorum fideles, in vitam revocati, Regni
haereditabunt ante jacta mundi fundame-
nta sibi paratum.

§. 10.

Discite hinc mortales, qui beati esse
cupitis, hanc esse viam, quae ducit ad astra
ignobilem esse in mundo, sed Deo placere
a malis abjici, a Deo restitui, calamitatibus
premi, Dei verbo erigi, & tandem om-
nibus eripi malis. Hac via incedebant omnes
qui unquam sanctis sunt adscripti. Con-
tra ea, quisquis mundanis inhiat splendoribus
Deo placere non cupit, invidia ductus bonum
corrumpit & e medio tollit, poenas di-
vinas ideo inflictas non curat, sed denuo fu-
it in bonos, ridetque verbi divini monita
tandem inevitabile horrendum Dei incidit
judicium. Plura ejus rei documenta adfer-
re possent: sed hic filum abrumpere placet.





I I.

JACOBI CREMER, J. J. F.

V. D. M. Hulstensis,

OBSERVATIONVM EXE-
GETICARVM,

A D

HISTORIAM PERPESSIONVM

D. N. JESV CHRISTI,

DODECAS.

I.

De illis, qui JESVM Captivum duxere.

Dominatur adhuc opinio vetus, turbas,
quas JVDAS, Magistri sui proditor, du-
xerit, mistos fuisse ex *Judaeis & Romanis;*
Bibl. Haganae Cl. VI. F. II. P &

& ex Judaeis quidem adfuisse Lictores, Apparitores, similesve ministros Synedrii Magni; ex Romanis vero militum *cobortem*, cum suo *Cbiliatebâ*.

Primus omnium, quantum nobis constat, publice & scripto inveteratae huic sententiae obviam ivit Doct. *Sylvaducepsium* Professor ac Pastor CORNELIUS DE WITT, ο τω εσ αιγιοις; cujus habemus *Disquisitionem modestam: num JESUS quoque sit comprehensus, per Cobortem Militum Romanorum?* Hanc Editor *Medullae Dissertationum Academicarum*, quae est *Belgici Idiomatis*, & XII Voluminibus in forma octava, prodiit *Amstelodami*, annis 1736 — 1741, inserendam dedit Vol. VII. p. 288 — 308.

Non semel B. Viri rationes aequâ, ut spero, lance trutinavi, & jam ante aliquot annos me in ipsius sententiam perducere sum passus; utque alios perducam, primo Cel. WITTII cogitata in compendium mittam, deinde, quae habeo addenda subjiciam.

Quoad primum, *Disquisitor modestus* in hunc fere modum: §. 4. *Job. XVIII: 3. & 12.* praeter Judaeorum *ιπηρετες* recensetur η σπειρα; ejusque *χιλιαρχοι*; qui ergo à ministris illis distinguendi, tanquam pars *Legionis Romanae*. En tibi, totum vulgari opinionis praesidium! Etenim §. 5. *Evangelistae* reliqui nil nisi *οχλος* dedere, neque
§. 6.

§. 6. in tota historia comprehensionis JESU CHRISTI ullum est *Romani militis* indicium; contra potius *Judaeorum armatorum* tantum, v. c. *Matt. XXVI: 15. Jesus τοις ὄχλοις* (non ὄχλω) *quotidie sedebam inter vos, docens in Templo* cet., & §. 7. incio *PILATO* senatui non fuisset integrum praesidiarios *Romanos* mittere, teste insuper custodia sepulcri, vel etiam §. 8. coram suo *Synedrio* admittere metu immunditiei contrahendae, col. *Joa. XVII: 28. §. 9. Solvitur dubium* ex voce *σπειρε*, quae non magis indicat *Cohortem militum Romanorum*, quam *λεγεων*. & *λεγιωνας* *Marc. V: 9. Matt. XXVI: 53. Legiones talium Ethnicorum.* (Hic vero de *Cbiliarcha* nihil) §. 10. optime distinguuntur *ministri Senatus*, & *Servi Senatorum*, quos inter *Malchus*. §. 11. *Cohors* de *Levitis* in *Templo* excubantibus, ejusque *Cbiliarcha* de *αρχιεργων* τῆς ἱερῆς exponuntur; etiam *Joa. VII: 32. de talibus Levitis* explicatur. §. 12. Ponderus novae opinioni accedit ex ordine perpeffionum; quae ordiri debent, ipso *Jesu* varicinante. *Matt. XX: 18, 19. per Judaeos*, pergere & absolvi per *Gentiles*.

Secundo jam his inventis addere liceat, quod *Joa. VII: 32. οὐκ ἵπνεσται* non videantur confundendi cum *Levitis*, *Templi Custodibus*, ut *τω Μάκαριτω* placuit: sunt enim utique *Senatores*, qui ebs misere, unde pro-

num est iudicatu, nonnisi Lictores & Apparitores, seu מַשְׁרֵטִים fuisse. Verum, quod caput rei est, in negotio *comprehensionis* JESU CHRISTI, tamen adsciscendi *Levitae*, propter expressum discrimen *της σκευης*, & *των ὑπηρετων*, quod JOANNES fecit. Et si vel argumenta *Wittiana* non sufficerent ad *milites Romanos* exterminandos, tamen fatendum, quod omnino destituamur idoneis rationibus ad eosdem intrudendos. Neque hoc praetermittendum, quod Interpretes illi, qui *Romanos* in consortium causae vocare sustinuerint, & sustineant adhuc, revera iisdem impediri se viderint, & nesciant fere, quomodo se isthoc onere sat cito liberent. Unum advoco testem, summum BAUMGARTENIUM, qui in notis ad *Versionem Germanicam Historiae Universalis*, ab eruditissimis *Anglis* conscriptam, conjectando auguratus est, *Judaeos* ideo JESUM captum prius deduxisse ad ANNAM Ex-Pontificem, ut auxiliatricem *Cobortem* prius praetextu specioso dimitterent, ne ille vel ipse *Tribunus Romanus* aliquid subolferet de congregatione intempesta *Synedrii Magni* totius super hunc captivum. His autem similibusque conjecturis nihil opus, si modo omnes *Romanos* ex hoc negotio amandare velimus, & hos valere jubeamus, donec *Synedrium* ipsum jam damnatum CHRISTUM in potestatem illorum traderet, quod

quod proximo demum mane accidisse novimus. Et ne Lectori amplius remaneat dubium in sententia *Wittiana*, quam & nostram fecimus, observandum, vocem & personam *Chiliarchae*, non majorem habere difficultatem, quam *Cobortis*; reperimus enim omnino in *Antiquitate Judaica* χιλιαρχος inter *Levitas*. Eum in finem provocamus tantum ad 1 *Esd.* I: 9. και Ιεχονιας, και Σαμαιας, και Ναθαναηλ ὁ ἀδελφός, και Ασαβιας, και Οχιηλ, και Ιωεθμ χιλιαρχοι ἴδωκαν τοις Λευιταις εἰς παρὰ πρεσβυτέρων πεντήκοντα χιλιαρχοι μοχλοῦ ἐπιτοκοῦντες. Qui *Chiliarchas* cum suo munere ibi opponuntur τοις Ἰησαῦταις (in *Evang. θεατηγοῖς*) τῷ ἱερῷ. Ne autem alicui subrepat suspicio, dictos *Chiliarchas* non fuisse de tribu *LEVI*, conferatur modo eadem historia & periodus 2 *Cbron.* XXXV: 9. ubi iidem audiunt *Levitarum Praefecti*. Nec putamus alicui venturum in mentem, *Levitis Chiliarchas* denegare, si modo meminerit, hanc Tribum quoque jam à temporibus *Davidicis* in suas *Chiliadas* divisam fuisse, quarum quaeque procul omni dubio suo *Chiliarchas* parebat. Cumque dubium ex voce σπικροῦ jam removerit Noster, nihil est quod jam impediatur concludere, rationes ipsius pro *Coborte Leviticâ*, & *Chiliarcha Levitico* valere debere. — Tantum nondum habemus persuasum, hunc *Chiliarcham* fuisse Ἀρχιερατικόν; & sufficit

sufficit fuisse ex numero των στρατιων, & habuisse Praefecturam *Cbiliados*, & ad CHRISTUM capiendum duxisse integras Excubias 21. *Levitarum*, forte & 3. Sacerdotum, qui per ejusdem noctis primum quadrantem jam observaverant Templum DEI, & quibus quadrante secundo totidem socii successerant. Ita sane fuit facillimum, clanculum Procuratore cum armatâ turba satis magna urbe excedere ad JESUM comprehendendum: Quin arma ipsa, quae gestarunt, à *Levitis* minime abhorrent, maxime *Templi Custodibus*, quorum certe *Cultra majora sacrificalia* venire poterant loco μαχαίρων, *Baculi* vel *fustes* loco ξυλων; quorum etiam erant φανοι ex ligno resinoso & λαμπαιδες, aliud facium, & quidem compositarum genus: licet & reliqui *Ministri* & *servi* aliquibus horum instrumentorum armati esse potuerint. Verum operae non videtur pretium haec plenius edisserere, & Lectorem conjecturis fatigare,

I I.

De morte Proditoris.

Haec habeat Lector. MATTHAEI & PETRI κατάλλαγη non videtur simplicius & veritati propius institui posse: ἀνεχωρησε, και ἀπελθον και

21
12
7
7
 & *καὶ πρηνὲς γενομένη ἀπήγατο, (καὶ) ἰλακῆσε*
μεν, *καὶ ἐξέχυθη παρὰ τὰ σπλάγχνα αὐτῆς.*
 In qua relatione offendimus quidem sex ver-
 ba, ne dicam effata, quorum 1, 2, 4^{um}
 sunt ex *Matth. XXVII: 5.* sed 3, 5, 6^{um} ex
Matth. I: 18. & secundum quidem verbum ex
Hebraea consuetudine *πλεονάζει*, quod cit. lo-
 co est tanto evidentius, quanto verbum pri-
 mum illo est efficacius, & jam plus docue-
 rat, quam vulgaris secundi usus & notio do-
 cere potuisset. Proinde totum illud *καὶ*
ἀπελθὼν in conciliando posset praetermitti:
 Sin vero servabitur, dicendum: *ἀνεχώρησε*
καὶ ἀπελθὼν πρηνὲς ἐγένετο, καὶ ἀπήγατο κ. τ. λ.
 Talem vero narrationem *Belgae*, salvâ lin-
 guae suae analogiâ, melius vel magis ad
 verbum verterent, quam *Latini*, hoc mo-
 do: *Hy vertrok, en ging hem zelven van eens*
steilte werpen, en by stikte, en borst midden op,
en alle zyne ingewanden werden uitgestort.

Huic versioni quid objici possit plane non
 perspicimus. Itaque paucis eamdem illu-
 strasse suffecerit. 1) Verbum *ἀναχωρεῖν* cum
 notione *secedendi in solitudinem* omnino gau-
 deat, hanc quoque praesferrem, inter alia
 propter notissimam causam, quod miserri-
 morum & desperantium *αὐτοχέρων* conditio-
 ni & moribus aptissime congruat, solitudi-
 nes & deserta petere, & ibi nemine prohi-
 bente subitam sibi mortem consciscere. Nec

dubitamus fere, quin in eodem Deserto, scil. *Hierichuntino*, ubi Dominus JESUS ante tres annos Satanam Tentatorem vicerat, JUDAS ipsius proditor ab eodem Satana victus sit, eo quo dictum est modo. Neque officit *Act. I: 19.* quoniam ibi PETRUS minime docet jam *innotuisse* res circumstantes mortis ejus, sed *mercedem injustam meruisse*, quâ emptus sit *Ager* ille, jam dictus à *sanguine illo innocuo*, scil. JESU CHRISTI, quem, ipso confitente, prodiderat, &c. 2) Hac τῆς ἀναχωρησεως significatione admissâ, non opus est ut de speciali notione τὸ ἀπελθεῖν laboremus. Suppeteret tamen aliquid nimium anxioribus, vel potius nimium sedulis Interpretibus, qui reverentiâ Theopneustiae Librorum Sacrorum Verbalis, sed male intellectae, ducuntur, nempe *conscensus montis*, vel *rupis praealtae*, unde se praecipitem dare volebat Infelicissimus; licet non dixerim, quod MATTHEUS ipse hoc indigitaverit suo ἀπελθεῖν; reclamant enim tum dictio Hebraizans, tum superabundantia sermonis, quâ fere usus fuisset. Posterius nemo negabit, qui meminerit, quod ipsa res loquatur, hominem Anachoretam in Desertum plane arduum, ubique montibus, collibus, rupibus oblitum & replatum, idque eo studio, ut se in profundum praecipitet, & ita enect, de monte in montem, vel de rupe in
rupem

rupem cursitare, donec inveniatur sibi idoneam. 3) Πρηνης ut veritas, sive *pronus* sive *praecipuus*, perinde erit; integra Phrasis *πρηνης γινεσθαι* aptissime docet, quod *Judas* se revera *praecipitem dederit*, & quidem de tanto fastigio vel excelso altissimo, ut inde in caput dejectus, necessario deberet *ἀπαρχεσθαι καὶ λακνῆν καὶ σπλαγχνῆν ἐκχυῖν*. Apprime enim notandum, quod in relatione *Petrina*, quam *LUCAS* memoriae prodidit, *τὸ πρηνης γινεσθαι* mortis genus, saltem causam depingere debeat, quemadmodum reliqua duo ejusdem sequelas. Ideo non possumus cogitare de *prono aliquo casu in planum solum*, qui tantas sequelas non habuisset; nisi novum aliquid adsciscas. Ast praeter Textum sacrum, v. c. poenam *Θηλατον*, quali sec. IV. *ARIUM* periisse diu plurimi somniarunt: quo in casu tamen illi neque *ἀναχωρησιν* neque *ἀπειλευσιν* concessisset ira & vindicta Divina, sed potius in ipso Templo, vel ejus gradibus vel platea prostrasset. Novi equidem hoc etiam nonnullis placere, sed quomodo id concilient cum vocibus *ἀναχωρησιν* vel *ἀπειλευσιν* ipsi videant. Quamquam enim dateremus, prius illud *MATTHAEI* lenissime verti posse, *reversus est*, scil. *ex Templo*, tamen posterius *αὐτοχειαν* ejus indicaret, sive *MATTHEUM* solum legamus: *Hy ging hem zelve versticken*, sive *Petrinis* adjectis: *Hy ging hem*

224 Jac. Cremeri, Observat. Exeget.

hem zelven van eene steilte werpen, en verstikte. Atque haec ejus *ἀυτοχειρεια*, si graviorem existimare nolimus poenâ *θελαιτω*, nihilominus nostro concipiendi modo habuit aliquid talis poenae admistum. 4) Verbum *ἀπαγγελος* praeter *strangulandi* notionem, simpliciori significato *suffocationis*, in quam extra compositionem venit; qualem praecipitibus accidere defectu aëris in pulmone & res & experientia jam pridem in confesso dederunt. *Suffocatus* ergo JUDAS est inter labendum, & priusquam in profundo solum tetigisset. 5) Eadem occasione denique & *ελακησε μεσθ*, & quidem tantâ vi, & ventris vel abdominis rupturâ, ut *omnia ipsius ilia profunderentur*: Qui duo casus ipsi fere inevitabiles fuere, partim allisione ad radicem montis vel petrae, de quâ se praecipitaverat: partim vi aëris exhausti, nempe interioris, & immani pressione exterioris, quibus non tantum *suffocatio* sed etiam *disruptio* labentes adhuc potest enecare. — Appingamus locum insignem *Abbatis DE LA PORTE*, cujus in *Peregrinatore Novo, Gallico* conscripto, sed jam in alias linguas transfuso, *Tom. VIII. p. m. 1331.* edit. *Belg.* in articulis *Norvagijs*, haec sunt verba, postquam de praecipitiis ibi locorum reperiundis nonnulla edisseruerat: *Men heeft nog opgemerkt, dat, wanneer een mensch een diegerge*
lyke

lyke val doet, de lucht met zo veel kracht tegen zyn lichaam perst, dat by 'er niet alleen door verstikt wordt, voor dat hy op de aarde nederkomt, maar dat zyn buik zelfs barst, en dat 'er de ingewanden uitspatten.

I I I.

De Adfensionis formula: Tu dixisti!

Adfentientis esse nemo quod sciam in dubium vocavit, sed unde JESUS eam mutuaverit pauci adhuc perspexere. Monemus ergo Lectorem, ut unum consulat MICHAËLIDEM, nempe JOANNEM DAVIDEM, *Goettingensium* hucusque ornamentum & columen, qui, in *Introductione Germanica ad Sacros N. F. Libros*, Tom. I. p. m. 29. nos amandat ad *Exod. X: 29.* ubi MOSES ad PHARAONEM: כן דברת *Recte dixisti, non pergam amplius videre faciem tuam.* Conferantur & *Biblia Halensia*, in nota brevi ad hunc MOSES locum.

Scilicet particula illa כן saepius tantum *ita vel sic* vertenda. Tenuiorem vero hunc significatum *Graeci Bibliorum Interpretes* in dicta formula male arripuerunt, quin imo verterunt solum verbum דברת, praetermissio כן, *ειπρας*, pro quo in Evangelio *συ ειπας*, *Matt. XXVI: 25. XXVII: 64. Marc. XIV: 59.*

226 Jac. Cremeri, Observat. Exeget.

συ λεγεις, *Joh. XIX: 37. ισοδυναμουντο*. Ipsi forte JUDAEI jam, quotidiano olim sermone, brevitatis ergo, dixere tantum דברת, etiamsi plena formula esset כן דברת, *ορθως ειρηκας*, sed illi ουτως vid. *Num. XXXVI: 5*. Integram servatam vide *Luc. VII: 43*. ubi D. JESUS ad PETRUM: *ορθως εκεινας Recte, bene judicasti!*

Laudanda interim emendata *Versio Belgarum*, quae *Exod. X: 29. Gy hebt recht gesproken. Num. XXXVI: 5. de Stam der kinderen JOSEFS spreekt recht. O utinam perrexissent illi Batavi, in N. T. Historiae Passionis citatis locis, pede eodem!*

I V,

Ad Joh. XVIII: 9. coll. XVII: 12.

JESUS se solum in hostium potestatem tradens eisdem denuo allocutus est his verbis: *Dixi (seu recte, bene, vere dixi כן דברתי coll. obf. III.) vobis, quod ego sim (Jesús Nazarenus vñ. 7.) si itaque me quaeratis, finite hos abire. Joh. XVIII: 9. Ad quae ipse verba haec notavit Evangelistes: Ut impletur sermo, quem dixerat: Quos mihi quidem dedisti, perdidisti ex illis neminem. Quibus in*
com-

compendio exhibuit dictum illud JESU, *Cap. XVII: 12. b. Quos dedisti mihi custodiri, & nemo ex illis periit, nisi filius perditus.*

Quam misere se torserunt plurimi Nostrum, ut haec Servatoris precantis verba, cum dogmate de *Perseverantia Sanctorum, & totali & finali conciliarent!* Quantam non vim est passa copula illa *nisi* (εἰ μὴ.) non lubet repetere: tantum observamus, nimiam *ἰσχυρίαν*, quin à toto capite alienam emphasin; verbo *ἑδωκας* tributam, in caussa difficultatis fuisse. Omnia enim fuissent & mansissent plana, modo semel, & quidem ad hunc locum, oblivisci potuissent Dogmatum, ceteroqui verissimorum, nec testimoniorum aliorum penuria laborantium, puta de *Decreto Electionis, & Gratia Vorticordiâ.*

Si autem volumus esse liberales, & longe aliam *dandi* rationem & notionem admittere, aequè minus officiet quam proficiet Patronis hinc *Apostasias* inde *Perseverantiae* illorum, quos aeternum dilectos in tempore efficacissime traxit DEUS; qualia quoque ne menti Precantis obversata fuisse persuasum habemus. Loquebatur enim de suis Discipulis, & quidem tunc praesentibus, id est, Apostolis, quos jam fere ad hortum *Getsemanes* perduxerat. Hos Pater Jesu coelestis ipsi concesserat, & ut publico Doctore, seu Prophetae & Pastori *junxerat*, non alio modo, quam historia vocationis illorum exposuit.

Et

Et his absolvitur tota illa *δωσις*, quam D. Orator denuo D. Datori acceptam ferre studet.

Huc omnia collineant: 1) illud *ἰφουλαξαι* *custodiri*, pastorale verbum, quo J. C. suam illorum *τηρησιν* exposuit, de qua dixerat *vs. 12. 1.* 2) idem verbum *διδωκω* *vs. 8.* jam usurpatum de *τοις ρημασι*, quae primo Pater Filio, porro Filius jam suis Discipulis supra dictis *tradiderat*, vel etiam, si *mavis*, *concefferat* atque *injunxerat*, nempe ulterius *propaganda*, seu *annuncianda* & *explicanda*. Haec *traditio* saltem non est facta per *gratiam internam*, *specialem*, *vorticordiam*, ex *gratiae decreto* derivandam, quae optime distinguitur *vs. 2.* ut *δωσις Filii* sequens *δωσιν Patris*, & *complexa donum vitae fidei nunquam moriturae*, *conf. vs. 3.* 3) *nexus* integer, *Orationis aliena* illa non patitur. *Εντευχίς* est *majori ex parte*. Postquam enim D. JESUS sibi ipsi *precatu* esset *δοξασμον* à *Patre vs. 1.* eumque *vs. 2-8.* plenius *exposuisset de gloria*, tum *terrena*, licet *spirituali* & *DEI Filio congrua*, *vs. 2, 3.* tum *coelesti* 4-8, *intercedit pro Discipulis* suis inde à *versu 9.* ad 19. dein *pro ipsorum filiis*, seu *credentibus illorum verbo* convertendis 20 -- 23. denuo *pro Apostolis*, 24-26. Haec *partium Orationis digestio*, maxime *generalior se ipsam ingerit in oculos* cujusque *attenti*

attenti lectoris. *Pro his te rogo*, sic orditur comma 9. *nec pro his tantum sed etiam*, & sic porro, ut est in commate 20. — Sunt autem illa dona & bona, quae pro suis Apostolis rogavit 9-19, itidem terrena, licet & quam maxime spiritualia, quemadmodum *vs.* 2, 3. pro se ipso rogaverat: ast *vs.* 23-26. coeleste est, conferendum cum *vs.* 4-8. praesertim *vs.* 23. cum *vs.* 5. reliqua enim utriusque hujus periodi nonnisi motiva continent. — Terrena bona quod attinet, eadem demum exponuntur à medio *versu* 11. & deinceps: nam *vs.* 9, 10, & 11.^a. nondum rogavit aliquid, sed tantum exposuit rationes, quare jam haberet necesse pro hisce suis Discipulis intercedere. — Duo sunt tandem, quae pro iis expetuntur, & quidem enixissime: primum, *Conservatio paterna*, 11^b-15. alterum, *sanctificatio per veritatem Evangelii*, 16-19, — *Conservatio* illa quidem bis rogatur, pro duplici ipsius facie, scilicet *a.*) *Divina* 11^b-14. & *β.*) *ex omni malo mundano*, 15. — *Divinam Conservationem* vix rogaverat Paracletus *vs.* 11.^b. quin mox urgeret tribus rationibus, quarum altera proponitur *vs.* 12, 13.^a, altera *vs.* 13^b, tertia *vs.* 14. In illâ provocavit ad *Conservationem*: à se illis praestitam, nunc vero non amplius praestandam — in istâ, ad gratum animum, quem laetando

laetando probarent — in hac denique ad munus ipsis traditum, quod mundus odio habebat, cet. — Jam, quaeso, quamnam tibi fingas *Conservationem*, mi Lector! Eandem forte, quae conceditur credenti & regenito cuique per S. Spiritum? Absit! Nam, ne dicamus, hanc involvi *Sanctificatione*, (si & haec de communi seu vulgari gratiae dono deberet intelligi) omnino & Res & Personae postulant aliquid singulare, nec dubium esse potest, quin utrumque beneficium tam *Sanctificationis* quam *Conservationis* fuerit Apostolis, forte & eorum coöperariis, privum. Conferat de hoc dubius diligenter modo motiva cujusque, nec non auctores quosdam КОЕЧЕРО citatos. Non vacat, nec hujus loci est, ut illud ulterius demonstramus. Fortasse alias & alibi plura. Unum tantum addo, liquido patere ex *vs. 12*, quod non aliam Christus paternam Discipulorum *Conservationem* petierit, quam qua ipse illos mactaverat, quamdiu cum illis in mundo fuerat; quam vero non privam sed communem dixisse, non foret prudentis & circumspecti Interpretis. Et moveantur nobis dubia licet, ab uno quovis, qui confidat se nos meliora docere posse; nos hic ab Interpretum grege toto divergere coelo, probe novimus: proinde semotis *Commentariis* & quibuslibet illustrationibus secus sententium

tientium superiorem Nexus conceptum & conspectum formare coacti fuimus, quem aequo Lectorum judicio simul permittere volumus. — Redeamus ad rem, & concludamus impraesentiarum: *Apostolos* fuisse a versu 9. ad 19. solos, nisi eorum *επιστολὰς* addamus, subjectum Orationis *Jesu*, eumque pro iis rogasse a Deo Patre *Apostolicam*, seu *Apostolis*, pro ipsorum munere, *congruam Conservationem*, quin & *Sanctificationem*, quemadmodum Pater illos Filio in *Apostolos dederat*. Exulent hic ergo aeterna ad vitam *Electio*, & interna *Vocatio*, & quicquid hujus generis commune est omnium credentium privilegium.

4. Schesis insuper, tum orationis tum orantis, eadem firmant, quae diximus. Offendimus hic nonnisi preces Prophetæ Divini, sicut *Mosis*, qui jam Doctorali munere perfunctus, illud solenniter concludit; simul monens, Se scholam in mundo patefactam nunc vacuam relinquere, proinde primarios suos Discipulos Patri commendare. Sacrificii vel Sacerdotii hic nullum apparet vestigium, excepto vs. 19. Dicit quoque posset, hic terminus est *Obedientiae* Mediatoris, vel Servatoris *Activæ*, quam confestim, & *ἀμετρως* excepit *Passiva*; verum hoc non sufficeret ad explicationem verbalem & realem, atque adeo in prioribus acquiescimus.

Bibl. Haganæ Cl. VI. F. II. Q Quae

232 Jac. Cremeri, Observat. Exeget.

Quae ex *Joa. X: 27-29.* item *cap. VI: 39.* vel aliunde nobis objici possent, tanti non videntur ponderis, ut nos diutius detinere debeant. Verbulo potius monendum, quod allegatio compendiosa per JOANNEM, historia comprehensionis JESU occupatum, ex nostra de hujus dicti sententia, nihil detrimenti patiatur. Optimus Magister nondum suis Discipulis ereptus erat, sed mox eripiendus: noverat ipsos gravi tentationi adhuc esse impares, & succubituros, ut hora sequens docuit PETRI exemplo: itaque salvum ipsis conductum effecit, ne praeter *filium jam perditum*, plures *perderet*, quos per gradus recipere cogeretur, quemadmodum & PETRUS deinde receptus est. Licet enim et reliqua Apostolorum Hendecade nemo *Judaee* exitium metuendum haberet, tamen Magistri JESU honos & fama vetabant, ut tres quatuor aut plures Discipuli publice desciscerent, ipsumque abnegarent. Ideo etiam PETRUM conservare voluit post fauciatum MALCHUM, quem illico sanavit, praemissis denuo his ad Lictores verbis: *iam & ius* *est v.* *Luc. XXII: 51.*

V.

De τη ἰσθμῷ λαμπρῶ, Luc. XXIII: 11.

HERODEM ANTIPAM patientem JESUM, post contemptus & illusiones, *albâ veste* induisse vulgaris fert opinio. LUCÆ tamen prædicat λαμπρῶν, id est, Syro interprete *purpuream*; sâktem non nisi *splendidam*. Proinde non videtur respuenda BORREMANSII conjectura, quam & ZORNIO placuisse notavit KOECHERUS ad *Matt. XXVII: 27.* sive *Analect.* p. 500. quod fuerit eadem *Chlamys coccinea*, de qua MATTHEUS, l. c. nec non πορφύρεα MARCI, cap. XV: 17. seu ἰμαθίον πορφύρεον JOANNIS, cap. XIX: 2.

Ex quibus itaque MATTHEUS omnium optime tum formam tum colorem expressit. Nec dubitem ferme, quin fuerit attrita *Chlamys coccineo* colore tincta, verum jam ad *purpureum* deflectens, ut ceteros Evangelistas cum primo illo facilius conciliem: nisi quis ordine inverso potius existimaret, *purpureo* tinctam ad *coccineum* colorem degenerasse. Sed prius præplacet, quoniam *Coccino* tingi magis *Chlamydem* fuisse videtur, quam *Purpura*; etiam *Coccinum* attritum prius ad *Purpuram* verget, quam *Purpura* ad *Coccinum*.

Minoris tamen hæc sunt momenti, quem-

234 Jac. Cremeri, Observat. Exeget.

admodum & nihil facit ad rhombum, utrum HERODES ipse, aut aliquis ipsius ex Aula, vel fatellitum Praefectus, hanc *Chlamydem* olim gestaverint. Hoc utique constat, HERODEM voluisse JESUM per illam ludibrio exponere, tanquam Regem fatuum, à quo (ut scite BENGELIUS) nihil metuebat sibi.

Interim tamen hoc ejus commentum deinceps ansam praebuit Militibus *Romanis*, ut eodem pede pergerent, & additâ spineâ coronâ hunc fatui Reguli ornatum augerent, nec de *pallio* solliciti esse deberent: utpote quod HERODES jam donaverat, quodque in Praetorio dubio procul fuerat depositum, quamprimum P. PILATUS, coram convocato in monte Templi, sive *Litbostroto* (de quo consulenda *Dissertatio Ikeniana*) S. P. Q. J. JESUM educeret. Eandem *Chlamydem* ergo ad manus habentes, non est probabile, quod aliam porro adhibuerint, potius eandem Ipsius humeris injecerint.

V L

De Numero & Genere illusionum JESU.

Sexis per temporum intervalla, & quidem à diversis identidem hostibus acerbè *illusum* fuisse, persuasum habemus. *Primo*

à Lictoribus & servis *Judaeis*, post Senatum in domo *Cajapbae* nocte adhuc concubiâ dissolutum, donec proximo diluculo, coram eodem Synedrio sistendus, in montem Templi deduceretur, ubi Senatores, ipso *Talmude* teste, *JESUM* nostrum damnârunt, de quo supra laudatus *IKENIUS* etiam consulendus omnino. Primos autem hosce sannos & ludibria in *JESUM* debemus relationi 3. priorum Evangelistarum. Vid. *Mat.* XXVI: 68. *Marc.* XIV: 65. praecipue *Luc.* XXII: 63-65. — *Secundo*, illuserunt Patienti *HERODES* *συν πικε σελευμασιν αυτου*, *Luc.* XXIII: 11. — *Tertio* loco *Romani* Carnifices flagellatores, qui etiam postea Ipsum in crucem dederunt, fueruntque, ut ex historia divisionis vestimentorum innotuit, numeri quatuor. Hujus vero narrationem soli *JOANNI* debemus, *cap.* XIX: 2, 3. factae scilicet diu ante sententiam capitis à Procuratore latam, ut series historiae ibidem clare edocet, usque ad *vs.* 16. & jam observatum cl. *OFFERHAUSIO*, *Spicileg.* p. m. 543. ne dicamus *CLERICO*, in *Harm. Gr. Lat.* — *Quarto* *JESUM* illuisse videtur tota *Militum Cohors*, à sociis convocata, post condemnationem coram tribunali, *Mat.* XXVII: 26-30. *Marc.* XV: 15-19. Nam, etsi Evangelistae citati hanc *illusonem* itidem carnificibus tribuere, & *πλεξιν coronae spineae* hoc demum loco ponere videantur,

probe tamen notandum, binos hosce scriptores in superioribus nondum de illa egisse; porro, quod quis per alium facit, id ipsum fecisse censerî. Ceterum nonnihil temporis opus erat, ad suppellectilem cruciariam parandam, quod tempus tota Cohors nequaquam in otio triverit; potius sociorum lusus repetivisse, & novis subsannationibus cumulasse credendum, v. c. sceptri arundinei, sputorum, & hujus surfuris similium, donec omnibus paratis carnifices redirent, JESUM propriis vestibus induerent, & cruce humeris imposita, & tota comitante *ensieg* foras educerent — *Quinto* JESUS jam crucifixus *illusus* est, idque à *Judæis* & *Gentibus*, seu Proceribus, plebe & militibus certatim, quin etiam ab altero latrone, poenae socio, *Mat.* XXVII: 39-44. *Marc.* XV: 29-32. *Luc.* XXIII: 35-39. Duravit autem usque ad trihorium obscurati solis, & duravisset procul omni dubio, donec JESUS animam efflasset, nisi Divina Providentia inopinato hoc phaenomeno impiorum ora obturasset, de quo mox verbum addemus — *Sexto* & ultimo loco Ipsi illudit Pincerna vel Potator, qui, luce restitutâ, JESU sitienti acetum porrexit; qui erat, ut videtur, ex *Judæorum* caterva quae JESU vocem ELI! ELI! interpretata, mox Acetifero dicebat, *Omitte, Videamus* (potius) *num veniat jam ELIAS ipsum liberaturus!*
Mat.

Mat. XXVII: 47-49. *Mar.* XV: 36. *Joa.* XIX: 29.

Septimae ergo illusioni matura mors S. Cruciarium praeripuit, saltem in quantum ex historia sacra perdiscimus, si modo praeriperit; non enim cogitandum inimicos tacuisse, dum Cruciger adhuc in vita esset Dominus. Verum ita quoque octavam nonam & decimam reperire possemus, patratas in deductione ad Cajapham, ad Templum, ad HERODEM &c., sed talia in hunc censum non debent venire, neque habuerunt aliquod singulare. Ideo nos in senario numero acquiescimus, cui totidem *Unius PILATI* de JESU innocentia opponimus *testimonia*, cujus trilinguis Crucis titulus, *Judaeis* adeo gravis, idcirco etiam non videtur excogitatus & praefixus ad Ipsum illudendum, sed potius *Judaicae* nationi insultandum. — Illa autem *Judicis Romani* totidem, de JESU *justo & innocuo*, effata sequenti modo colligimus: *Primum* audierunt *Judaei* ex Procuratoris ore, post primam interrogationem captivi, testibus *LUCA*, c. XXIII: 4. & *JOANNE*, c. XVIII: 38. *Secundum*: post JESUM ab *HERODE* reducem, *Luc.* XXIII: 14, 15. *tertium*: paulo ante *flagellationem* *ibid.* *vs.* 22. *quartum & quintum*: quando flagellatus & illusus populo spectaculum miserandum praeberet, *Joq.* XIX: 4, 6. *Sextum & postremum*:

lotione manuum pública ; paullo ante condemnationem patientis ad crucem *Mat. XXVII: 24.* — Cum autem veritas tantae rei, ut erat JESU innocentia, ex ipsis hostibus plures uno testes desideraret, tres alii PILATO juncti sunt, scilicet, Uxor Pilati; Latro & Centurio, singuli irrefragabiles, ut apud Exegetas videre est.

Coronidis loco heic notamus, quod omnes dictae *illusiones* JESUM quasi *Regem* ferierint: *Propheticum* munus etiam violatum in *primâ*, & forte *secundâ*, certius in *quintâ*, & si placeat etiam *Sextâ*. Si quaeras, cur non item *Sacerdotium* JESU infestarent? responsio est in promptu, hoc illis sannionibus & vaniloquis plane erat incognitum, quin etiam propter Holo-Mysticam & Spiritualem ipsius naturam impervium.

V I I.

De Flagellatione.

Hoc subplicii genus non dicendum videtur *praeparatio ad mortem Crucis*, quamquam, apud LIVIUM & alios, *Flagellatorum cruciariorum* exempla suppetunt. Minime omnium *Flagellatio* Servatoris hanc speciem habuit. Fuit haec subplicium peculiare, quo PILATUS sperabat se captivum cruci praerepturum:
&

& ne eventus spem falleret, *Judaeis* insinua-
vit, *Jesum* flagris examinatum esse, nec ta-
men, etiamsi adeo tortum ac dilaceratum,
ullius criminis confessionem edidisse.

Et haec, in ceteris LIPSII exemplis, eti-
am proxima causa & vera facies flagellatio-
nis Cruciariorum praeviae fuisse potest: non
sola *Romanorum* crudelitas, floccipendens
mortem, atque adeo tantum cruciatibus &
tormentis augendis intenta. Interim tamen
hic praeterire non possumus Legem talionis
post liminio in obsidione *Vespasiana Hieroso-
lymorum*, à Divina vindicta servatam. Nam
JOSEPHUS Auctor est, omnes *Judaeos* ex Ur-
be interceptos, jussu Imperatoris non modo
crucibus affixos esse, sed etiam singulos in
antecessum miserrime flagris & loris esse cae-
los. Vid. *Bel. Jud.* Lib. II: 14. VI: 12. quae
duo loca in LIPSIO non reperimus.

V I I I.

De Vino Myrrhato.

Pseudodoxiam Epidemicam, si post BROW-
NIUM *Anglum* scribere ferret animus, eo pro-
cul dubio quoque referrem vulgarem illam
opinionem, de scopo hujus potus cruciari-
is, ipsi denique *JESU* praebiti. Fert enim il-
la, hunc intendisse inebriationem quandam

letho dandorum, ideoque imminutionem dolorum immanium, quos transfixio manuum pedumque tantis clavis afferre utique debebat. Addiderunt jam alii, inserviisse insuper ad mortem maturandam.

Non crediderim. *A Romanâ severitate*, ne repetam crudelitate, hoc revera foret alienissimum. Repugnat quoque natura totius negotii. En tibi longe alias rationes. Potarunt cruciarios 1. ne paterentur deliquium animae, atque ita carnificibus molestias crearent, cum ipsi gravissimos dolores sentirent: 2. ut tanto acerbius cruciarentur, si modo vellent bibere potum talem, qui per se ingratisissimi saporis erat, cujus effectus in corpore necessario erant succorum adauctio & vasorum intensio, proinde etiam major sensatio, vulnerum per acetum irritatio.

Recusavit illum ergo JESUS summo cum jure, nolens sui ipsius quoque tortor esse: quemadmodum & sceptrum arundineum demiterat, ne illusores juvaret.

I X.

De Supplicatione Crucifixi: Pater, ignoscas, &c.

Circa hanc etiam continuo à lineâ aberratum.

Primo enim, non nisi pro 4. *Carnificibus* illam fudit supplex, non pro omnibus hostibus, ne quidem pro tota *Cohorte*. Quid clarius narrante LUCA: *cumque venissent in locum dictum Cranium, ibi crucifixerunt illum & maleficos, unum ad dextram, alterum ad sinistram: & dixit JESUS, Pater &c. & divisit ipsius vestimentis, sortem jecerunt.*

Secundo, occasio etiam hinc liquet. Non solum Crucifixio ipsa, sed inter binos latrones, seu eorum utrinque suspensio, quasi medius JESUS horum caput & praefectus fuisset, Servatorem permovit, ut pro ipsis intercederet, ne scilicet de caelo tacti vel alia poena *βηλατω* quantocyus perirent. Nihil enim urgebat, ut hanc insuper ignominiam ipsi inurerent.

Tertio, concludimus ex superioribus, Paracletum hac prece, vel *ἐνείξω*, etiam nihil aliud pro iis rogasse, quin etiam obtinuisse, quam immunitatem à tali meritisima poena. Quod quidem ulterius adstruere planum foret: sed quoniam in superioribus aliquan-

XXXVI: 20. XL: 7. Atqui nunquam *Θεω-
 δρωσθ* animam deposuit rationalem, quoniam
 pars ipsius personae semper fuit, nullatenus
 divellenda: sed vitalem spiritum deposuit,
 quemadmodum jam se facturum praedixerat,
 & gloriatus fuerunt *se posse Job. X: 17, 18.*

Hinc simul patet, quem alienum in sen-
 sum rapuerint plures *Christiani* moribundi,
 hanc *JESU* supremam declarationem imitan-
 do. Et parum abest, quin adjiciamus, ta-
 le effatum post *JESUM* neminem decere: nisi
 sensu plane diverso & longe tenuiori. *CHRIS-
 TUS* enim hac voce, *vitam suam* simul *totam*
DEO tradebat & *Patri* offerebat, vel si mavis sacri-
 ficabat; quia oblatione supremum quadran-
 tem pro reatu mortis populi sui persolvebat.
 Simplex collatio illorum *versuum* ex *Joan. X*
 hoc ponit extra dubitationis aleam. Praete-
 rea illam *depositionem* fecit ex plenitudine po-
 testatis, depositum ipsum brevi recuperatu-
 rus, itidem facultate insitâ, ut ibidem vide-
 re est. Quis jam hoc imitabitur! quis homo
 merus tantum pollet!

Si haec nobis concedentur, *Psalium XXXI.*
 insuper pro *Messiano* habere tenemur, &
 quidem *κρυβως* & *κατα πηλον*, utpote com-
 plexum verba nemini, nisi uni *MESSIAE*,
 pronuntianda: nisi credas *JESUM* & *Psalten*
 non re sed verbis tantum consentire.

brae, & *Judaeam* oppresserint, ut conviciatoribus terror subitissimus & plane panicus injiceretur, qui fauces praeccluderet, & JESU requiem praestaret: si modo requiem dixeris illum supremum internae mortis agonem, quo illico immittebatur, passurus ita reliquias poenarum spiritualium, quas electi meruerant, nec non reliquias irae Divinae animitus sentiendos, exhausturus feces poculi illius amari, quod ter jam in horto gustaverat, & cui etiam solus vacare debuerat. Nunc solitudo quaeri nequibat: defectum hunc supplevit ipsum Numen, tantâ caligine injectâ, ut procul dubio nemo adversariorum patientem JESUM, durante illâ viderit, nec ipse eorum aspectu vel auditu interea temporis turbari potuerit.

X I.

De Commendatione Animae morientis.

De vitali, non rationali, cogitasse JESUM nulli dubitamus. Suadent hoc 1. LUCAE illud sequens ἐξέπνευσε relate ad τὸ πνεῦμα τὸ παραθηόμενον c. XXIII: 46. 2. Verbi יָרַד vis & usus, qui commendando non terminantur, sed potius requirunt depositionem. Conferantur cum Psalmo XXXI: 6. unde JESUS sua mutuavit, 2 Chron. XII: 10. Jes. X: 28. Jer. XXXVI:

246 Jac. Cremer, Observat. Exeget. &c

olim *Galgotba* fuit extra urbem, *Joa. XIX: 20*
Hebr. XIII: 12. nunc vero in media ferme
Urbe jaceret: Ergo non unus sit idemque
locus oportet. Auctor Geographiae sacrae
Cl. Bachiene, haecenus *Mosa-Trajectensis*
decus, jam praefaguit, *Kortianum* hoc quod
dem pluribus placiturum.



I I I.

DAVIDIS MEYER,

V. D. M. in agro GRONINGO-

O M L A N D O R U M,

Ham & Franzum dicto,

EXPLICATIO LOCI JOANNIS

C A P. XIX: II.

§. I.

Ex omnium Interpretum confessione, quos ego saltem vidi, in propatulo est, latere difficultatem in loco *Joannis Evangelii* cap. 19. versu undecimo, continente Servatoris responsum Pilato datam, qui aegre ferebat ejus silentium, idque testabatur
Bibl. Haganae Cl. VI. F. II. R tur

248 Davidis Meyer Explicatio

tur his verbis: Εμοι κ λαλεις, κκ οιδας οτι εξουσιαν
 εχω στυρωσαι σε, κκει εξουσιαν εχω απολυσαι σε. Cui
 Servator regerit vs. II. κκ ειχας εξουσιαν υδερμιαν
 κατ' εμυ, κκ μη ην σοι δεδομενον ανωθει.
 δια τυτο ο παραδιδυς με σοι μειζονα αμαρταν
 εχα.

§ 2.

In enucleando nexu partis posterioris hu-
 jus thematis, sensus extruditur nimis incon-
 veniens. Ipse Beatus LAMPPIUS in *Comment. ad*
b. l. id ingenue profitetur, dicens, cum po-
 sterioris partis nexum ex priore studet de-
 ducere: *difficile est nexum hic determinare.* Et
 profecto communis expositio neque nexui
 satisfacit, neque responsio. Servatoris sapien-
 tissimi exhaurit propositionem Pilati, ob si-
 lentium Servatoris superbe contra ipsum in-
 surgentis, ita ut sensus extrudatur, in quo
 nemo sine haesitatione potest acquiescere,
 cujus sensus veritas in se spectata inficiari
 quidem nequit, interim huic loco minime
 quadrat. Liceat ergo mihi pace tot erudi-
 torum Virorum, quorum vestigia vel è lon-
 ginq̄ sequi non audeo, cogitata mea placi-
 dissimo examini Theologorum subijcere,
 & ipsi Judices sedeant, rem acu tetigerim
 nec ne.

§ 3.

Aegre ferens. Pilatus silentium Servatoris, verbis, auctoritate armatis, illud rumpere fatagit *vs.* 10. quod silentium tanto minus poterat tolerare, quia iteratum examen instituebat compulsus timore per accusationem novam & secundum mentem Judaeorum graviolem in ipsum excitatam, quod Jesus Christus se mortis reum fecisset, quia se Dei Filium fecerat, hinc timor *vs.* 8. hinc repetitum examen *vs.* 9. hinc inquit *Ποθεν εἶ συ.* Taciturnitatem Servatoris infringere nititur verbis *vs.* 10. illudque silentium tali modo carpit, ut non solum Servatori ob oculos ponat, ejus captivitatem, & libertatem, mortem atque vitam à suo nutu dependere, sed & simul Servatorem arguit contemptus eminentiae Pilati, Romani Proconsulis, supremi Magistratus. Illam mentis superbiam studet Servator evertere & refutare: scil. vitam suam & mortem, aequè minus ac vincula aut libertatem ab arbitrio proconsulis pendere, sed omnem potestatem ipsi coelitus esse indultam, nempe à Patre coelesti, addita ratione, ob quam Pater ille coelestis hanc potestatem concesserat. *Δια τούτο.*

§ 4.

In hac responsione ultima cum initio inconcinne cohaerent secundum communem interpretationem, & sensus elicitur, qui, quomodo cohaereat cum praeced. aut interrogationi satisfaciatur ad confirmandam sententiam de coelitus data potestate, non video. In priori enim parte docent Interpretes, quod extra omne dubium est: Servatorem Pilati arrogantiam redarguentem tueri; potestatem illam niti supremi Numinis nutu. Eodem habitu volunt, quod de Judaeis sermo sit & de eorum crimine, quod Se Pilato tradiderint.

§ 5.

B. Lampius, quem monuimus nexum difficilem horum verborum cum praeced. declarare, acquiescit in sententia summi cocceji: Servatorem, nempe, negare Pilato in Se esse potestatem nisi à Deo (scil. hoc permittente) sed illam potestatem non esse concessam Judaeis. Verum pace horum Illustrium Virorum, cum omnia de Deo secundum decretum suum haec permittente sint capienda, nonne haec explicatio-adversa fronte repugnat dictis Apostolorum in suis precibus Act. IV: 27, 28. confitentium, quod Herodes, Pilatus, cum gen-

gentibus & NB. populo Israële, fuerint ex-
 cutores decreti Divini ποιησαι οσα η χειρ σου και
 η βυλη σου προωρισε γενεσθ; Eodem ergo decre-
 to permissivo, quo Deus non impedivit Pila-
 ti potestatem in Servatorem, cujus innocen-
 tiam toties erat professus, eodem Deus non
 impedivit insatiabile odium Judaeorum per
 Proconsulem, crucis maledictam poenam ur-
 gentium. Pilatus aequè exemplum vindictæ
 Divinae in historia nobis relictus est quam Ju-
 daei, ergo nullum video in hac parte discri-
 men.

§. 6.

Dura etiam mihi videtur communis Inter-
 pretatio phraseos εχαν αμαρτιαν, sub Reatu
 esse; hunc enim significatum eliciunt & claris-
 sime indicant Interpretes Galli BEAUSOBRE &
 L'ENFANT ad h. l. *Celui qui m'a livré a vous est
 plus coupable que Vous.* Culpam Judaeorum
 maximam inficiari nemo auderet. Verum et-
 si vel maxime haec phrasys eo sensu alibi oc-
 currere, posset indicari, nullo tamen modo hic
 incensum venit, quum statui deberet, Servato-
 rem eodem halitu fermocinari de potestate
 Pilato tradita, & de peccato tremendo Judaeo-
 rum, quod nihil facit ad evertendam Procon-
 sulis opinionem de potestate in se.

§. 7.

Procedunt autem omnia verba optimi Servatoris secundo flumine, exsplendescit ejus gravitas & sapientia, propositioni Proconsulis satis fit, & ejus praeconcepta de suo jure imaginatio evertitur, statuendo Servatorem pro sua sapientia hanc arrogantiam Pilati silentio non transeundam judicantem, partim refutare illam propositionem: dum asserit: vitae & mortis suae discrimen minime niti autoritate & potestate, qua Pilatus ut Romanus Proconsul gauderet, sed niti Voluntate supremi Numinis, ipsi alienigenae in hoc temporis articulo ob causas sanctissimas suae vitae periculum permittentis; partim rationem addere, ob quam supremus rerum Moderator, Se, qui Divinam originem profitebatur, permetteret sisti coram humano tribunali ut reum blasphemiae aut seditionis, ita ut in praesentissimo mortis ignominiosissimae periculo versaretur. Illa ratio sita est in enormitate scelestissima peccati, de quo peccato longe aliter illud sanctissimum Numen judicat, quam homines. Subjectum orationis non mutatur, sed de eodem, qui Pilato indulgebat potentiam Servatorem capite plectendi ultima verba capienda sunt, alias ultima *αιτιολογια* prioris non possunt comprehendere.

§. 8.

Bina ergo mihi erunt ulterius adstruenda, ut hanc explicationem majori luce adfundam ad indicandum nexum, qui exprimitur per $\Delta\iota\sigma\tau\alpha\pi\tau\omega$.

1) Quod Servator per $\tau\omicron\nu\ \omega\delta\eta\mu\delta\iota\delta\omicron\nu\tau\alpha\ \mu\epsilon\ \sigma\upsilon\iota$ intelligat Eundem Patrem coelestem, quem in commatis hujus initio per $\epsilon\chi\epsilon\sigma\iota\omega\nu\ \delta\epsilon\delta\omicron\mu\epsilon\nu\eta\nu\ \sigma\upsilon\nu\theta\epsilon\nu$ significaverat, nullo modo de Judaeis.

2) Quod hujus concessionis à Patre in manus Pilati lateat causa in peccato, de quo Deus longe aliter judicat quam homines.

§. 9.

Priusquam autem in hunc campum descendo, monendum est in antecessum, arcem caussae & difficultatis ansam in eo esse quaerendam, quod Interpretes non attenderint ad vulgarem & in omnibus linguis satis notum significatum verbi $\epsilon\chi\eta\nu$, qui & in aliis N. T. locis adhibetur. $\text{Μεζονα } \epsilon\chi\eta\nu\ \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\nu$ vertitur fere ab omnibus *habere magnum peccatum*, seu sub graviore esse reatu. Res ipsa, quod scilicet Judaei summum reatum sibi induxerint, in vado est, sed nulla hic occasio mentionem de illa faciendi, nec argumentum continent Pilati elatum animum reprimendi.

254 Davidis Meyer Explicatio

ΕΧΕΙΝ hic tuetur significatum *Censendi*, *Judicandi*, *Aestimandi*; significatus in omnibus linguis, imo in quotidiano usu satis superque notus est, Latini *habere* pro *aestimare*, *censere*, adhibent; Belgae: *voor sonden houden*, Germani: für sünde halten.

In N. T. hic significatus non est peregrinus; cel. ΔΑΥ. ΚΥΡΚΕ in *Observ. in N. T. libros tom. I. pag. 72. ad Matth. XIV: 5. οτι ως προφητην αυτον ειχον* scribit: *εχειν hoc loco est aestimare, reputare, in pretio habere, sic in N. T. Act. XX: 24. ουδε εχω την ψυχην μου τιμιαν & ad Philipp. cap. II: 29. Πρεσδεχεταις αν αυτων εν κυριω μετα πασης χαρας, και της πιστης ενθυμιας εχετε*, adduntur etiam exempla ex auctoribus profanis. Idem Κυρκιυς iterum pag. 286. ad *Luc. XIV: 18. εχε με παρητημενον* haec monet: *εχε b. l. paulo aliter intelligo quam alii, significat id, putare, credere, quo sensu vox occurrit Matt. XIV: 5. ubi vide dicta. ΣΙCΤΗΡΟΓΝΙCΙN SENTENTIIS pag. 190. συ δ' εχεις ταυ ματαιον, tu vero hoc pro inani habebis.* His addi potest ad hunc significatum vindicandum, ex auctoribus Graecis optimae notae ex *DIΟΓΕΝΕ LAΕRTIO in Vita Solonis pag. 40. edit. Colon. 1615. in 8vo. ubi inter Solonis consilia hominibus data juxta Apollodorum, primo loco occurrit: Καλοκαγαθιαν αρχη πισοτερον εχε. Virtutem, atque probitatem juramento fideiorem CENSE, ut habet versio. Ipse SCAPULA in lexico ad vocem εχω illum significatum*

tum ex ISOCRATE in *Panath.* probat πως εν εχω πεπαιδευμενος quos habeo pro doctis, seu quos in Doctorum numero habeo.

§. 10.

Eundem significatum hic locus flagitat ob orationis nexum & responsionis finem. Verterem igitur h. l. *Nullam haberes in me potestatem, nisi data tibi esset superne: ob eam autem rationem δια τυτο* (scilicet tibi illa potestas superne concessa est) *qui me tibi tradidit, peccatum majoris aestimat, censet, aut pro re majoris momenti habet.* Ille sensus nervosus & dives, aptissimus ad mentem Servatoris in sapienti responsione perspiciendam.

§. 11.

His de significato verbi εχω praemissis, adstruere allaborabo illum hujc loco maxime convenire, probando illa duo in anteed. monita & quidem primo: Servatorem per εν παραδιδουτω eundem intelligere, qui ipsi superne potestatem in Se indulserat, nam

1) Nulla subnasci potuit Servatori occasio ex arrogantia Proconsulis, qui per suam eminentiam Servatoris taciturnitatem infringere tentabat, ut Judaeorum aut atrocis eorum sceleris faceret mentionem, utpote de

quo Pilatus satis superque convictus erat. In eo etiam latet difficultas, quae Interpretibus crucem fixit.

2) Nullus nexus inter prius & posterius, vi cuius ita posteriora cum anteced. cohaerent ut queant combinari, aut alterum ex altero deduci, quod tamen phrasis *Δια τῶν* postulat: Quenam est ista sequela: Potestas non nisi superne data in me, ideo Iudaei me tibi tradentes sub majori sunt reatu aut majus habent peccatum.

3) Nulla quoque causa adferri potest, ob quam *ὁ Ἰουδαῖος* collective sumatur de populo Judaico, & non potius capiamus de Subjecto quodam, implicite expresso in priori themate, per potestatem superne datam, & quod Subjectum circumscribit sapientissimus Servator, per *τὸν Ἰουδαῖον* *με σοι*, nulla mentione facta de Deo, seu Patre suo, quia ipsi res erat cum homine Ethnico, in veri Dei cognitione caecutiente, cui Servator mentem suam aptius declarare non poterat.

4) Orationis *συναφια* & sapientia Servatoris in respondendo id exigit, qui cum indignatus erat Proconsuli aliquid regerere sciscitanti: *ποθεν ἡ σὺ*: jam autem Orationis fonticam causam in fastu Proconsulis, de sua potentia in ejus vitam & mortem inveniens, potiores & alias traditionis causas allegat,

legat, quae in auctore traditionis erant, quibus proconsulem in pudorem dat.

Si autem de eodem Subjecto fermo est, rationem moventem traditionis superneindultae, à Servatore indicatur sitam esse in Judicio Dei, qui Se ipsi tradiderat, de atrocitate peccati, quae ratio latet in verbis: *is μείζονα ἔχει μαρτυρίαν*, id quod secundo loco mihi ulterius probandum superest.

§ 12.

Dum Servator errorem Pilati de sua potestate diluere studens, veram potentiae originem scilicet supernam seu coelestem docet, illudque Proconsulem in admirationem rapere potuisset, aut materiam novae quaestionis suppeditare: Quenam sit causa, ob quam illa facultas superne concedatur, & ab ipso Servatore non potius per illam supernam auctoritatem arcerentur ignominia illa & perperiones, quae Ipsi à furibundo populo Judaico petulanter intentabantur, cum ipse Proconsul de Ejus innocentia convictus esset: illam causam moventem statim subnectit. *Διὰ τούτων*: Idcirco superne tibi concessum, sive ratio traditionis momentosissima est in atrocitate peccati sita, de quo Ille, qui me tibi tradidit, longe aliter judicat, quam homines peccato servientes.

In

258 Davidis Meyer Explicatio

In Ipsius oculis peccatum *habetur* seu *consetur* pro re maximi momenti. Homines peccatis inescati caecutiunt ad concipiendam veram indolem peccati, dum ex amore peccati conscientiae lumini vim inferunt. Enorme & nefandum scelus, vult magnus Propheta dicere, quod in peccato latet, fugit te & omnes homines, huic malo mancipatos; hinc levius de illo judicant, rem indifferentem habent. Verum quam injurium sit peccatum in Majestatem Divinam, quomodo finem creationis & Creatoris sapentissimi & sanctissimi eludat, ordinem inter creaturas rationales turbet, hominem omni pulchritudine, omni felicitate privet & deformitatem lugubrem ipsi invehat, vindictaeque Divinae obnoxium reddat, id nemo dijudicat perfectius quam Ille, à quo tibi in me concessa est potestas.

Ut autem coram oculis hominum in cimмериis tenebris circa peccati indolem versantium supremi Numinis judicium de peccato in clariori luce sisteretur, & palam fiat, quomodo illud detestetur & ut peccatorum sequelae, in perniciem hominum vergentes, non amplius in dubium vocentur, Meae perpesiones & mea ignominia ob peccata & peccatores mihi infligendae testabuntur, & ut per te & Judaeos executioni dentur, ab Illo sapienter & sanctissime permittitur.

Illa peccati gravitas publice non solum hoc modo declaratur per totius univérſi judicem, sed ſimul neceſſitas talium perpeſſionum ad crimen peccati expiandum & Judici ſatis faciendum. Nullis mediis huc uſque ſuperne adhibitis ille ſinis potuit impetrari, nec incolae rationales mundi de eo convinci, uti experientia omnium temporum docuit: placuit ergo Illi, qui ſolus in me poteſtatem habet, ut in tuas manus conferret ad illum ſcopum adſequendum.

§ 13.

Reſponſio haec, quam pro mea ſententia prolixius propoſui, uti plena mihi videtur ſapientia, & intrepidum animum Servatoris in ſumma exinanitione prodit, ita etiam mihi videtur prolata à Servatore gravitate quadam facunda & parrheſia ad convincendum & pungendum praefulis Romani animum apta, quae Ipi ut Doctóri coeleſti priva erat, & qua ſaepius adverſarios ſibi inſultantes in pudorem dedit. Quae enim alia ratio in medium produci poteſt, quare Joannes ad haec verba conſeſtim addit vſ. 12. *Εξ τῆς ἐξήτης ὁ Πίλατος ἀπολύσκει αὐτόν!* Rationem nullam reddere poſſem, ſi de Judaeorum crimine ſermo eſſet, quos Pilatus ſuſque deque habebat, quare a Joanne adjiciantur. Cum enim Pilatus in cauſſa longe graviori & re hominis rationalis attentione dignis-

260 Davidis Meyer Explicatio

gnissima verba illa effutiebatur: Quid est veritas, etiam peccato Judaeorum, licet sceleratissimo, tam vehementer non tactus fuisset, ut Servatoris libertatem meditaretur.

§. 14.

Omnia erga in plano esse judico ad totum orationis nexum sine haesitatione ulla explicandum. Dedignatur Servator attendere ad quaestionem ποθεν η εϋ vs. 9., sed fastu turgentem & jactantem suam eminentiam & potestatem in Se refutat, & illam à Divino nutu derivandam docet. Si fortean in rationes hujus traditionis inquireret, & quare non potius praesentius auxilium ferret illud Numen, à quo potestas illa derivatur, illae latent in gravitate peccati, quam homines ob φιλαυτιαν & mentis tenebras ignorant, sed de qua verissime solus Deus judicat vs. 11. Momentum rei & Orationis insignis efficacia ansam dant Pilato de vinculis Servatoris solvendis cogitandi. (*)

Id

(*) Maxime laudandum omnino est studium pl. Reuer. Auctoris locum hunc sane difficilem, qui Interpretibus crucem fixit, inlustrandi, si vel rem acu haud tetigisset. Vt commodum magis sensum ex verbis Servatoris eliceret, quam vulgares expositiones exhibent, in quibus plerisque aqua haeret, obportune mentis aciem in significatum verbi εχου intendit, & illum censefendi, aestimandi, iudicandi, de quo nemo Graecarum litterarum peritus dubitare potest,

Id tantummodo addo, quod verba in nexu considerata sensum fundant Doctrinae de Redemptione convenientissimum, quemque Paulus totidem fere verbis exprimit ad *Rom. 8: 3.*

To

test, hoc in loco aliis praetulit. Enata inde est, quam docte proposuit, verborum versio, cui vix habeo quod obponam, nisi quod hoc sensu forte dici debuisset *αμαρτιας μαζοντα εχει*. Hactenus ergo bene. Iam vero ubi ventum est ad *δια τον*, ut scopum & finem Diuini Seruatoris in hoc sermone eruamus, a sententia Doctissimi Meijeri diuortium mihi faciendum est. Verissimum quidem est per traditionem Vnigeniti Dei Filii in manus Judaeorum & Herodis & Pilati foeditatem atrocitatemque peccati luculentissime demonstratam fuisse; nobis hoc certissime constat Christianis ex Euangelio. Sed quid hoc ad Pilatum? Quis sibi persuadere poterit, Seruatorem hoc tempore ac his verbis voluisse docere Pilatum, Deum ad demonstrandam peccati foeditatem, Se innocentissimum hominum, quin Dei filium, in manus suas tradidisse, quia haec homines peccato seruientes latebat? aut Pilatum quicquam ex his verbis de redemptione peccatorum, per passiones & mortem Jesu paranda, intellexisse?

Plane aliam viam, versione doctissimi Amici admissa, in eo, qua dicta Seruatoris ad solum Pilatum, judicis munere, superne ipsi demandato, fungentem referenda esse censeo. Hic gloriatus erat se potestatem Sui habere vel crucifigendi vel absoluendi. Gloriam hanc ipsi concedit Seruator, at monet potestatem hanc deriuandam esse a Deo, supremo Judice totius vniuersi. *Δια τον* monet, apud Deum summum esse ius, censere Deum peccatum maximi, hinc

Το γὰρ ἀδύνατον τῆ νομῆ ἐν ᾧ ἠδένει, δια τῆ
σαρκῆ, ὁ Θεὸς τὴν ἑαυτῆ υἱὸν πεμφθῆς ἐν ἁμαρ-
ματι σαρκῆ ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατεργῆς,
τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί.

T A N T U M.

maioris momenti, quam Pilatus, qui tamen si-
bi in memoriam reuocare debuisset, se iudi-
cium exercere non sibi, nec Judaeis aduersari-
bus, sed Domino coeli & terrae supremo. Ne-
glexerat hic potestatem sibi superne datam, li-
cet de innocentia Jesu intime conuictus esset,
Illum absoluendi. Modo indifferentiam suam cir-
ca peccatum ostenderat, quum ad clamorem Pon-
tificum & ministrorum: Crucifige, Crucifige, in
innocentissimum Jesum iudicium ferre, non so-
lum renuerat, sed & agnum hunc mitissimum tru-
culentis eorum manibus oblicere haud veritus fue-
rat *vs. 6. Capite eum vos & crucifigite, nam ego cri-
men in eo non deprehendo.* Adeo verum est di-
ctum CICERONIS in *Orat. pro Rege Dei otaro c. 2.*
*Nemo fere est, qui sui periculi iudex non sibi se ae-
quiores quam res praebet.* Nec plane frustranea
erat penes Pilatum haec iusta & obportuna ad-
monitio, quod patet ex *vs. 12.* donec Caesa-
ris ingratis veritus innocentissimum hominum
interimendum iudicauit. Nihil praeterea addo.
Sufficit digito monstrasse, quam commodus ex
nova Amlci mei versione dictionis oritur sen-
sus, quamque praecisus & diues.

Interim gratias pro hac versione meruit, si de-
fendi poterit, Laudem inuentiois solus habeat,
quae sane difficilior est quam inuenti vsus. Per-
gat cl. Auctor, qui iam *Fasc. Primum Clasfis
Sextae Bibliothecae Bremensis Nouae eleganti Dis-
sertatione ad Eph. VI.* ornauit, huiusmodi Ob-
seruationibus & Bibliothecae Haganae fun-
dum ornatiorem reddere. N. B. IV.



I V.

HISTORIA VNITARIORVM IN TRANSYLVANIA,

Inde a prima illorum Origine ad recen-
tiora usque tempora, ex Monumen-
tis Authenticis, concinnata

per

PETRVM BOD, DE FELSÖ TSERNÁTON,

*Dum viueret, Ecclesiae Reformatae Magyar
Igeniensis V. D. M. in Transylvania;
& primum Dioeceseos eiusdem Nominis,
mox Synodi Generalis Notarium. (*)*

CON-

(*) Historia haec Vnitariorum in Transylvania non infima pars est Operis maioris, quod Historiam Hungariae & Transylvaniae Ecclesiasticam exponit, quodque, vt a. GERDZSI, Viri de Historia Reformationis Ecclesiasticae optime meriti, verbis vtar, magno cum labore ac industria prorsus singulari scripto consignauit,

Bibl. Haganae Cl. VI. F. II.

S

ac

CONSPECTUS
HISTORIAE VNITARIORVM
IN TRANSYLVANIA.

PARS I. DE REBVS VNITARIORVM, AB
ILLORVM ORIGINE, *ad*
mortem usque IOANNIS II.
REGIS.

CAPVT I. *De iis, quæ celebrem Disputationem*
Albanam antecesserunt.

SECTIO I. GEORGII BLANDRATAE *in-*
gressus in TRANSYLVANI-
AM, & *Amicitia cum* FRAN-
CISCO DAVIDIS *inita.* §. I.
II. III.

SECTIO II.

ac innumeris documentis instruxit. Vir pl. Venerandus atque Doctissimus PETRUS BOD, & ex quo GERDESTUS iam duo Specimina *Scrini* sui *Antiquarii Tomo VII. P. I. p. 133. & P. 2. p. 346.* inseruit, quibus saluam Lectoribus mouit, plura ex hoc Opere Specimina legendi, donec totum hoc Opus fauore liberalioris alicuius Bibliopolae in dias promatur luminis auras. — Historia autem Vnitariorum cum nondum satis detecta aut exposita sit, me gratias curiosorum & eruditorum Virorum relaturum censui, si Apographum huius historiae a doctissimo BOD, iam ante aliquot annos defuncto, conscriptae, ac fidelissima Amici manu descriptae nactus, illud cultoribus Historiae Ecclesiasticae hic obferrem. N. B.

Vnitariorum in Transylvania. 265

I. C. I. SECT. II. *Initia Controversiarum cum Vnitariis. Theses & Antitheses in Disputatione Albenfi A. MDLXVI. 25. April; & in Synodo M. Váshellyiensis eiusdem A. 19. Maii propositae §. IV.*

SECTIO III. *Inuitationes Orthodoxorum ad Synodos Szikszouiensem, Debrecinensem. Synodi Debrecini, Cassouiae & Patakini celebratae Anno MDLXVII. §. V. VI.*

CAPVT II. DE DISPUTATIONE ALBANA
A. MDLXVIII. 3. Martii.

SECTIO I. *Indicitur Synodus a Rege IOANNE II. Conditiones & Arbitri Disputationis, a parte tam Reformatorum, quam Vnitariorum. §. VII.*

SECTIO II. *Disputatio per X. Dies continuata, eiusque exitus. §. VIII.*

CAPVT III. DE DISPUTATIONE VÁRAD-
ENSI VI. *Dier. A. MDLXIX. 10. Octobris inchoata.*

SECTIO I. *FRANCISCI DAVIDIS Litterae Conuocatoriae ad Synodum Váradensem, eiusque IX. Propositiones disputandae. §. IX.*

SECTIO II. *Litterae Orthodoxorum, Regi exhibitae. Disputationis Conditiones: Theses Reformatorum. §. X.*

266 P. Bod, *Conspectus Historiae*

P. I. C. III. SECT. III. *Exitus Disputationis vi. Di-
rum. Confessio Orthodoxorum
Regi exhibita. PETRI M
LII Epistola exhortatoria
Regem. Synodus Maros V
sárhellyiensis. Mors Regis.
XI—XV.*

PARS II. DE REBUS, SVB PRINCIPIBUS ST
PHANO ET CHRISTOPHO
RO BATHORIIS, *ad Tr
gicum usque Exitum duoru
Vnitariae Religionis Anteq
gnanorum actis.*

CAPVT I. *De iis, quae Captivitatem FRAN
CISCI DAVIDIS praecess
runt.*

SECTIO I. *Existimatio BLANDRATA
ET FR. DAVIDIS cora
Principe imminuta. §. XV
XVII*

SECTIO II. *FAVSTI SOCINI ingre
sus in TRANSYLVANIAM
BLANDRATAE machinati
nes aduersus FR. DAVIDIS
versus F. SOCINI tentata
Theses sub Nomine FR. DA
VIDIS falso exhibitae. §
XVIII. XIX.*

CAPVT II. *Tragoedia FRANCISCI DAVIDIS
ex litteris Vnitariorum Tran
sylvanorum, ad IACOBVM
PALAEOLOGVM datis, de
sumta.*

SECTIO I. *FAVSTI SOCINI ET G
BLANDRATAE subdola
Dispe*

Vnitariorum in Transyluania. 267

P. II. C. II. SECT. I. *Disputationes, fraus, & infidelitas erga FR. DAVIDIS.*
§. XX — XXV.

SECTIO II. *FR. DAVIDIS Captiuitas & Acta Comitiorum Thorden-
sum 24. April. habitorum,
in eiusdem causa. §. XXVI—
XXX.*

SECTIO III. *FR. DAVIDIS ad Comitia
Albensia ducitur. Processus
Judicialis contra eum insti-
tuitur. Eius Accusatio. De-
fensio. §. XXXI—XLII.*

SECTIO IV. *Condemnatio FR. DAVIDIS.
Sententia pronuntiatur. Sta-
tuta de Vnitariis reliquis.
§. XLIII—XLVI.*

SECTIO V. *BLANDRATA Synodum Ge-
neralem Vnitariis indicit
Claudiopolim 1. Julii. Super-
intendens creatur DEMETRI-
US HVNYADI. Eius Con-
stitutiones in Consistorio Clau-
diopolitano 14. Septembr.
habito. §. XLVII. XLVIII.*

CAPVT III. *Additamenta Auctoris ad Litteras Fratrum Vnitariorum in Transyluania, IACOBO PALAEOLOGO missas.*

SECTIO I. *Mors FR. DAVIDIS 15. No-
yembr. A. MDLXXIX. in
Arce Deuensi. Animus Vni-
tariorum Transyluanorum er-
ga illum. Iudicium eorum de
S. Baptismo. BLANDRATA*

268 P. Bod, *Conspectus Historiae*

P. II. C. III. SECT. I. *fataliter perijt. §. XLIX—LI.*

SECTIO II. *Superintendentes Vnitariorum V. priores. §. LII. LIII.*

PARS III. DE REBUS VNITARIORVM *post facta FR. DAVIDIS ET G. BLANDRATAE ad recentiora usque tempora.*

CAPVT I. *De Statu eorum ad A. MDCXXXVIII.*

SECTIO I. *Comitia Albensia sub Principe GABRIELE BETHLEN A. MDCXVIII. celebrata. §. LIV. LV.*

SECTIO II. *Comitia Albensia sub Principe GEORGIO RAKOTZI I. A. MDCXXXVIII. 13. Aprilis; & Diaeta Defensis A. MDCXXXVIII. 1. Julii habitata. §. LVI. Copia Actorum Anni MDCXXXVIII. ex Archiuo Albenfi sub Principe MICHAELE APAFI I. Anno MDCLXIX. Mansumta. §. LVII. Qua continentur:*

a) *Confessio Vnitariae Religionis, A. MDCXXXVIII. 23. April. Albae Juliae exhibita.*

b) *Consensus Ministrorum Vnitariorum de Adoratione F. Christi, Claudiopoli A. MDLXXIX. 2. Julii concinatus, & A. MDCXXXVIII. 1. Julii*

1. Julii

Vnitariorum in Transyluania. 269

P. III. C. I. SECT. II. 1. Julii in Diaeta Défienſi
Principi oblatus.

c) Complatio Controuerſae de Diuinitate & Adoratione J. Chriſti, in eadem Diaeta Défienſi 7. Julii compoſita.

CAPVT II. De Statu Vnitariorum poſt Annum
MDCXXXVIII. §. LVIII.
LIX. LX.

P A R S P R I M A

DE REBVS VNITARIORVM *ab ortu
illorum, ad mortem uſque Regis IO-
HANNIS II.*

C A P V T I.

DE IIS QVAE DISPUTATIONEM
ALBANAM *anteceſſerunt.*

S E C T I O I.

GEORGII BLANDRATAE *ingreſſus in
Transyluaniam, & amicitia cum FRAN-
CISCO DAVIDIS initae* §. I. II. III.

§. I. **R**eligio Chriſtiana, inde a prima ſui
origine ad haec uſque tempora
perpetuos, eosque infenſiſſimos experta eſt

hostes. Ac primi quidem agmen horum ducebant, Auctoris sanctissimae huius Religionis in crucem agendi nefarii Artifices, Judaei. Hos, exeunte primo, & ineunte secundo seculo sequuti sunt, *Ebion*, *Cerintus*, *Carpocrates*, *Artemon*; seculo 3^{to}. *Paulus Samosatenus*; & 4^{to} *Photinus*; post *Arius*, ac tandem circa tempora Reformationis Antiquorum opiniones renouarunt *Michael Seruetus*, *Valentinus Gentilis*, *Bernardus Ochinus*, *Laelius* & *Faustus Socinus*. Quid vnusquisque horum Orthodoxae fidei oppositum docuerit, & quantum a scopo, vera scil. Christi Doctrina, recesserit, id Auctores Historiam Ecclesiae atque Dogmatum Religionis ordine seculorum referentes affatim docent: nobis autem, Sectae, veram aeternamque Filii & Spiritus Sancti Diuinitatem, atque adeo ipsam S. Sanctam Trinitatem abnegantis, cui *Vnitariorum*, & passim, a praecipuo huius erroris propagatore *Socinianorum* nomen adhaesit, ortum & progressum in Patria nostra, memoriae prode animus est.

§. II. Primum, qui in *Transyluania* *Socini* dogmata spargere coepit, fuisse *Georgium Blandratam*, id, cum ex aliis, tum praesertim ex ipsius *Blandratae* litteris, Anno 1568. 27. Ianuarii *Schesburgo e Transyluania*, ad *Ecclesias Polonicas* datis, extra omne positum

tum est dubium. Haec sunt eius verba: *Vos scitis, Domini fuisse institutum, ut tantae molis columna hic per nos exereretur, & super montes inaccessibiles poneretur. Interea ingenue coram Deo fateor, me ignorare, quonam pacto, vel in quem usum & finem Deus haec per nos mouenda voluerit. Reliquum est ut oremus incessanter illum Deum & Patrem omnis consolationis, & misericordiae, ut perficiat quod per nos incepit opus, ad SSⁱ Nominis gloriam. Vid. Lubienieci Histor. Reformationis Polonicae p. 230.*

Fuit *Georgius Blandrata* patria *Pedemontanus*; qui hausit errores suos in *Italia* ab *Alciato*, ex scriptis *Serueti*, & conuersatione cum *Laelio* & *Fausto Socino*. Fugiens igitur manus Inquisitorum in *Italia*, concessit *Geneuam Helvetiae*, Protestantibus ibi sese adiungens. Sed ob prauas de Christi Diuinitate opiniones, nec hunc tutum sibi locum esse ratus, venit in *Poloniam* A. 1558, Orthodoxe se sentire hic quoque simulans. (*) *Johannes Calvinus* Pastor & Professor *Geneuensis*, animo erroribusque eius cognitis admonuit *Palatinum Vilmensem*, & Ministerium Ecclesiasticum, caueret sibi ab erroribus *Blandratae*. (**) Reuocatus ergo ad examen, talem *Cracouiae* coram Ministerio edidit Confessionem Anno 1561. *Fateor me credere in vnum Deum Patrem, in vnum Dominum Jesum Christum, Filium*

S 5

lium

(*) Lubienieci Hist. Ref. Pol. p. 118. 127.

(**) Ibidem pag. 126.

ium eius, & in unum Spiritum Sanctum, quod est essentialiter Deus. Deorum pluralitatem detestor, cum vnus tantum nobis sit Deus essentia indiuisibilis. Fateor tres esse distinctas Hypostases, ac aeternam Christi Diuinitatem & Generationem, atque Spiritum Sanctum verum ac aeternum Deum ab viroque procedentem. Verum, censura & metu Synodi liberatus, sententiam aliis persuadere conabatur, illi, quam se credere antea perfide simulabat, plane contrariam. Rursum ergo Censurae subiectus, in Synodo *Xiansiae in Polonia*, A. 1562. 10. Martii celebrata, Confessionem anni superioris uberius declarauit, eamque Orthodoxe (*); veritus, ne ob negatum SS. Trinitatis Dogma in periculum veniret.

§. III. Celebre in Medicina nomen apud *Polonos* adeptus *Blandrata*, anno 1563. vocatus est a JOANNE II. electo *Hungariae* Rege & Principe *Transyluaniae* pro Medico Aulico, quam vocationem, non amplius tutus in *Polonia*, libenter amplexus est. Hic, vbi aliquamdiu doctrinam suam dissimulans, arte Medica & ingeniosa sui accommodatione omnium gratiam iniisset; mox *Franciscum Davidis*, Plebanum *Claudiopolitanum*, & Superintendentem *Hungarorum*, virum multum apud Regem gratia pollentem, ad suas pertraxit partes. Postea *Dionysium Alesum*, Concionatorem Regis Aulicum, virum doctum

(*) Lubienieci l. c. p. 230.

Etum & probum, quem primum Superintendentem Reformatum numerant *Transylvani*, iuncta sibi *Francisci Davidis* opera, ut in Decanum *Gyaluensem* promotus, à latere Regis amoueretur, effecit. Quo expeditam nactus viam ad Regem, doctrinam suam indoli humanae accommodatam, Regi eiusque Aulicis sensim instillabat. Verbis tortuosis, phrasibusque ambiguis idem propalabat *Franciscus Davidis*; verum animadvertens serpens virus *Petrus Károli*, Rector scholæ Reformatæ *Claudiopolitanæ*, illud aperuit, eique verbis atque scriptis restitit.

SECTION II.

Initia Controuersiarum cum Vnitariis. Theses & Antitheses, Albae Juliae A. MDLXI. 25. April. & in Maros Vásárbellyiensi Synodo 19. Maji propositæ.

§. IV. Cum ita *Blandrata & Davidis*, viri tunc magnæ auctoritatis multa adversus famam doctrinam molirentur, primus fuit **PETRVS MELIVS** Pastor & Superintendentens Reform., *Debrecini* in *Hungaria*, qui Regem monuit, ne hominem illum peruersæ doctrinae penes se pateretur, qui nullibi in aliis Regnis toleratus est, quoniam ejus doctrina cum fide Christianorum consistere non

non potest. Nec poterat quiescere, donec Synodum conuocaret, vbi ad lumen S. Scripturae errorum caligo dispallesceret. Protractus ergo *Blandrata* e carectis, ambiguis sese inuoluebat Propositionibus, dum in variis Synodis, eodem Anno 1566. celebratis, cum isto conferrent Ministri Orthodoxi cum *Transyluani*, tum vero ex *Hungaria* hunc in finem *Transyluaniam* ingressi.

Exstat libellus Anno 1566. *Claudiopoli* editus, vbi primum *Propositiones Blandratae*; secundo, *Limitationes Pastorum ex Hungaria*; tertio, *Synodi Maros Várfárbellyiensis sententia* comparent. Hunc, quoniam ad Historiae illius aetatis perfectionem facit, de verbo ad verbum transferam.

Sententia concors Pastorum & Ministrorum Ecclesiae Dei Nationis Hungaricae in Transyluania, de Propositionibus Doctoris Georgii Blandratae & Francisci Dauidis, in Disputatione Albenfi coram Regia Majestate Anno Domini MDLXVI. die Aprilis xxv. propositis. Et limitationes fratrum, qui ex Hungaria praedictae Disputationi interfuerunt; in frequenti Synodo Maros Várfárbellyensi eodem Anno, die vero XIX. Maji pronuntiatae & publicatae. Nunc vero ex assensu Majestatis Regiae, Domini ac Principis nostri Clementissimi, typis excusa.

Propositiones in Disputatione *Albenfi* coram Regia Majestate &c. &c. a D. Georgio
Blan-

in Transyluania, Part. I. Cap. I. 275

Blandrata & Francisco Davidis &c. propositae, cum Limitatione Pastorum & Ministrorum, qui ex Ecclesiis Hungaricis Disputationi interfuerunt. Quibus accessit, de praedictis propositionibus & limitatione, sententia Synodi *Maros Várfelbyiensis*, eodem Anno h. e. MDLXVI. die vero XIX. Maji frequenter celebratae.

Propositio Prima.

Pro publica Ecclesiae Confessione, Unicum Apostolorum Symbolum retinendum esse censemus; quum illud piis atque modestis Christianis ad salutem satis esse possit, juxta Scripturam sacram, quae verbum Dei est acceptum ac interpretatum.

Limitatio per Pastores ex Hungaria.

Quod dicitur, omnibus modestis & piis Christianis sufficere debere unicum Symbolum Apostolorum, cum Scriptura sacra, & ex verbo Dei interpretatum, approbamus.

Sententia Synodi Várfelby.

Propositionem primam & nos approbamus. Symbolum enim illud vere Apostolicum esse agnoscimus. Ex eorum siquidem
Lit-

Litteris esse delumtum, propter sinceritatem & simplicitatem, cuiuslibet manifestum est. Vt porro omnis suspicio ambiguitatis tolli possit, Symbolo interpretationem hanc perspicuam addimus; quod scilicet doceat veram fidem in S. Sanctam Triadem, in vnum verum Deum Patrem, & in vnicum eius Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, verum cum Patre suo Deum; & in Spiritum Sanctum, Paracletum, eundem quoque cum Patre & Filio verum Deum.

Propositio Secunda.

Veram & genuinam Sacrarum Litterarum Triadem dicimus esse eam, in qua baptizati sumus. Patrem. scil. Filium & Spiritum Sanctum.

Limitatio Propositionis II^{dae}.

Propositionem hanc de SS. Triade approbamus, cum Doctoris *Blandratae* expositione, facta coram Regia Majestate; scil. quod vnus ille Jehovah *Deut. VI.* propositus, non sit Pater tantum, sed Pater cum *Δογμ*, & Spiritu Sancto inseparabiliter, ab aeterno.

Sententia Synodalis.

Propositionem hanc & nos approbamus.
Veram

Veram scil. & genuinam Triadem esse, quam S. Litterae nos docent, & in cujus nomine baptizati sumus, utpote, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Deus enim ita semper fuit & est Deus, ut fuerit & semper sit Pater sui Filii, qui verus & sempiternus est Deus, Patri suo coaequalis; quemadmodum & Spiritus Sanctus, quum sit Patris & Filii Spiritus.

Antithesis Propositionis Secundae.

Quam somniant Sophistae quaternitatem, detestamur, quae est vnica Essentia indiuisibilis, & tres distinctae Personae; praesertim quod doceant Essentiam aliud quiddam esse, a Persona distinctum. (a)

Limitatio Antitheseos Prop. II.

Quaternitatem sophisticam & nos detestamur. Si ergo constet de rebus ipsis, non est, cur nobis de vocabulis bellum indicetur.

Sen-

(a) Hic jam *Blandrata & Davidis* incipiunt artificiose caliginem offundere simplicibus Ministris, nihil mali suspicantibus. Volebant yderti se rejicere velle tantum locutiones extra Scripturam receptas, rem vero tenere.

Sententia Synodalis.

Vt abominamur & detestamur omnes traditiones; ita & horribilem doctrinam illam de Chriitianae Religionis fundamento, quâ vera, verae & semper Benedictae Triadis doctrina de Vno Deo Patre, & ejus Filio Domino nostro Jesu Christo, & Amborum Spiritu, ingenti audacia vitiatur, & pro eo, abominandum quaternitatis idolum invehitur, scil. Vnus Deus Essentia, & tres Personae. Dum docetur Essentia per se Deus, & huic quidam Deus Pater, & Deus Filius, ac Spiritus Sanctus associatur. Prout etiam Anastasius Imperator Decretum promulgavit: *A modo non in Trinitatem, sed in quaternitatem esse credendum.*

Propositio Tertia.

Istos tres, vnum esse profiteamur, quem admodum pronuntiat Scriptura, n. potestate, gloria & consensu, ejusdemque esse Divinitatis.

Limitatio.

Tertiam propositionem sic approbamus, vt inter tres istos, Patrem, Λογον, & Spiritum Sanctum perfectam Divinitatis, Potesta-

in Transylu., Part. I. Cap. I. Sect. II. 279

statis, Glorïae, Consensus, siue Vnitatis
coaequalitatem agnoscamus.

Sententia Synodalis.

Tres istos, Deum Patrem, Filium & Spi-
ritum S. & nos vnum confitemur, propter
Divinitatis, seu Divinae Naturae aequalita-
tem, consensusque, gloriae & omnipoten-
tiae Majestatem.

Antithesis Propositionis Tertiae.

Phrases istas reiicimus: Vnus Deus &
tres Personae, & tres Personae sunt vnus
Deus, iuxta Sophistarum sensum.

Limitatio.

Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, vni-
us & eiusdem Divinitatis esse confitemur.

Sententia Synodalis.

Omnes phrases a linea S. Scripturae di-
screpantes reiicimus; quum illis iuxta Sophi-
starum sensum perversum aliquod Dogma
exstruitur, vt factum est in Papatu. Sim-
plicitatem Apostolicam omnibus sufficere iu-
dicamus, ne Discipuli praeiudicare videa-
mur Magistris.

Bibl. Haganae Cl. VI. F. II. T Pro-

Propositio Quarta.

A Deo Patre initium sumendum, vt inde ab aeternis temporibus ab eodem processerit *Λογος*, & Spiritus Sanctus; quia a Patre, ipsorum fonte, nunquam separantur.

Limitatio.

Quartam Propositionem sic concedimus, vt *Λογος* ab aeternis temporibus a Patre genitum esse fateamur; & Spiritum Sanctum a Patre & Filio in omni aeternitate processisse. Ita vt *Λογος* & Spiritus Sanctus nunquam a Deo Patre separentur, sintque vnus & eiusdem Diuinitatis.

Sententia Synodalis.

Quartam Propositionem sic declaramus: Vnum esse Deum; Patrem, & Filium eius Iesum Christum, ac Spiritum Sanctum. Patrem vero ordine & auctoritate, non tempore vel Natura praecedere. Propterea, quod sit solus author & fons Diuinitatis Filii & Spiritus Sancti, in quo, & ex quo ab omni aeternitate suum esse habent. Vnde Paulus 1 *Cor. VIII.* de eo praedicat, quod sit noster vnus ille Deus, ex quo omnia, qui nunquam fuit, nec est sine suo *Λογω* & Spiritu.

Antithesis Propositionis Quartae.

Qui dicunt: initium Personarum esse Deum; ut inde Patris Persona (ut ipsi volunt,) originem trahat ab *Essentia* sine Deo, Sophistas esse censemus.

Limitatio.

Neque nos approbamus, Filium ab aliquo Deo, vel *Essentia* genitum, qui non sit Pater Domini nostri Jesu Christi.

Sententia Synodalis.

Deum nullum S. Sanctae Triadis ordini praeponimus. Sed Deus Pater ordine praecedit propter praemissas rationes; a quo est, & originem suam ab omni aeternitate ducit Filius, & ab utrisque Spiritus Sanctus. Unde etiam ad eundem; ea Dignitatis praerogativa, ut ad Divinae Oeconomiae Principem, in Sacris transfertur. Qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, hic est Deus, ut in Symbolo Apostolico confitemur. *Essentia* non est Pater Domini nostri Jesu Christi; nam etiam Sophistarum assertione sterilis est. Quare, extra Deum Patrem, Filiumque ejus vnigenitum ac Spiritum Sanctum, nullus Deus fingi debet, sicuti nec potest.

Propositio Quinta.

Vnum Deum, Patrem esse Domini nostri Jesu Christi, dicimus Altissimum, ex quo omnia; & solum, qui a se ipso est; & Principium Divinitatis absque Principio.

Limitatio.

Concedimus Deum Patrem a se ipso esse, Deum ingentum; Filium autem non a se ipso, sed a Patre esse, quatenus est Filius, Deus genitus a Patre. Et vnus eiusdemque Diuinitatis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vt in prima Propositione dictum est.

Sententia Synodalis.

Vnum illum Deum Altissimum, Patrem esse Domini nostri Jesu Christi confitemur, & hunc esse ex quo sunt omnia, eundemque esse Deum a se ipso: Filium autem non a se ipso Deum; sed vt est verus Deus, a Deo suo Patre esse, quum aeternus Pater sit fons & author Divinitatis Filii & Spiritus Sancti.

Antithesis Propositionis Quintae.

Vnum Deum qui aliud quidpiam esse volunt a Patre, quique virgulam in *Symbols*
in-

inter Deum & Patrem, vt illos distinguant, addunt; meros esse Sophistas censemus. Deteriores autem illos, qui dicunt, in *Oratione Dominica* sub nomine Patris totam Trinitatem comprehendi.

Limitatio.

Docemus Deum verum non esse solitari-um, sed semper esse cum Filio & Spiritu Sancto vnus Diuinitatis, vt dicitur: *Ego non sum solus, sed Pater mecum est.*

Sententia Synodalis.

Vocabulum *Vnus*, in Principio *Symboli Apostolici*, ad solum Deum Patrem referri, quemadmodum & exordium *Orationis Dominicae*, iudicamus, propter praedictas praerogatiuae Patris rationes: salua tamen interim semper manente Gloriam, ac Diuina Majestate Filii & Spiritus Sancti. Quibus Patris Monarchica dignitatis praerogatiua nihil prorsus derogat, quemadmodum supra quoque significauimus.

Propositio Sexta. De Aoyu.

Vnum *Aoyu* Dei Sapientiam esse, ante omnia tempora Saecularia ex ore Altissimi

prodeuntem, per quem omnia facta sunt; Deum de Deo, in Myſterio genitum ante omnia ſaecula, confitemur. Vt recte dicamus: *Deus Deum genuit.*

Limitatio.

Concedimus *Aoyov* eſſe Dei Sapientiam & characterem hypotaſeos Dei, ante omnia tempora apud Deum in Myſterio genitum, & coram Deo ſubſiſtentem. Non autem concedimus *Aoyov* eſſe aliquam euanidam virtutem vel prolationem. Quia eſt in forma Dei ſubſiſtens, habens in ſe ipſo vitam. Eſt itaque character hypotaſeos Dei, verus Deus & vita aeterna.

Sententia Synodalia.

Propoſitioni Sextae, ſimul cum Limitatione Fratrum in *Hungaria*, per omnia ſubſcribimus.

Antithetiſis Propoſitionis Sextae.

Qui dicunt *Aoyov*, quatenus eſt *Perſona*, diſtingui; quatenus vero *Eſſentia*, non diſtingui; & quatenus *Perſona*, Filium eſſe; quatenus *Eſſentia*, ingentam & a ſe ipſo: ſe ipſos implicent; & duos *Sermones* non obſcure introducant. Li-

Limitatio.

Docemus *Λογον* vere *hypoſtaticę*, i. e. *ſubſtantialiter* diſtingui, & quod ſit exiſtens Deus verus de Deo vero proprie; quatenus autem Filius eſt *lehoua*, dicimus eſſe Principium de Principio, nec ſeparari, nec diuelli a Patre, quum ſit vnus eiſdemque Diuinitatis.

Sententia Synodalis.

Quum Sacrae Litterae, quae ſunt Verbum Dei, unum *Λογον* Dei nobis proponant; ideo neque nos duos credere poſſumus, neque inter *Perſonam* & *Effentiam* hujus *Sermonis* Dei diſtinguere. *Effentiam* enim nullam abſolute per ſe conſideramus, ſed in ipſa *Sermonis hypoſtaſi*. *Λογον* igitur credimus ſuam exiſtentiam *hypoſtaticam* in vna Diuinitate Patris habere, Deumque verum de Deo vero eſſe: neque tamen a Deo diuulſum aut ſeparatum, quum in vna ſit Diuinitatis forma, Patri aequalis.

Propoſitio Septima, de Incarnatione.

Λογον corporatum fuiſſe nouiſſimis temporibus, & Deum manifeſtatum in carne credimus; quomodo autem iſtud ſit, ignoramus. *Λογον* itaque corporatum vnicum eſſe

Filium Dei dicimus, & qui omnia operatur, non quatenus hoc vel illud, sed quatenus est vnicus Dei Filius.

Limitatio.

Concedimus solum *Λογος* esse carnem factum, aut Deum in carne manifestatum, vel subsistentem in forma Dei assumisise formam serui; & non Patrem neque S. Sanctum.

Sententia Synodalis.

Λογος carnem factum esse, cum Joanne Evangelista confitemur. Quum vero ipse Paulus tantis donorum diuinorum cumulis perdonatus; hoc *Mysterium* Dei magnum esse exclamet; neque nos temere quidpiam de modo *Mysterii* huius pronuntiare volumus. Sed pleniorē huius *Mysterii* enucleationem in futuram illam coelestem Academiam reservare. Sufficit nobis, Deum fuisse in Christo, Deumque manifestatum in carne. Et licet solus *Λογος* caro factus sit: tamen non pars aliqua Dei, sed totus Deus fuit ac est in Christo, in Christoque est manifestatus, in quo; & eodem solo etiam Deus quaeri debet. Nam extra Christum egressi, non nisi cerebri nostri figmenta apprehendimus.

Propositio Octava.

De Spiritu Sancto confitemur, quod sit Deus, & quod procedat a Patre & Filio.

Limitatio.

Concedimus quod Spiritus S. fit Deus Jehovah, aequalis Patri & Filio, & quod ab utroque procedat.

Antithesis Propositionis VIII.

A veritate abesse censemus, qui asserunt, quod Spiritus S. fit proprietas, relatio, *Persona* seu individuum; quum sit Spiritus Dei Patris & Filii. Detestamur praeterea Sophisticam omnem & peregrinam doctrinam, profanasque vocum inanitates, seu nouitates omnes in hoc Articulo.

Limitatio.

Detestamur & nos profanas vocum inanitates, a rebus dissentientes, & pugnantes cum veritate.

Sententia Synodalis:

De Spiritu Sancto confitemur secundum Scripturas Sacras, quod sit Deus procedens a Patre & Filio, qui quum sit Spiritus utrumque, suam existentiam habens; ideo Patri & Filio aequalem credimus, per quem
T 5 fan.

sanctificamur & obfirmamur ad aeternae vitae ac beatitudinis haereditatem.

F I N I S.

Exstat hic Liber Typis eodem Anno MDLXVI. descriptus. Apparet, *Blandratav* nondum tunc aperto Marte pugnare voluisse; sed dubitationem in multorum animis excitare, & dissensiones disseminare laboravisse. *Sententiam Synodalem* dixerunt Seniores illi, qui *Catechesin* antea Regi obtulerant. Qui si videantur hic, loquendi modos ab Ecclesia receptos, veluti *Essentia*, *Persona* &c. deseruisse; factum est inde, quoniam non satis adhuc fallacias Aduersariorum aduerterant, qui videbantur scrupulos habere circa loquendi modos, non vero rem ipsam; hi vero de verbis litigare volebant, si res eadem teneretur. At vero ubi aduerterunt scopum eorum; (vti ex sequentium annorum Disputationibus palam est) phrasas, iam diu ab Ecclesia vsurpatas retinuerunt & ipsi, quibus Adversarios e caretis suis protrahebant, ne ibi, cum pernicie aliorum delitescere possent.

S E C T I O I I I .

Inuitationes Orthodoxorum ad Synodos Szikszouiensem, Debrecinensem. Synodi Debrecinensium, Cassouiae, Patakini celebratas
A. MDLXVII. §. 5. 6.

§. 5. PETRUS MELIUS quoque, quem tanquam *Athanasium* aduersus *Arium*, opportuno tempore Deus excitauerat, aduersus *Anti-Trinitarios* in *Transylvania* orientes, nihil intermisit eorum, quae ad officia boni *Episcopi* peragenda faciunt. Synodum indicit Anno MDLXVII. *Szikszouiae* mense *Januario* celebrandam; at ea impedita, conuocauit *Debrecinum* ad 2^{um} *Februarii*. *Epistola* Conuocatoria ad Synodum *Debrecinensem* haec est:

Gratia & Pax a Deo Patre, & Dominò nostro Iesu Christo, & a Spiritu Sancto Claritatibus uestris multiplicentur. Amen.

Incidimus in illa tempora periculosa, quae certissime futura Spiritus S. praedixit: In postremis inquit, temporibus; discedent: quidam a fide; attendentes Spiritibus errantibus; & daemones daemoniorum; & astutorum in hypocrisis
 fal.

290 Histor Vnitar. P. I. Cap. I. Sect. II

falsa loquentium. Erunt enim homines sui amantes, sibi placentes & sapientes, superbi, vana gloriae cupidi, contentiosi. Ex contentione igitur διχονομία, hinc schismata, ex his tandem pestiferae haereses, vt Apostolus 1 Tim IV: 1. & 2 Tim. III: 2 - 5. ordine describit Haec enim, non solum Historiae veterum sacrae & catholicae, vt *Ebionis, Cerinthi, P. Samosatani, Sabellii, Arit, Nestorii, Eutychetis, Pelagiorum, Manichaeorum* haereses, natae ex superba contentione, sed quotidiana experientia docet; quam periculosa, & fomes omnium malorum sit *πενδοξία επιθμία*, & Diabolica contentio; quam variae sectae & in Regno Anti-Christi ex calumniosa & superba disceptatione inductae sunt. Nec mirum haec mala a Diabolo, sic in *Ecclēsia* a superbis ingeniis excitari. Nam sicut Sathanas ex voluntaria superbia, desertione sui ordinis, contemnendo Veritatem diuinam, (quod peccatum contra Spiritum S. seu ad mortem est) lapsus est: ita, ceu laqueo, & nunc superba ingenia, vel instar belluae & Typhonis inflatos, per contentionem & nouae Gloriae cupiditatem capit & excoecat. Vnde igitur, & haereses, sectas & scandala fieri oportet. Causis enim necessario praecedentibus & factis, effectus sequi necessario oportet. Superbiae, contentionis, & dissensionis semen innatum est superbis

bis ingeniis, quod tanquam fomes, ignitis Satanae telis accenditur. Hoc modo & ordine in *Serueto*, *V. Gentili*, *Gregorio Pauli*, *Blandrata*, & *Francisco Davidis* Satanas $\pi \chi \omega \theta \alpha \iota \sigma \tau \omega \nu$, confuſionem multarum Haereſium, *Ebionis*, *P. Samofatani*, *Sabellii*, *Arii*, *Photini*, ſimul atque *Catabaptiſtarum*, negantium infantum Baptiſmum, excitauit. Quorum foedas & peſtiferas haereſes, ab initio in Eccleſia per Satanam excitatas, Dominus Spiritu oris ſui, & igne veritatis ſuae excuſit & extinxit. Imo & tragici exitus & horrenda mors *Cerintbi*, *Ebionis*, *Arii*, & ſimilium Haereticorum, clariffimo indicio & argumento eſt; illorum Haereſes fuiſſe diabolicas & pernicioſas. *Cerintbus* enim corruit in balneo; *Arius* medijs crepuit. *Seruetus cum Gentili* a Chriſtianiſ in cineres redacti ſunt. Nec dubitamus quin & horum ſcorpionum peſtiferæ proles, & viperarum genimina ſimiliter iuſto Dei Iudicio tragice corruant. Cum igitur videamus Haereticorum zizania quotidie accreſcere, & in coelo Eccleſiæ ceu faces aut cometas Haereticos ardere, precibus & Doctrina, Sacramque Litterarum præſidiis munitos nos his malis reſiſtere oportet.

Quia véro *Szikszouias* ad 6^{um} Januarii Fratrum Conuentum Satanas impediuit: nos *Debrecini* ad 2^{dum} Februarii, aut Purifica-

ficationis Mariæ diem conuenire oportet
 Vos itaque Fratres in Christo in reliquiis Hun-
 garie, vbicunque locorum Dominus Spiritu
 suo Ecclesie suae Pastores, Doctores & Mi-
 nistros praefecit; hortamur & petimus, vt
 ad Synodum iam, per circumstantias indi-
 ctam conueniatis. Moniri autem vos Sacra-
 rum Litterarum testimoniis oportet I. con-
 tra Sabellium, negantem tres in vno *Jehoua*
Hypostases aut *Personas*. II. contra *Arium*, ne-
 gantem tres esse vnum, aut *Filium* & *Spiri-*
tum Sanctum Patri ὁμοουσις, sed ὁμοουσις esse,
 identitatemque trium destruentem. III. con-
 tra *P. Samosatenum*, qui vnum solum verum
 Deum εὐποσαν, οὐκ ὑπαρχοντα, *Hypostasin*
 & in se subsistentem *Personam*, aut αερο-
 πον, solum Patrem esse nugatur; Λογον vero
 & Spiritum Sanctum, aut το ἄγιον πνεῦμα,
 ενεργειας, δυναμεις, *Potentias Virtutesque substan-*
tiales vel essentielles, quidam in Patre esse nu-
 gantur, (vt in Anima mens & voluntas par-
 tes substantiales sunt) sed εν ὑποστατι ὑφιστα-
 μεν προσοπι, seu, *Personae in se ipso*; id est,
 quod non sint *Hypostases* aut *Personae*: cum
Job. I. 5, 8, 10, 17. Phil. II. Hebr. I. contra-
 rium doceatur. Idem cum *Sabellio*, *Seructo*,
Luca Agriensi negant, Λογον ab aeterno ante
 omnia, ex *Hypostasi Patris* genitum, aut *Fi-*
lium Dei fuisse *Jehouatitatis* suae respectu,
 sed tantum carnis suae intuitu: item, *Spiri-*
sum

tum Sanctum a Patre Personaliter aut Hypostatice processisse; sed tantum *κατα δυναμιν καὶ ἐνεργειαν* variarum Dei Patris dispensationum. Vnde Deus Pater ab aeterno fuit, non genuit; neque Christus ab aeterno, *τῷ Λόγῳ* respectu, conceptus, genitus, nec Filius fuit: cum *Prov. III: Eccl. I: 24. Sap. VII: 8, 9. Col. 1: 15, 16. Hebr. I: 7. Job. I: 5, 8, 10, 17.* his phrasibus, *Sermo caro factus est*, & huius (Sermonis) gloriam (Maiestatem diuinam) vidimus *ὡς μονογενης ὡς τὸ πατρὸς*, contrarium doceatur. Caro enim a Matre vnigenita est, non a Patre. IV. *Contra Pbotinum, Arium, Macedonium*, qui Christi & Spiritus Sancti Diuinitatem impie denegarunt. Contra quas Haereses Propositiones nostras editas, conuocatoriis hisce Litteris adiunximus. *Aduersarios autem in Transyluania compellimus, ut compareant. Nam nos iam saepius ingressi, ut proxime Anno 1566, 26, 27. Aprilis, ex eloquio Domini Haereses eorum confutauimus, vnde & nobis subscribere coacti sunt, sicut eorum Chirographa contestantur. Si autem ad lucem venire noluerint, manifeste opera Haeresesque eorum in tenebris, in Regno Satanae nata, confitebimur & agnoscemus. Valere diu Clarissimas Vestras Dinationes in Domino volumus. Datum in Coetu Fratrum, Váradini 14. Decembris. Anno Domini 1567.*

*Seniores Ecclesiarum Domini in reliquiis
-Hungariae dissipatis. (*) §. VI.*

(*) *Historia Reformationis pag. 176.*

§. VI. Conuocatoria ista & similes *Blancratae* non placebant; qui etsi publice Synodos optare videretur; nihil magis reformidabat, quam in aperta omnium luce ad examen reuocari & in censuram exponi. Affingit igitur *P. Melio*, in hunc solum finem ad Synodum *Debrecinum* se vocari, vt interceptus, Germanis tradatur e medio tollendus. Ita in Litteris ad Ecclesias *Minoris Poloniae* Anno 1568. 27. Ianuarii *Segesváro* datis queritur: *Misit Petrus ille Melius Pastor Debrecinensis Conuocatorias ad Synodum, indictam per suos Debrecini, cum Thesis disputandis. Id vero vaser Impostor habita intelligentia cum Germanis quo nos captiuarent, ex professo fecit, qui & nuper per Lazarum Svendi, iusserat in carcerem conici Dominum Lucam Agriensem, Pastorum omnium eruditissimum fratrem nostrum, qui tametsi rem totam ad unguem non teneat; disputabat, ad mortem usque paratus subeundam, Verbum ante carnem, Filium Dei, nisi in Praedestinatione, nec dici, nec esse posse, nunc audimus saluum utique euasisse, sed proscriptum. Hic Melius nos omnes, non secus atque Beza, in epistola praeliminari traducit & conuitiis laceffit, animaduertersque nos eo venire nulla ratione posse, iactando in fine habet: Si illi ad nos non venerint, omnibus constabit, homines esse, qui lucem fugiant, & malam defendant causam. (*)* Ha.

(*) S Lubieniecii Historia Reformationis Polonicae pag. 229,

Habuerunt ergo Synodos in *Hungaria* varias, *Debrecini*, *Szikszoüiae* anno sequenti, cuius doctissimas Propositiones, fidem & Doctrinam Reformatörum complectentes exhibet Historia Reformationis; (*) *Cassouiae*, cuius Acta vberime congesta, Confessio *Anti-Trinitariis Transylvanis* opposita, & examen propositionum *Lucae Agriensis* Pastoris *Vnguariensis*, qui in Doctrina de SS. Trinitate Heterodoxiam docere deprehensus, Synodi concluso damnatus, iussu vero *Lazari Svendi*, Generalis *Cassouiensis* incarceratus est, videri possunt itidem in Historia Reformationis. (**) Cum uero *Blandrata* hunc *Lucam* tanquam Homodoxum sibi laudet; ex verbis eius ad Ministros Reformatos datis videri eius mens & scopus potest, qui ita sentit. *Notum est Domino nostro Iesu Christo, me nihil aliud quaesuisse, etiamsi deceptus sim in bono proposito, dum incautus sum secutus Auctoritatem Augustini & Nicephori ex Veteribus, ex Neotericis autem Wolfgangi Musculi, Buceri, Philippi Melanchtonis & similibus; nihil inquam me fuisse molitum, quam ut Haereticis Transylvanis, Orthodoxae Fidei Aduersa-*

(*) Lampe Historia Reformationis in *Hungar. & Transylu.* editae Traiecti 1728. in 4to. pag. 180—187.

(**) Ibidem pag. 187 — 215.

296 P. Bod, Historia Vnitariorum,

*sariis ex citatorum Auâtorum scriptis obuiam ire
possem, eorumque pestilentissimas & blasphemar
calumnias opprimere, & concordiam Ecclesiae per
illos conuulsam, ceu fidelis Ecclesiae ciuis, pro
mea virili parte sanare contenderem. (*)* Cele-
brata etiam eodem anno Synodus Patakini,
omnes in hunc finem conuocatae, vt se suos-
que aduersus errores & Haereticos *Transylua-
nes* confirmarent, qui *Articulum fidei de Tri-
nitate* & illi annexos iam propalam disputa-
bant, & dubiam, imo falsam reddere plenis
velis contendebant.

C A P V T II.

DE DISPVTATIONE ALBANA.

A. MDLXVIII. 3 Martii.

S E C T I O I.

*Indicitur Synodus a Rege IOANNE II. Con-
stitutiones & Arbitri Disputationis; a parte
tam Reformatorum, quam Vnita-
riorum §. VII.*

§. VII. IOANNES II. Electus Hungariae
Rex,

(*) Lampe Historia Reformationis pag. 216.

Rex, Transyluaniae Princeps, vt in Religionē certi aliquid determinarent, turbas orientes sedarent, Anno 1568. ad diem 3^{um} Martii *Alban. Iuliam* (hodie *Alba Carolina, Weissenburg*) Synodum conuocauit, vbi Ministri doctiores & Proceres iudicium ferrent. Promittebat *Blandrata* Regi, se, veritatem Doctrinae suae publice demonstraturum; at euentus promisso non respondit. Est ad manus ingens volumen, Disputationem Albanam complectens; a *Francisco Davidis* eodem anno ex Amanuensium scriptis editum, cuius Titulus sequens est: *Brevis Exarratio Disputationis Albanae de Deo Trino & Christo duplici, coram Serenissimo Principe & tota Ecclesia decem diebus habita. Anno Domini MDLXVIII. 3. Martii. Excusum Albae Iuliae apud Viduam Rphaelis Hoffhalteri, Anno MDLXVIII.* Deptomam hinc Conditiones vtriusque partis, quas à Principe exorabant, sibi que inuicem, vt collatio maiori cum fructu fieret, proponebant. Ita ergo incipit:

Prima Actio, de Conditionibus & Arbitris.

Conditiones Ministrorum Ecclesiarum in Hungaria & Transyluania, qui Catholicam Doctrinam de Deo profitentur ac tenent, pro Disputatione, quae ea iusto modo & ordine peragi queat.

I. Cum in Ecclesia cuncta ad aedificationem fieri debeant, nequaquam Disputationes & colloquia inordinate institui debent, ne ex illis mali plus, quam boni ad Ecclesiam redeat; cumque duorum Procuratorum litigatio contraria, sine ordinariis & legitimis Iudicibus, non nisi inanis quaedam pugna, linguarumque executio sit frustranea: ideo humiliter supplicamus Maestati Regiae, vt Domino & Patrono *Clementissimo*, quo mandato ipsius, ex vtrisque Nationibus, tam *Hungarica* quam *Saxonica*, iusto & certo numero Arbitri constituantur, qui singulos disputatos Articulos consequenter examinent, & de singulis conscientiose pronuntient.

II. Cum vero ante biennium post Disputationem *Albensem* in dimissione, & nunc in Litteris Conuocatoriis Principis Serenissimi perstringamur, quasi non puro Dei verbo seu S. Scripturae testimoniis, verum Patrum tantum doctrinis nitamur: sollenniter coram Maestate Regia protestamur, nos primum ex pura S. Scriptura disputaturos, atque ex ejus consensu, & consonantia antecedentium & consequentium veram Interpretationem sumturos. *Deinde*, ex Apostolico, & reliquis Ecclesiarum Symbolis. *Tertio* ex testificatione Doctorum Ecclesiasticorum continua, cum Scriptum sit: *Interroga Pa-*

tres tuos, & ipsi dicent tibi. Quarto, ex perspicuis scriptis Clarissimorum & Doctissimorum Virorum, quorum opera, in hac mundi senecta, Deus ad veritatem Evangelii patefaciendam vsus est in multis Christiani orbis Regionibus, quae animas suas pro testamento Domini posuerunt.

III. Quando vero partis aduersae mores, & in disputando consuetudo nota sit, quod nunc dilationibus, nunc importunis interpellationibus, nunc cauillis & captiosis quaestionibus subterfugium quaerant: ideo Principi *Clementissimo* supplicamus, vt partem aduersam serio praecepto ad simplicem modestiam, verumque ac vtilem ordinem cogat, quo categorice, sine subterfugiis ad obiecta & simplicia Argumenta respondeant; responso autem dato, locum dicendi Catholicis concedant, ne interpellationis importunitas Disputantem a vero proposito & a vero scopo auertat

IV. Cum autem Deus ipse mandet, vt honore inuicem praeueniamus: Maiestati Regiae, vt Domino *Clementissimo*, vera Animorum submissione supplicamus, quo Partibus piam honestatem & modestiam mandare dignetur, ne quispiam temeraria licentia in disputando choleram suam in partem aduersam exspirare, aut verbis eam contumeliosis afficere praesumat.

V. Quoniam etiam testimoniorum citatione inuersa saepe falli solent incauti: ideo supplicamus Maiestati Regiae, quo subordinare dignetur, vt ex Libris Authenticis, & Linguis, quibus Spiritus Sanctus in publicanda sua veritate vsus est, cuncta testimonia perlegantur, ad iudicii rectitudinem formandam.

VI. Cum denique omnia ad rectam institutionem fieri, & ad Ecclesiarum aedificationem ac consolationem publicari debeant: Scribas bonarum conscientiarum & optimae fidei collocari cupimus, qui omnia argumenta, cum aliis necessariis fideliter annotent & excipiant.

VII. Cum porro Regia Maiestas, Pnceps noster *Clementissimus*, supremus Magistratus sit harum Regionum, eidemque tabularum Dei custodia sit a Deo commissa; de partis victae poena nihil decreuimus, verum hanc ipsius sapientissimo iudicio permitimus.

VIII. Ne vero causae catholicae, quam profitemur, diffidere videamur: tuto etiam ad iudicia piarum Academicarum in omnibus Christiani orbis Regionibus prouocamus.

*Responſio Miniſtrorum Profeſſionis Euan-
gelicae (Vnitariae) ad Conditiones pro-
poſitas Catholicorum (Reformatorum.)*

Sereniſſime Princeps Domine Domine No-
bis Clementiſſime! Vidimus aduerſae partis
conditiones, quae quidem ab illis nobis pro-
poni non potuiſſent, cum a Nobis vocati
ſint ad diſputationem. Verum vt modestia
noſtra nota ſit & illis, & aliis omnibus;
quaecunq; ex eorum Conditionibus. Verbo
Dei non ſunt contrariae, & aedificationi
Eccleſiae ſeruiunt, libenter admittemus.

Primam, Conditionem, quamvis duram le-
gem nobis praefcribit, nihilominus tamen
eam admittimus, ſi ex noſtris tot numero
admittentur Arbitri, quot illorum deligentur
a Maieſtate Veſtra Regia: interim, cum Do-
mini *Hungari & Saxones* in plerisque articu-
lis diſſentiant, miramur, cur eos Arbitros
adhibeant in hac Cauſa.

Secundo, Interpretationem citatorum testi-
moniorum ex antecedentibus & conſequen-
tibus, item ex aliis S. Sacrae testimoniis ad-
mittimus; Symbola vero, quatenus conſen-
tiunt Verbo Dei, extra illud nulli nos ſub-
iicimus, ſcimus enim, cuius ſumus Diſci-
puli.

Tertio. Subterfugia & dilationes nullas
V 4 quac-

quaerimus; & cum omnis disputatio versetur in quaestione & responsione; vt veritas pateat, omnino sine quaestionibus transigi posse disputationem, nequaquam speramus. Et quia aduersarii quaestiones, admittere nolunt; ipsos subterfugia quaerere, manifestum est.

Quartam, per omnia admittimus, & nostram modestiam pollicemur, etiamsi aduersa pars intra metas legis huius non se contineat.

Quintam quoque Conditionem admittimus, vt testimonia legantur ex ipso Codice Biblico & Versione Latina, quamcunque magis purgatam aduersa quoque pars fatebitur esse.

Sextam Conditionem & nos iustam & legitimam esse fatemur.

Septimam, cum ex Verbo Dei desumpta sit, & inflicto poenarum ad Magistratum pertineat, admittimus; hac tamen Conditione, quod si aduersa pars victa fuerit, supplicamus Serenissimo Principi humiliter, ne puniantur, imo omni honore afficiantur, quia vult Deus vt conuertatur peccator & viuat. Si vero nos victi fuerimus, faciat S. M. pro suo arbitrio.

Octauam Conditionem de prouocatione ad Iudicium Academicarum, admittere non possumus. Nam & ipsi aduersarii in causa Sacrae Coenae hanc Conditionem reiecerunt,
&

& cum vnus sit Magister & Pater noster, contra Christi mandatum cur haec postulantur, non videmus. In hunc sensum datis Litteris & acceptis, tandem de Conditione Disputationis inter Partes conuentum est.

S E C T I O I I .

Disputatio per X. Dies continuata, eiusque exitus. §. VIII.

§. VIII. Disputatio habita est per X. dies *Albae Iuliae* in palatio maiori, praesente Rege Serenissimo, & cunctis Aulae Proceribus. Nouatorum, SS. Trinitatem negantium antesignanus erat FRANCISCVS DAVIDIS; ad latus dextrum habens Doctorem *G. Blandratam*, quibus adiuncti fuerant *Paulus Iulanus* Rector Scholae Albensis, *Stephanus Basili* Praedicator Hungarorum *Kolofuáriensium*, qui *Wittembergae* sanae Doctrinae fundamenta iecerat, reuersus vero in patriam, fidem & Religionem abiecerat, & *Demetrius Hunyadi*. A parte vero Catholicam Religionem profitentium agmen ducebat PETRVS MELIVS, Pastor Ecclesiae *Dobrecinae*, Ecclesiarumque Reformatarum in *Hungaria* Superintendens, ei assistebat *Georgius Tzegledi* Pastor *Wáradienfis*, *Andreas Sándor* Pastor *Dévaionfis*, *Paulus Turi* Pastor *Bibariensfis*, *Laurentius Klein* Pastor

stor Ecclesiae *Bistricionfis*, *Pétrus Kárádi* Rector Scholae *Wáradienfis*. Postquam confesum est, collati sunt vtrisque a Rege Arbitri, ex parte catholicae veritatis Defensorum, *Matthias Hebler*, *Sebastianus Károlí*, *Caspar Heltai* & *Nicolaus Insulanus*; ex parte vero Nouatorum; *Ludouicus Szegedi*, *Nicolaus Stárius*, & *Paulus Kárádi*.

Disputationem cum feruore orsi, decem dies non modestius continuarunt, & sine omni, qui in Ecclesiam Christi redundaret, fructu clausurunt. *Blandrata* ipse, qui actus huius follis & fomes apud Regem fuerat, non eadem, qua ceperat alacritate & promptitudine, vsque ad finem fuit. Cum enim *quarto die a Tzeglédio*, quem pridie ipse prouocauerat, stringeretur: postquam cogitatus diu tacens haesisset & Auditorium mire suspendisset, tandem respondit, *se non esse Theologum, sed Medicum*. Quare a Catholicis Arbitris grauiter obiurgatus est; quod sua professione non contentus, rebus iis se immisceret, quarum perfectam cognitionem non haberet. Nec auspiciator ipsi *sextus dies* fuit; a Magnifico enim Viro *Casparo Békés* inconstantiae palam in os arguebatur, eo quod teste Rege & tota Aula, aliter a tribus ante actis annis in Aula docuisset, ac tunc respondisset. Et cum antea se Doctorem esse *Corporis* & *Animae*, saepe iacta-

iactasset, *nono die* eo adactus est, vt in haec verba, de causa sua desperabundus, prorumperet: *Quod ad me vero attinet. Ego nec scio, nec possum illud explicare, raucedine enim laboro. Neque ego sum Doctor Theologiae, sed Medicinae.* Quo responso illustri Auditorio risum mouit, & Acta eius diei inglorius clausit. (*) Ita *Franciscus Páriz Pápai* summam Disputationis, ex *Disputatione Albana*, tunc per *Casparum Heltai* edita, exhibuit.

Renouarunt eodem anno Conclusum, quod primum Anno 1557. in *Diaeta Tordae* ediderant, ac Anno 1563. a Regni Ordinibus confirmatum erat in negotio Religionis; *Vt quisque eam, quam mauult, Religionem amplectatur, sine omni coactione, & in alendis suae fidei Concionatoribus & vsu Sacramentorum quisque liber sit, & neutra partium cum altera iniuriis aut vi certare debeat.* (**) Imo diuersae Religiones inter se inierunt *unionem*, quod ratione Religionis se inuicem turbare & odio prosequi nollent. (***) Ex qua *Vnione* dicti sunt

(*) Fr. Pápai in *Rudere Rediuuo* ad Ann. 1568. Caspar Heltai in *Disputatione Albana*.

(**) Sigler in *Chronologia*, pag. 87. Cf. *Approbat. Constitut. Part. III. Tit. I.*

(***) *Steph. Katona Gelei* Concionator Aulicus Principis Apafi I. in *Dedicatione operis Hungarici, Vnitaris oppositi, cui Titulus est, Títok Títka. i. e. Mysteriorum Mysterium.*

306 P. Bod, Historia Vnitariorum,

sunt *Vniti* vel *Vnitarii*; tales nimirum, qui aequali cum caeteris iure, qui alterius essent Religionis, Regnum incolere possent, quibuscum *vnitam*, vel *vnam* efficerent Rempubli-
cam. Adhaesit denominationi iis, qui Patrem solum verum & aeternum confiterentur, vltro etiam illis eam admittentibus; illi vero, qui tres *Personas* in vna *Essentia* asser-
ebant, ex aduerso, *Trinitarii* sunt dicti.

Ad hanc *Vnionem* ineundam tam *Reformatos*, quam *Anti-Trinitarios* variae com-
pellebant causae. *Reformati* obseruabant, in dies clam palamue Aduersariorum nume-
rum augeri; tum 1) quia Ratio corrupta libenter excusationes in defectibus sibi quae-
rere niteretur, & magis ad ea admittenda inclinaret, vbi mysteria non videt, suaeque ca-
pacitate exhaurire valet; tum 2) quia ex consilio *Blandratae* Rex, (etsi palam non-
dum profiteretur eam Haeresin) promouebat ad officia faciles in Religione, qui tole-
rantiam opinionum vrgebant, imo ad nu-
tum Principis inclinabant. Hi turbas facere non uidebantur: ergo officia & donaria fa-
cilis auferebant. 3) quia in Religione con-
stantes & immotos, requisitus per supplices libellos de negotiis suis occurrentibus, raro bonis consolabatur responsis, raro ad officia promouebat publica. Ab altera parte abne-
gantes SS. Trinitatem 1) metuebant de bre-
ui

ui imminente mutatione, cum Rex tenerae admodum esset valetudinis. 2) Tota *Hungaria* sequebatur Religionem *Reformatam*, & succurrebat subinde *Reformatis* in *Transylvania*. 3) Quia vbique Réligio *Anti-Trinitariorum* in omnium erat odio, nec admit-tenda Christianis, imo qui eam sequebantur, numero Christianorum excludendi censebantur. Vtraque igitur pars fonticas habuit rationes, *Vnionem* conficiendi atque admittendi.

C A P V T III.

DE DISPUTATIONE WARADIENSI

VI. *Dierum. A. MDLXIX. 10. Octo-
bris incboata.*

S E C T I O. I.

FRANCISCI DAVIDIS *Litterae Conuoca-
toriae ad Synodum Waradiensem, eiusque
IX. Propositiones disputandae. §. IX.*

§. IX. Pax in Religione nondum erat, multorumque animi spinis tricisque huma-nae ratiocinationis implicati, dubii & inquieti haerebant. Placuit ergo materias contro-uerfas rursus Disputationi subicere, si fieri posset, peremptorie, *Waradini* Anno 1569. quo iussu Principis Ecclesiarum Mînistri con-uocati sunt ad diem 10. Octobris. Epistola con-

Conuocatoria per *Franciscum Davidis* Superintendentem *Unitariorum* emissa, haec est:

A Deo Patre, per Iesum Christum, illuminationis & verae sapientiae Spiritum precamur, omnibus Filii Dei electis, & fidelibus Christianis.

Deus aeternus, Pater noster Coelestis, qui cordium omnium videt & intelligit secreta, nobis testis est, quod admonitionem Apostoli in nostra vocatione libentes admodum sequeremur, ut videlicet, pugnae verborum vitarentur, nisi nos aduersae partis clamores & conuitia ad id ipsum cogerent. Cogimur itaque cum illis iterum congregari, propter causas subsequentes; *Primo*, omnibus notum est, quod Doctores & Ministri *Hungarici*, fratres nostri, non solum nos ipsos, sed etiam veritatem Dei, quam nos profiteamur, variis modis traducunt, ad quam propugnandam & confirmandam obstricti sumus. *Deinde*, si qui reperiuntur ex Ministris, qui in conscientia conuicti de veritate Doctrinae, quam per nos Deus manifestauit, eam sequuntur, non solum contra Regni instituta illos damnant, & e loco pellunt; sed etiam cogunt, ut contra conscientiam veritatem abnegent. Unde varia scandala oriuntur, dissidia & tumultus contra Christianam & fraternam charitatem. *Tertio*, cum fratres nostros iuxta votum piorum,

rum, quod ad officium docendi, ad ipsos
emittimus, non solum conuitiis impetunt,
& ad certamina singularia vocant; sed eti-
am a sermone & veritatis defensione arcent,
& miro artificio excogitati rumores spar-
gantur de victoria, & confusione nostrorum,
vnde multi, & praesertim qui in veritate
doctrinae confirmati non sunt, offenduntur.
Hos non confirmare & non consolari, esset
grande peccatum, & coram Deo, & coram
Hominibus. *Ultimo*, multi pii Deum timen-
tes, qui propter hos tumultus in cordibus
sauciati sunt, & scripta nostra legere nesci-
unt, expetunt, vt Lingua *Hungarica* Dispu-
tatio certo in loco instituat, vbi Articuli
praecipui, de quibus hoc tempore Contro-
uersia mota est, repetantur, ex Verbo exa-
minentur & comprobentur. Credimus au-
tem, quod omnes pii Deum timentes, ex
causis recitatis agnoscant, nos aliud facere
non posse, quam vt simplicitatem Doctri-
nae, quam haecenus docuimus, defendamus
eius praesidio, qui promisit, se ex ore in-
fantum perfecturum suam laudem. Itaque
Articulos nostrae Confessionis, Propositioni-
bus breuibus ad disputandum complexi su-
mus, edidimus & vobis misimus, vt vos Mi-
nistri, iuxta dignitatem vocationis vestrae, pro
Gloria Dei eiusque Filii, ad praefixum diem,
np. 10^{mo} *Octobris* *Váradini* compareatis. Et quia
multi

multi ex vobis nos accusant, quod Doctrina, quam docemus, vera non sit: ostendatur ex Sacris Litteris, in quo erramus. Nos enim puritatem Verbi Dei amamus, & illud tantum sequi volumus. Deus Pacis & Consolationis, Pater Domini nostri Iesu Christi dirigat per Spiritum suum nos omnes, vt eum recte agnoscamus, & in omni veritate ei obtemperemus, in suo Filio Iesu Christo Domino nostro. Amen.

*Franciscus Davidis seruus Ecclesiae I.
Christi crucifixi, cum Ministris Fide-
libus in Transyluania*

Propositiones Francisci Davidis.

I) *Trinitas*, quam Romanus Pontifex confitentur, non est *Trinitas*, sed *quaternitas*, & Doctrina extra Verbum Dei excogitata. Imo potius non *quaternitatem*, sed *quintitatem* confitentur, nempe: *quatuor Deos*; vnam *Essentiam*, quae Deus est, tres Personas, quarum quaelibet Deus sit; & vnum *Hominem*, *Christum*. (*) Nos vero iuxta Verbum Dei, vnum Deum confitemur, qui est Pater ille,

ex
(*) Hoc est tantum commentum, quod non nisi in cerebro Consequentiarum existit. An non SS. Trinitatem cum omnibus Christianis Romana Ecclesia deuote adorat. ¶ singularium hominum opiniones toti Ecclesiae non sunt tribuendae.

ex quo & a quo sunt omnia, & qui est super omnia, qui Verbo sapientiae suae & Spiritu oris sui omnia creauit, extra hunc alius Deus non est, nec Trinus, nec quaternus, nec essentiatu, nec personatu; quia Sacrae Litterae Trinitatis Deorum nullam faciunt mentionem.

II) Vnus est Dei Filius Iesus Christus, Deus & Homo, non potest igitur esse, vel dici Primogenitus, vel Vnigenitus Dei, qui non sit Deus & Homo.

III) Non est in S. Litteris nominatu vsquam Filius Deus, qui vel ex *Essentia* Dei ab aeterno genitu, vel ab aeterno realiter subsistens fuisset, vel qui in Trinitate secunda fuisset *Persona*, qui e coelis descendens carnem sumisset. Ideo opiniones de eiusmodi *Personis* & incarnatione, tanquam humanum inuentum repudiamus.

IV) Aliu igitur Filiu Dei non est, praeter eum, qui ex Spiritu Sancto in vtero Virginis conceptu est, & natus, *Luc. I. Rom. I. Matth. XXII.*

V) Iesus Christus dicitur Deus & Homo, non propterea, quod sit Deus a se ipso existens; sed quia Pater plenitudinem suae Deitatis dederit illi, & communicauerit cum illo, & per suum Spiritum sibi ipsi genuit, sanctificauit, & in mundum misit.

VI) Aequalitatem Christi cum Patre non negamus, imo docemus, eam *scil.* quam Pater illi dederit, & in eo esse testificatus est, ita, vt Patre manente in sua eccellente dignitate & Principatu, non somniamus aliquam non datam aequalitatem tanquam genito Haeredi.

VII) Quod Filius Dei fuerit ab aeterno in ipsius Decreto & cognitione, non negamus; hac enim ratione omnia sunt praesentia illi: sed quod realiter ab aeterno natus fuisset; id, nec Deus ipse, nec Prophetae, nec Apostoli testantur.

VIII) Non fuit vnquam. Christus, vel Filius Dei, qui vel purus Homo, vel purus Deus fuisset; sed tunc cognitus est Christus Filius Dei esse, cum Angelus Mariae & Pastoribus id ipsum annuntiauit, qui secundum carnem declaratus est Filius esse Dauidis, in Spiritu autem Filius Dei & Dauidis, Dominus qui est vnicus ille Deus, a Deo supra consortes suos est in nostrum Mediatorem, Sacerdotem, Iudicem & Dominum ordinatus, in quo iuxta voluntatem Dei nostra spes & salus reposita est.

IX) Spiritus Sanctus non est Deus a se ipso existens, nec Personatus Deus in Trinitate; sed Spiritus Patris & Filii, *απαθον* & sigillum haereditatis nostrae, quem Pater abunde per Filium in nos effundit, vt Vir-
tus

tus eius viuifica in nobis reperiatur & agnoscat.

Argumenta his Propositionibus solidae opposita conferri possunt & legi in Lampii Historia Reformationis p. 230. 246.

§. X. *Litterae Orthodoxorum in Hungaria Ministrorum, ad Serenissimum Regem IOANNEM II. scriptae, & A. 1569. die 10. Octobris eidem Waradini exhibitae.*

Sacra Regia Maiestas, Domine & Patrone, nobis naturaliter *Clementissime!* Gratiam Dei, Pacem sempiternam, ac Throni Maiestatis Tuae stabilitatem, ad Gloriam Dei, & Patriae salutarem quietem, Maiestati Tuae Sacratissimae precantur, & obsequiorum suorum fidelitatem humillime commendant,

Exhibuit nobis Litteras Maiestatis Tuae Sacratissimae legendas Egregius Dominus *Gabriel Pekri*, Capitaneus arcis Maiestatis Tuae *Waradiensis*, in quibus dabatur a Maiestate Tua Sacratissima in mandatis ipsi Egregio Domino Capitaneo, vt singula exemplaria editarum Thesium, quas Dominus *Franciscus Davidis*, Maiestatis Tuae Concionator nuper conscripserat, *Nobis & Petro Melio*, fratribus ultra *Tibiscum* diuulgandas mitteret, eo quod praedictus Maiestatis Tuae Concionator *Waradini* de illis Disputationem insti-

tuere vellet. Hinc rumor inter omnes increbuit ordines, hic *Wáradini* generalem & vltimam de his Controuerfiis fore actionem. Et quamuis nec mandatum a Maieftate Tua super hac re viderimus; nec ipse Dominus *Franciscus* vllam authoritatem in Ecclesias Hungaricas, quae proprium, diuerfaeque Professionis Superintendentem vigore Litterarum Maieftatis Tuae agnoscunt, habeat: tamen ex Dominis familiaribus aulae Maieftatis Tuae subinde audimus, Maieftatem Tuam, Disputationem expectare & fieri velle. Nunc Maieftas Tua Sacratiffima dignetur cognoscere, supplices petimus. Nunquam hoítes Christi, & nostros aduersarios formidauimus, nunquam congressum detrectauimus; tametsi ipsum *Paulum* dissuasorem habeamus, qui post vná alteramque admonitionem Haereticos vitandos censet. Sed ne nunc quidem detrectabimus duce Christo, si citra iniuriam Partis nostrae actio procedat; imo pulchrum & gloriosum credimus, in hac causa tuenda vincere & pati. Testata haec fecimus aliquot longis itineribus, dum aduersarios sub lae priuato palantes, cum maxima difficultate, periculo, & dispendio in suo nido requisuimus. Testati sunt & ipsi de se, cum aduersarii a nobis e nido in apricum prouocati, Tyrones Scholasticos (vt olim Pharisaeorum Discipulos) emitterent. Summa igitur

tur rei sic se habet. Disputatio haec aut priuata & particularis, aut publica & generalis futura est. Differentes haec ab illa debet habere conditiones. Si Maiestas Tua Sacratissima uolet, ut nos, conuocatis vicinis, cum aduersariis congregiamur: obsequi debemus, cum propter authoritatem Maiestatis Tuae Sacratissimae; tum maxime propter Deum, cuius Spiritus nos immeritos in his Ecclesiis Pastores constituit, ut nobis & gregi attendamus, luposque ab ouili Christi arceamus. Quid autem de euentu & fine huius particularis Disputationis sperandum sit; certaminum priorum exitus facile docere possunt. Si uero publice & in generali Ecclesiarum *Hungaricarum* Synodo fuerit agendum, diuersus circumstantiarum modus & ordo requiritur.

Primum enim, si Doctor ille Gentium longo itinere *Iacobum* & alios *Hierosolymis* requirere non dubitauit, quorum opere non indigebat, ut consensum & ueritatem in doctrina coram omnibus assereret: multo aequius est, ut nos fratres nostros, praesertim qui ultra *Tibiscum* sunt, requiramus, quibuscum nobis vnus Deus, vna Religio, vna Fides, vnum Baptisma, vna denique est Patria; quo constat, non obstare Imperio diuersitatem, quo minus in causa Christi & Domini Redemptoris nostri, simul uiuamus, & simul moriamur.

Deinde tempus idoneum est praefigendum, ne vel leuitate accessus impediatur, vel importunitate publicum damnum accersatur.

Tertio, locus deligendus, in quo Pastores diuersarum ditionum comparere possint, quod citra *Saluum conductum* Aduersariorum Principum, *Christianorum* pariter & *Turcicorum* fieri nequit. (*)

Quarto, cum ad congressum contrariarum partium, Consensus vtrinque iure Gentium requiratur: non debet altera a se ipsa, citra cognitionem & consensum partis alterius de loco, tempore, ordine & conditionibus statuere.

Nunc

(*) Mortuo scil. Rege Hungariae *Ludouico*, *Ioannes Zapolya* I. Rex eligitur A. 1526. mox autem a magna Regni parte deseritur, *Ferdinandusque* Imperator coronatur A. 1527. Sed eodem anno, ope *Solymani Turcarum* Imperatoris, *Iobannes* I. iterum reducitur & coronatur *Budae*, ac postea partes *Hungariae Cis-Tibiscanas* ad mortem vsque tenuit, partibus *Austriae* vicinis Imperatori *Ferdinando* I. parentibus. Eodem modo, sub Filio *Iobannis* I. scil. *Iobanne* II. quoque non integram, sed diuisam tenuit *Hungariam* Imperator, *Transylvania*, quae tunc ad *Tibiscum* vsque extendebatur, ad *Ioannem* II. transeunte. *Turcicus* praeterea exercitus per diuersas *Hungariae* partes grassabatur. Vid. *Abrabami Bahscbai* Chronologia ad A. 1527 & 1558. *Historiae Hungariae Antonii Bonfinii* adiecta.

Nunc Rex, Princeps & Domine Clementissime, nihil a Domino *Francisco* est obseruatum. Deceuit a se ipso, aduenit insperatus, iuri nostro opponit violentiam, locum statuit fratribus nostris, qui vltra Tibiscum sunt, inaccessibilem, idque vindemiarum tempore, sine saluo conductu, ac arctiore spatio, quam vt fratres nostri, absoluta veniendi facultate, apud suum Imperatorem impetrata, accurrere possint. Quae impedimenta, cum non semel a Domino *Francisco* experti sumus, merito se omnibus suspectum facit, ex industria se tales artes excogitare, vt aduersariis suis aduolare non valentibus, leuiore negotio contra ius & fas, errores portentosos disseminare possit. Nunc autem a Maiestate Tua. Sacratissima, nihil praeter iustum & aequum, suppliciter petimus; vt si publicam generalemque mandatura sit. Disputationem celebrari, praemissas circumstantias expendere, & de his sic statuere dignetur, ne partium vlla, de iniuria queri possit. Si vero Maiestati Tuae Sacratissimae diuersum placuerit; opera Spiritus Coelestis adiuti, sic nobis & gregi, in hac particulari nostra Prouincia attendemus, sicque nos aduersariis opponemus, vt nos causae nostrae nec defuisse, nec defecisse experiantur. Deus Coeli Thronum Maiestatis Tuae Sacratissimae iustitia, aequitate & mi-

X 4 . . . feri

fericordia stabiliat ac tueatur semper, ad gloriam sui Nominis & quietem nostram salutarem. Amen.

*Ministri Ecclesiarum Vngaricarum
Cis-Tibiscum. (*)*

Conditiones Disputationis.

*Sacra Regia Maiestas, Princeps, Domine
& Patrone Clementissime!*

Postquam ad Theses *D. Francisci*, Maiestatis Tuae Sacratissimae accessisset mandatum & voluntas, manere nos debet obedientiae necessitas. Neque priore libello aliud voluimus, quam vt certamen generale, an vero parziale futurum esset, cognosceremus. Et quamuis aequius fuerat, vt sicut nos, non nisi vocati, ad Theses *D. Francisci* impugnandas, iter *Transylvanicum* suscepimus; sic & ipse Aduersarius reuocatus Theses nostras impugnaret: tamen maior est apud nos Maiestatis Tuae Authoritas, quam vt de iure nostro hac in parte Aduersariis nostris cedere nolimus. Itaque disputabimus: (sit Nomen Domini benedictum) vna tantum hebdomada terminum differri humillime petimus. Et quia tumultuosam disputationem Spiritus Christi odit; M. T. quoque Sacratissima benigne annuit nobis, vt conditiones

(*) Lampe Hist. Reformationis pag. 252.

ad rem bene agendam & finiendam facientes, ordine signaremus: nunc eas Maiestati Tuæ Sacratiffimæ offerimus, vtque eas Sacratiffima T. M. ratas habeat, suppliciter petimus. Etenim citra has condiciones (sensa animi nostri M. T. S. ingenue & libere effari debemus) disputare nullo modo volumus; sed in patientia possidebimus animas nostras, & malumus in silentio & spe fortes esse, quam sine conditionibus, Dei gloriam & Ecclesie aedificationem laedere. Quid enim attinet verbis contrariis sine modo pugnare, si sanorum iudicium, & Christianarum in toto orbe Academicarum arbitrium, Aduersarii fugitare perrexerint?

Primum, Cum Sp. Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei Homines: Textum Biblicum ratum & inuiolabilem esse volumus, non permiffuri vel ipsis Angelis, vt mortaliū quisquam profano ausu alia hinc expungat, alia inserat, alia coniungat, diuidat, mutet, inque dubium vocet, quæ in natiaua. Lingua authentice habentur. In Lectionum autem varietate Ecclesiam Dei consulere volumus, non vnum alterumue perfugam.

Secundo, Mentem & sensum citati Textus, non e cerebro priuato; sed ex analogia, & collatione scripturarum edisseri postulamus. Sic Aduersario, Textu pugnanti, Textu re-

pugnabimus. Interpretem vero agenti opponimus Interpretes, eo & doctiores, & faniores. Atque hac in parte volumus plus dari authoritati Orthodoxae Ecclesiae consentientis; quam huic vel illi perfugae.

Tertio, Multi sunt loci V. T. qui viua voce ab ipso Christo & Apostolis explicati, & quasi digito monstrati sunt: volumus, vt omnis Interpretatio, quae huic opponitur, ceu commentum vanissimum, publice repudietur.

Quarto, Quoniam aduersarius nos ad Disputationem prouocauit: meminerit sui esse officii, non concionibus bonas horas consumere, sed vt argumenta, prout doctis & non ambiciosis dignum est, assumat; in his consistat, non euagetur, Instantias sine sarcasticis mysterismis soluat.

Quinto, Scimus Aduersarium ternos quaternosque eligere solere respondentes, vnde dum contrarias horum solutiones frustra conciliare laborat, tempus incassum praeterit. Caeterum si Iuniores volent nobiscum in arenam descendere; habemus Scholam, in qua se fatigare possunt.

Sexto, Vt haec rite fieri possint, cupimus eligi binos vtrinque Arbitros, qui actionis ordinem moderentur, ne quid contra modestiam & decorum committatur. Horum fuerit extra propositum euagantibus impone-

nere silentium, & eos ad institutam Thesin reuocare, citata denique Testimonia ex fontibus natiuae Linguae examinanda iubere.

Septimo, quod praecipuum est, a Maiestate Tua Sacratissima hoc nobis annui & concedi humillime petimus; vt oppositiones nostras cum confirmationibus, Aduersarii item responsiones in tota hac Disputatione, per iuratos Amanuenses, Latina Lingua fideliter & sancte descriptas, ad Academias Orbis Christiani praecipuas M. T. S. transmittere dignetur, vt earum consentienti arbitrio causa cuiusque stet, aut cadat. Nemo enim lucem fugere aut odisse potest, nisi qui natus sit e tenebris ad tenebras.

Vt autem toti Ecclesiae constet, Maiestatem Tuam Regiam serio petere optatum finem horum certaminum; atque de executione conditionum omnes fideles quieto sint animo: suppliciter oramus M. T. S. vt exemplo aliorum Principum Christianorum, inter quos Maiestatem Tuam Regiam excellere desideramus, istarum conditionum certam executionem, signato Diplomate ratificare dignetur. S. M. T. (*)

*Humillime subiecti:
Ministri Ecclesiarum cis-Tibiscum.
Sen.*

(*) Lampe Historia Reformationis pag. 254.

Sententia Catholica

S E U

Consensus Ministrorum in Hungaria, Orthodoxam Sententiam profitentium ac defendentium, contra Franciscum Davidis, Georgium Blandratam, & Vnitarios Transylvanos communi consensu receptus & confirmatus in eadem Synodo Waradiensis, die 10. Octobris Anno 1569. ()*

Thesis I. Esse Deum, qui omnia, & Mundum moderetur: testatur id Scriptura Prophetarum & Apostolorum, creatio Mundi, natura Mentis humanae, iudicium conscientiae, notitia Legis Diuinae, ipsaque idololatria, testantur Ethnicorum scripta.

II. Deum esse Essentiam Spiritualem, aeternam, omnipotentem, inuisibilem, immutabilem, immortalem, creatricem omnium, boni omnis fontem & originem, conseruatricem totius machinae Mundi, castam, iustam, liberrimam, sapientem, odio habentem peccatum.

III. Deum nunquam fuisse absque sua Sapientia & Virtute, Λογος, & Spiritu; quemadmodum nunquam est Sol absque radiis & calore, anima absque intellectu & voluntate, ignis absque flamma & calore. Ideoque ab aeterno fuisse in Deo vno tres realiter di-

(*) Lampe Historia Reformationis pag. 246. 247.

distinctas proprietates hypostaticas, vel Personales, vt hodie loquuntur, etiamsi obscure fuerint agniti; Patrem gignentem, Filium genitum a Patre, Spiritum Sanctum procedentem a Patre & Filio.

IV. Patrem, Filium, & Sp. Sanctum esse vnus & eiusdem *essentiae*, maiestatis, omnipotentiae, eodem cultu coli simul, creatorem esse Coeli & Terrae, ac totius mundi; non solum Patrem absque Filio, sed simul Patrem, Filium & Sp. Sanctum; nec tamen tres Deos, sed vnum.

V. Filium ab aeterno fuisse, non praedestinatione tantum, sed realiter, Filium genitum de *Essentia* Patris, & simul in tempore omnia creasse, postea autem carne humana vestitum, factum fuisse nostrum Redemptorem; ita vt Deus Homo esse, & vna Persona, vnum *ἑνθεοῦ*, absque vlla naturarum permutatione dici possit, ex altera quidem parte verus Deus, ex altera verus Homo.

VI. Spiritum Sanctum esse cum Patre & Filio vnum verum Deum, eiusdem Diuinitatis, maiestatis, cultus, operationis, esseque tertiam *hypostasin* Diuinitatis.

Nomina Ministrorum verbi Dei, Orthodoxam Sententiam de SS. Trinitate in Synodo Waradiensis defendentium & amplectentium, superiorique Confessioni propria manu subscribentium. ()*

Pe-

(*) Ibidem pag. 248. 249.

524 P. Bod, *Historia Vnitariorum*

Petrus. Melius, Superintendens Ecclesiarum Trans-Tibiscanarum in Hungaria.

Georgius Czeglédi. S. Debrecinensis.

Petrus Károli, Pastor Eccl. Wáradienfis, & Senior Bihariensis.

Caspar Károli, P. E. Göntzienfis, & Senior in valle Cassouiensis.

Micbaél Hevesi, Senior Miskoltzienfis.

Valentinus Hellopaeus, Sen. & Pastor Agriensis.

Laurentius. Liszkanus.

Franciscus Strigonius.

Paulus Albenfis, Pastor Ecclesiae Püspökienfis.

Franciscus Pankotai, Pastor Ecclesiae Kenderesiensis.

Stephanus Tatár, Pastor Eccl. Böszörményienfis.

Franciscus Atimus, Pastor Eccl. in Vajdakaba.

Mattbaeus Défus, Pastor Eccl. Székely-Vásárhelly.

Baltbasár Szent Györgyi, Past. Eccl. Keresztzienfis,

Thomas Pápai, Pastor Eccl. Béltekiensis.

Stephanus Szegedi

Emericus Akosi, P. E. Telegdienfis.

Gregorius Nagylaki, Past. Eccl. Keresztzienfis.

Mar-

in Transylu. Part. I. Cap. III. Sect. I. 325

Martinus Apátur Jánosi, Past. Ec. N. Lé-
taiensis.

Ambrosius Tasi, Past. Eccl. Fegyvernek.

Blasius Mezö Gyani, Past. in oppido Regio
Máramorosiensi Sziget.

Benedictus Egröinus, Past. E. Mezö-Vásár-
helly.

Gregorius Tbordensis, Past. Eccl. in Csátár.

Lucas Szegedinus, Past. Eccl. in Tót-Telek.

Georgius de Szoboszló, Pastor ibidem.

Gregorius Nánási, Pastor ibidem.

Michaël Belvári, Pastor Eccl. Ványaiensis.

Iobannes Békési, Past. Eccl. Bicsfeiensis.

Stephanus Kálmántsi, Past. in Dombegyháza.

Michaël Eradoni, Past. in Patzal.

Stephanus Kántor Jánosi, Past. Szent-Imre-
hiensis.

Adamus Szeredabellyi, Past. in Cforna.

Iobannes Kereki, Past. Ecc. Egriensis.

Paulus Thurius, Sen. Past. Szent-Péteriens.

Iobannes Oláh, Senior.

Iobannes Szétsenius.

Benedictus Bánfi Hunyadi, Past. Tasnádiensis.

Georgius Désius, Past. Eccl. Vingárdiensis.

Emericus Dioszegi, Past. Ecc. in Szamos-Vjlak.

Iobannes Sidó.

Matthaeus Simigius.

Laurentius Szegedi. Past. E. Békés, & Se-
nior in Körös-Maros-
közi.

326 P. Bod, Historia Vnitariorum

Petrus Keri, Past. Eccl. Szamos-Szegiensis.
Basilus Quinque-Ecclesiensis, Past. Eccl. in
Deretske.

Michaël Tasi, M. V. D. in Gyapál.

Franciscus Futagi, Past. Eccl. Eszláriensis.

Petrus Matthaei Husztius, minimus San-
ctorum in Gernyeszeg.

Gregorius Ölyvödi, Past. E. in Détfé.

Valentinus Szamos-Vjlaki, Past. Eccl. in
Nábrád.

Petrus Pastoris de Csenger, Past. Eccl. in
Tunyog.

Michael Szegedi, Past. Eccl. Széplakiensis.

Stephanus Medvési, Past. Eccl. in Szamos-
Gyarmat.

Nicodemus Varsányi, Pastor ibidem.

Blaſius Gerendáſi, Minister in Szentes.

Sigismundus Endrédi, Past. Eccl. Matſo-
viensis.

Georgius Baki, Past. Eccl. in Szent-András.

Andreas Dobi, V. D. M. in Király-Darótz.

Stephanus Butſeki, Pastor in Tulka.

Georgius à Kazaperek, Min. Eccl. Albenſis.

Sebastianus Kállai, Past. Szent Tornavi-
ensis.

Ex Transyluania Ministri qui interfuerunt
Disputationi, pauci annotantur; fuisse ta-
men, series Disputationis docet. Serius for-
te illi accesserunt.

SEC.

S E C T I O III.

Exitus Disputationis VI. Dierum. Confessio Orthodoxorum, Regi exhibita. PETRI MELII Epistola exhortatoria ad Regem. Synodus Maros-Wásárbelyiensis. Mors Regis. §§. XI-XV.

§. XI. Contenerant huc maxima frequentia Politici aequae ac Ecclesiastici e *Transyluania*: Rex cum Aulæ Familiaribus, & aliis Consiliariis; *Franciscus Davidis* cum Ministris suis; aderat etiam *Blandrata*, sed non disputauit, nec in publicum prodiit; sine dubio maculam *Albae Iuliae* praecedenti anno iniustam nondum eluerat, veritus, ne plura addat, uaferrime clam consilia subministrabat, publico abstinens. Moderator Synodi fuit *Casparus Bekés*, vnus e praecipuis Consiliariis, & Patronis *Francisci* singularibus; Ex parte Reformatorum, Magnates qui interfuerunt, praeter *Georgium Botskaj*, annotatum non est. Durauit Disputatio sex diebus, in praesentia Regis & Magnatum, Lingua vernacula. Partes praecipue agebant *Melius* & *Davidis* acerrime, absque tamen omni, qui tunc in Ecclesiam redisset, fructu. Nam *Melius* disputauit ad conuictionem usque *Davidis*; at ille tunc se victum
Bibl. Haganæ Cl. VI. F. H. Y. nec

nec agnouit, nec fassus est. Imo edidit Disputationem, ad manus habens Typographum Claudiopolitanum Anno 1570. vernacule, sub Titulo *Disputationis Wáradienfis*, multis scommatibus & dictionibus in *Petrum Melium* & alios, maculatam, quae argumento est, actionem descripsisse vt libuit, non vt peracta est, & debuit. Hic tamen duo veniunt notanda. *Vnum est: Davidis* etsi victum se tunc palam non ostenderet: in priuato tamen, *Blandratae* se victum & tunc fassus est. Publice autem, tempore condemnationis suae, in Dieta coram omnibus Regni Statibus & Ordinibus, vbi ita locutus est: *Domine Doctor, memineris, me adhuc Wáradini in Disputatione dicere: nos argumenta Aduersariorum hac ratione non soluere, sed eludere. Ex quo ego tempore in gratiam tuam conscientiam meam captiuam tenui. (*) Alterum est: quod fronti Disputationis Wáradienfis a se editae verba illa Gamalielis adscriptit; Actor. V: 38, 39. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & finite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne forte & Deo repugnare inueniamini.* Euenit *Franciscus*, quod *Caiaphas*, vt ne sciens prophetaret, conatus enim ipsius Deus

(*) Scriptum Fratrum *Transylvanorum* p. 256, & infra §. XXXIV.

Deus in fumum abire iussit, quoniam ab ipso erant homine, vti infra fusius dabitur.

§ XII. In hac Synodo Ministri SS. Trinitatis dogma propugnantes, pulcherrimam de Deo ediderunt Confessionem, erroribus Aduersariorum oppositam, quae simul cum aliis Confessionibus mox typis descripta, ac Ioanni Secundo Regi dedicata est. Haec illa est :

Confessio Pastorum totius Ecclesiae Orthodoxae, cis & ultra Tibiscum, eorum omnium, qui in Synodo Waradina Haereticis sese vno spiritu opposuerunt ().*

Credimus & confitemur iuxta Scripturam V. & N. T. vnum verum & aeternum Deum, Creatorem omnium, visibillum & invisibillum, Redemptorem & Sanctificatorem, vnus & Spiritus *Essentiae*, Patrem aeternum, qui Filium suum ab aeterno genuit inenarrabili modo, *Λογος* seu Sapientiam suam, & eundem ex dilectione misit in mundum, ad assumendam carnem pro redemptione generis humani, qui & Pater noster in dilecto Filio suo factus est. Filium quoque Dei aeternum & vnigenitum, Dominum

(*) Est ad manus Disputatio *Waradensis*. typis edita Claudiopoli A. 1570. Vid. & Lampii Histor. Eccl. Ref. in Hung. & Transylu. p. 250-252

num nostrum Iesum Christum, ex substantia Patris ante saecula genitum, splendorem gloriae & *χαρκτης* substantiae eius, qui in forma Dei existens, aequalis Patri, descendit de Coelo, non Angelos, sed semen Abrahae assumens, noster Saluator factus est. Is est verus *Immanuel*, admirabilis, & gigas duplicis Naturae, Deus & homo in vnitate Personae inseparabili, Filius Dei aeternus iuxta Diuinitatem, non creatus, non factus, sed genitus, Filius autem hominis, seu Dauidis in tempore conceptus de Sp. Sancto, ex Virgine natus, in vtraque natura vere Filius Dei adorandus & laudandus in saecula. Et Spiritum Sanctum Paracletum, procedentem ab aeterno a Patre & Filio coaeterno, eiusdem *essentiae*, potentiae, sapientiae, & bonitatis; qui mittitur a Patre & Filio, ad sanctificanda corda credentium; Spiritus gratiae & precum, qui est arrhabo haereditatis nostrae. Hunc Deum verum, aeternum, vnum in *essentia*, & tribus distinctis *hypostasibus* seu *personis*, confitemur corde & ore, esse illum verum Deum & immensum, Deum *Iehovah Elobim*, qui se patefecit per creationem & conseruationem. Deinde per redemptionem vnigeniti & aeterni sui Filii, & per sanctificationem Spiritus Sancti, effusi in Apostolos & in omnes credentes; in cuius nomen, religio-

in Transylu. Part. I. Cap. III. Sect. III. 331

gionem, & inuocationem baptizati sumus, extra quem, & praeter quem nullus est alius Deus. In hunc vnum & solum verum Deum credimus tantum, & eundem in Spiritu & veritate inuocamus. Maledicti Dii qui non fecerunt Coelum & Terram. Haec est Prophetica & Apostolica Fides, qua iustificatos Patres esse fatemur, & sine hac neminem saluari posse, vniuersa Scriptura lucide, & non obscure testatur.

Damnamus ergo omnes contrarias doctrinas, quae non amplectuntur hoc fundamentum Prophetarum & Apostolorum; & vel plures fingunt Deos, quam vnum patefactum, vel in vnitae *essentiae* tres *hypotheses* seu *Personas*, dantes in Coelo testimonium, esse negant. Praecipue vero detestamur horrendam blasphemiam modernorum *Ario-Sabellianorum*, & caeterorum *Fanaticorum* vbiuis Gentium, qui negant Deum Patrem esse aeternum Patrem Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi; sed impudenter contra sensum Scripturae mentiuntur, Deum fuisse aliquando sine sua Sapientia, *Λογος* seu *Sermone*, qui est Filius Dei, per quem facta sunt & saecula. Deinde damnamus & hostes aeterni, proprii, & vnigeniti Filii Dei, Saluatoris totius mundi, quem isti falsi fratres negare audent, & asserunt eum esse temporalem Filium respectu carnis, & dicunt esse *Deificatum hominem*,

aliosque Filios adoptiuus excellere donis, seu
 Filium Dei esse non natura, sed largitate
 gratiae & participatione tantum, contra
 omnem mentem Sacrae Scripturae, quae fate-
 tur Christum esse Filium Dei viuentis seu
 aeterni, proprium & vnigenitum, Deum
 aeternum, laudandum super omnia in sae-
 cula, Iehouam exercituum. Denique exe-
 cramur & blasphemiam in Spiritum San-
 ctum, illorum, qui manifeste audent negare
 eius diuinitatem, & *hypostasim* realiter exi-
 stentem; sed dicunt tantum esse *Virtutem*, seu
 motus in nobis creatos, & non esse creden-
 dum in Spiritum Sanctum, neque inuocan-
 dum: cum tamen Scriptura testatur eum esse
 Creatorem, & distribuere sua dona diuina
 Ecclesiae, & singulis membris illius prout
 vult, sanctificare & regenerare credentes,
 ducere, in omnem veritatem testificari de gra-
 tia & voluntate Patris & Filii, non tantum in
 Ministerio publico, verum etiam priuatim
 in cordibus credentium, in cuius nomen, re-
 ligionem & inuocationem quoque baptizati
 sumus. Quae omnia tribuere creaturae, est
 summa blasphemia, quae neque in hoc, ne-
 que in futuro saeculo remitti potest. Haec
 est nostrarum Ecclesiarum simplex & catho-
 lica Confessio, in qua vt nos aeternus Deus
 & Pater Domini nostri I. Christi per Spiritum
 suum Sanctum conseruare, & a Turcicis
 blas-

blasphemiis fanaticorum Spirituum liberare dignetur, eum toto corde oramus. Amen.

§. XIII. His ita peractis, cum adhuc Principem ambiguo gressu vacillare videret *Petrus Melius*, scripsit ad eum Litteras, velut alter *Elias*, doctrina & Spiritu plenissimas, quas hic interfereere necesse putavi, sequentes:

Gratia & Pax a Deo Patre & Domino nostro I. Christo Serenissimae Maiestati Tuae, cum omnibus Inuocantibus Nomen Domini, multiplicentur. Amen. ()*

Cum saepius tacitus mecum de his Scripturae locis cogitarem: *Cor Regis est in manu Dei. Omnis potestas, & imperium & regnum ab ipso Deo est. Item, Misericordia & veritas custodiunt Regem. Iustus Rex erigit terram, & Rex iudicans in veritate confirmat terram: mirabilem potentiam Dei in totius mundi gubernatione conspexi. Et cum omnium potestas, bonorum & malorum, ab ipso Deo sit: paucos inueniri, qui omnia Prouidentiae tribuant, sed fortunae; alii sagacitati consiliorum, & virium suarum efficaciae ac industriae; pauci sunt, qui vtrumque,*

(*) Lampe Hist. Ref. Eccl. in Hung. & Transylu. pag. 263.

vincere & vinci, eius folius esse, qui est Deus, Dominus exercituum, cum de his omnibus eloquia Dei abunde contestentur. Paucissimi sunt, qui ex Regibus & Principibus Apostolo teste 1 Cor. II: 3. vasa sint misericordiae; & cum *Dauide*, *Ezechia*, *Iosaphat* & *Iofia* iusto iudicium & iustitiam faciant, & Deum ex toto corde & anima diligant & quaerant, audiant & custodiant verbum Domini, ambulent in viis Domini, osculentur ipsum בן Bar, h. e. Filium Dei naturalem *bodie* a *Iehouah* natum tanquam מנחם *Zemach Iehouae*, i. e. semen a *Iehouab* genitum *Psal.* CII. & II. & XLV. *Eesai.* IX. IV. XI. *Zach.* II. III. VI. *Iob.* I. III. VI.

Verum vt Rex *Herodes* cum Iudice Regni *Iudaici*, & cum *Anna*, *Caiapha* Pontificibus, propter haec tria de Christo praedicata, Christo illudunt: *Primo*, quod sit vnigenitus a Patre ab aeterno, sine tempore; *deinde*, quod sit Deus vnus cum Patre, *ita in se vitam habens vt Pater, & omnia Patris, ita sunt Filii, sicut Patris*; propter haec duo, quia Patrem, proprium Patrem vocat & se vnigenitum a Patre Filium, aequalem se Deo faciens; *dein*, quia se cum Patre vnum vocat, *Ego & Pater vnum sumus, & cooperamur, vt omnes honorent Filium, vt Patrem. Ego sum panis viuus de coelo descendens; ego sum via, veritas, & vita; Rex iustitiae; propter*

in Trantylu. Part. I. Cap. III. Sect. III. 335

pter hoc Iudaei Christum lapidare volunt, quod se Filium Dei vnigenitum a Patre, Patri aequalem fecerit. *Iob. V: 8. 10.* Propter haec inquam, a *Pontificibus & Phariseis* accusatur, 1^o. quod se vnigenitum a Patre, descendentem de coelo fecit, 2^{do}. cum sit homo, verum Deum se fecit, & Regem saluantem *Iob. X. Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXIII.* Non desunt *Pilati & Herodes* cum *Pontificibus & Phariseis*, qui & nunc per *Francisco-Blandratistas*, vt *Herodes & Pilatus* Filium Dei nothum, spurium, Deum titularem, solo habitu regio illusum & coronatum, sola titulari inscriptione gerentem in cruce: *Christus Nazarenus Deus & Rex Iudaeorum*, *Matt. XXVII. Luc. XXIII. Iob. XIX.*

Ita & *Blandrata* cum *Francisco Dauidis*, Filium Dei, & Deum Iehouam, aeternum dicunt, non aeterna generatione, sed solo titulari decreto, praescientia, vnctione: cum Pater ideo Filium vocet Christum, quia vnigenitus est a Patre *Psal. II. Dicam decretum Iebouae, de me dicentis, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, dicit se ideo Filium Dei, quia est vnigenitus a Patre; & de Spiritu Sancto ita loquitur per *Dauidem & Apostolum*: *O Deus thronus tuus aeternus est Psal. XLV. Hebr. I.* Ideo vnctus es in Regem, quia Deus habens aeternum thronum es tu, diligis

iustitiam, odisti iniquitatem. It cum *Paulo* loquutus est, *Quia* aeterno possedit, & genuit in suam, ideo per me fecit omnidinauit, vt fierem Rex; aut, quilio Dei *plenitudo Dei* habitauit ideo omnia, electio, praescierstinatio, creatio, saluatio, bene me facta sunt. *Prov. VIII. & IX, X.* Et vbique Reges & Principes Dei sua Deitate distinguit: cum & officio sint Dii; Filius autem vnigenitus est a Patre, ex ore Patris egressus:

Vehementer gratulatus sum e omnes, cum Serenissima Maiestatem Anno 1566; secundo, An publicum colloquium omnes Palaeologia & Transylvania conuocare praesentia colloquia & disputatione ornaret, & totam Synodum Maiestatis praesentia, imo & benefica Regitate & munificentia promouere Anno praeterito S. M. V. praesentem molestias & insultatus nostras raret: memini S. M. V. dixisse, examinare, quasi vellet illam amplecti; sed tantum velle comitatem, dum de vera co

taretur, desiderans scire, *An sit idem: unum Deum solum esse, & Patrem; an vero differat? & quae sit differentia inter unum solum Deum, ac Patrem gignentem?* De quibus cum S. Maiestati vestrae conscientiose ex verbo Dei dicerem: *Sicut in natura proprium singulare, differt a communi & uniuersali natura, & substantia; ita ob has rationes vnus Deus, & Pater gignens non semper idem sunt, quoties vnus Deus Filio & Spiritui Sancto quoque tribuitur, & non soli Patri.*

Primo, quia nomen Patris, solius est Dei gignentis Filium de sua imagine; solus Deus gignens vocatur Pater, habens Filium, nec vnquam Filius & Spiritus Sanctus, Deus gignens aut Pater gignens, Filiumque suum mittens, dici possunt: sed vterque, Filius & Sp. Sanctus, Deus, Dominus, vnus, solus dici possunt, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus. Non autem Filius est Pater gignens, nec Spiritus Sanctus est Pater gignens Filium. Cum igitur de Filio & Sp. Sancto nomen Patris praedicari non possit, non sunt idem, *Deus solus, & Pater.*

Secundo, ipsi Anti-Christi fabulantur Patris Deitatem integram, totam, non partialem Filio datam esse; sed Paternitas Patris non est Filio data. Non igitur, *vnus Deus & Pater*, sunt idem, sicut nugantur Haeretici.

Tertio. Pater tantum vnus est, de solo gignente Deo dici potest. Nec Pater de tribus testibus, nec tres testes de Patre vno praedicari possunt. Non enim dicitur; Hi tres testes, Pater, Sermo & Spiritus, sunt vnus Pater; nec contra, vnus Pater sunt tres testes. De vno autem & solo Deo conuertibiliter dici possunt; Hi tres testes, Pater, Sermo, Spiritus sunt vnum, vnus Deus; & contra, vnus Deus Iehoua, est Elohim, Dii, i. e. tres testes, Pater, Filius, & Sp. Sanctus. 1 Iob. V: 7. Deut. VI: 4.

Quarto. Quia Deus vnus & solus, alius esse non potest a Filio & Sp. Sancto, Deut. V. VI. & Iesai. XL. XLV. XLVIII. Ego Iehoua Deus, creator tuus, & saluator, non est Deus & Iehoua alius extra me & praeter me: Pater autem alius est a Filio misso, Filius alius a Patre mittente, Iob. V, 6. 8. 10. Alius est Pater, qui me misit, alium Paracletum mittam vobis. Vnus Deus Iehoua alius a Filio misso, Iob. VIII. & X. Ergo Pater, & Deus vnus solus, non sunt idem, nisi cum per appositionem & interpretationem additur, vnus Deus & Pater, sed hoc Filium non excludit. Nam Deus expositiue dicitur Pater, non exclusiue: sicut Filius dicitur vnus solus Deus, magnus, benedictus, creator, saluator, cui omne genu flectitur; sed expositiue, non exclusiue, quasi Pater non sit Deus, Iehoua
ado-

adorandus, *Iesai. XLV. Rom. I. & IX: 5. & XIV: 11. Tit. I: 3. & II: 13.* Non sic dicitur Filius verus Deus & vita aeterna, vt Pater non sit verus Deus & vita aeterna. De similibus idem est iudicium.

Haec cum Serenissimae Maiestati vestrae referrem, placuerunt, & S. M. V. approbavit, qui: potius & hoc adiecit: *Non-dum Francisco-Blandratistarum doctrinam aut Confessionem recepisse, neque velle approbare & recipere; sed tantum diligenter examinare & cognoscere, an sit vera & fundata in verbo Dei?* Hoc cum Fratribus meis referrem, vehementer gratulati sunt, & Deum pro salute M. V. S. vno ore deprecati sunt. Cum igitur & nunc *Tsengerini* * conuenissemus, comparere aduersarii *Blandratistae* noluerunt, cum *saluum conductum* Principis Germanorum illis exhiberem & offerrem, promitterem: que illis saluum reditum; sed mala causa facit semper timere. Nos reiectis omnibus difficultatibus, comparuimus, quotiescunque S. M. V. mandauit. Illos quoque S. M. V. cogat, vt ex verbo Dei nobiscum conferant. Nam certissime persuasi sumus, sicut *Debrecini* publice, & *Wáradini* coram Sacratissima Maiestate vestra declaratum est; eos duobus solum argumentis ex verbo Dei desumptis obmutescere, sicut & nunc in

Be-

* Legitur huius Synodi Confessio in Syntagmate Confess. Genevæ 1612. edito p. 186. sqq.

Belényes, Békés, Laskó & Tbolnae Francisco-Blandratistae conuicti & conclusi sunt.

Nolumus autem vt nostras importunitates S. M. V. deuoret, aut sustineat; tantum ad liberum colloquium eos inuitamus. Si verbo Dei destructi & conclusi non fuerint, iudicio omnium Ecclesiae Christi Doctorum & Pastorum in toto orbe terrarum; S. M. V. me infirmum vasculum digna poena & iusto iudicio puniat, vita & rebus meis priuet. Hoc saltem ex verbo Dei & lege naturae ex benigna & clementissima S. M. V. indulgentia, quae me munifica liberalitate ornauit, obtineam; ne accusationes Aduersariorum contra me recipiat, sed me coram S. M. V. exaudiat & examinet.

Atque id etiam secundo obtinere cum Senioribus Ecclesiarum a S. M. V. volo, vt carnalibus, armis remotis, liceat nobis publice disputare contra *Anti-Trinitarios* libere, solo Dei verbo, & doctrinae puritate, rejecta stulta & priuata interpretatione ac detorsione, vt iubet Sp. Sanctus, sed Scriptura Scripturam interpretetur. Nam hactenus *Francisco Blandratistae & Anti-Trinitarii*, cum cognitionis Linguarum, sint ignari, & fontes ignorent: priuata vsi sunt detorsione.

Ideo autem huius Synodi Confessionem
S.

S. M. V. dedicare cum Litteris *Theodori Bezae* volui: vt intelligeret S. M. V. nos purissimo Dei verbo niti, non opinionibus stultis, nec priuatis consiliis, sed cum verbo Dei & Doctoribus Catholicis Ecclesiae verae consentire. Vt ergo S. M. V. pie & benigne eam legat, ac diiudicet iuxta verbum Dei, oro.

Haec omnia S. M. V. ex tribus libris meis *Geneuae* editis clarius intelliget; de quibus *Bezae* iudicium annexa exhibent. Bona fide promittimus, omnes *Francisco-Blandratistas* gladio Spiritus Sancti vnica hora nos conuincere posse, dummodo nitantur ac quaerant veritatem. *Debrecini X. Augusti. Anno D. 1570.*

*Seruus Iesu Christi, & Ecclesiae Christi
in Vngaria, Serenissimaeque M. V. Subditissimus, PETRVS MELIVS Hortbinus,
cum Fratribus suis, Iesu Christi seruis,
& S. M. V. in Domino subditis.*

§. XIV. Quoniam *Franciscus Davidis* habitabat *Claudiopoli*, multo suo & *Sommeri* labore totam fere urbem ad suam pertraxit sententiam. Auersabantur eam praecipue *Saxonicae* Ciuitates Liberae, eosque a Ciuium suorum numero excludebant, quotquot ipsi Haeresi addicti essent. Quibus cogitis, ira
accen-

accensi Magnates *Vnitarii*, iurabant se prius *Deum Triunum Transyluania* eiekturos, quam eorum Religio eiiceretur (*). Futuram tamen praefagiens mutationem *Dauidis*, eo Regem induxit, vt indictis Comitibus confirmaret eorum, & praecipue Ecclesiae *Claudiopolitanae* statum. *Maros-Wásárbellyinum* ergo Regnicolas congregauit, vbi post longam in religiosis disceptationem, Priuilegia quaedam, & alia in fauorem *Scholae & Ecclesiae Claudiopolitanae* Anno 1571. exhibuit. *Dauidis* Concionator Regis, ex more suo in Templo adortus est Ministrum Reformatum, & disputabat in praesentia Regis. Cum inter disputandum *Dextrae Dei* mentio facta esset; Rex Ministrum *Wásárbellyiensem* interrogauit, *quid sit sedere ad dextram Dei?* respondit: aequali cum Patre gloria & potestate regnare. Ad haec Rex: *Qui id docent?* Minister: *Orthodoxi Patres (**).*

§. XV. Hinc sequenti die versus arcem *Görgény* animi relaxandi causa moturus, equi praeferores e publica deflexerunt via cum carpento; vbi insigniter laesus ac concussus, concurrentibus etiam morbis aliis, vti *colica*, *syncope*, defecit (***) . Morbum auxit vehe-

(*) *Smeizel* de Statu Ecclesiae Lutheranae p. 57.

(**) *Lampe* Historia Reformationis p. 687.

(***) *Ibidem* pag. 280. *Wolfgangus Beshlen* Histor. Lib. V. p. 281.

hementer, quod Filiam *Alberti*, Ducis *Baui-*
rias, quam ipsi *Maximilianus* Imperator obtu-
lerat; vbi *Arianis* fauere rescuissent, nega-
bant: (*) Suffusus pudore & dolore, post
quingenta quatuor dierum cruciatus, (in-
tra quos *Blandrata* & *Davidis* occupatum te-
nebant) Anno 1571. die 14. Martii, aetatis
XXXI. expirauit. (**) Annus, Dies, &
Mensis mortis hoc disticho sunt expressi:

Vt bis proDierat septeno MartIVs orbe
fLeVIt, egens regIs, pannonia terra, bonL
fregIt Ioanni, LaChesIs, bona filLa, seCVnDo,
pannonII CeCIDIt spesqVe benigna soLI.

Sepultus *Albae Iuliae* eodem Anno, vbi in
tabella-argentea aureis litteris memoria eius
consignata est. (***)

FINIS PARTIS PRIMAE.

(*) *Istuanfi* Libr. XXIV. P. 520. *Timon* in Epito-
me Chronologiae p. 217. & in aliis MSSis.

(**) *Timon* l. c. & MSSa.

(***) Exstat Oratio eius funebris *Claudiopoli* excusa
1571. vbi plurima ad hanc rem. *Wolfg. Beth-*
len l. c. p. 281.

PARS SECUNDA.

DE REBUS, SVB PRINCIPIBVS STEPHANO ET CHRISTOPHORO BATHORIIS, *ad Tragicum usque exitum duorum Unitariae Religionis. Antesignanorum actis.*

C A P V T I.

DE HIS, QUAE CAPTIVITATEM FRANCISCI DAVIDIS *praecesserunt,*

S E C T I O. I.

Exilimatio BLANDRATAE ET FR. DAVIDIS coram Principe imminuta.

§. XVI, XVII.

§. XVI. Sublato ita e visis IOANNE II. magnam subiit Religio *Anti-Trinitaria* mutationem. Nam in Principem electus STEPHANVS BATHORI, aequi iustique amantissimus, ac Vir doctus, aequo iure ad officia promouebat *Reformatos* ac *Lutheranos*, ipse Catholici nomen habens; at Sacerdotem Missaticum toto regiminis sui *Transylvanici* tempore non audiuit, verum Ministrum
Re-

Reformatum. (*) Bello hic a Casparo Beths ob adeptam Principatum impetitus, pacem Religionis coluit, vt externam etiam consequi posset. Alias quoque dominari in conscientias plane abhorruit, prouti ex his verbis, quae dixit ad talia eum patrandum adhortantibus, patet: *Regem se esse Populorum, non Conscientiarum; triaque Deum sibi reseruisse: creare aliquid ex nihilo, praevassse futura, conscientias dominari. Alias: Religionem Christianam occidi, non occidere; grauiissimum scelus esse conscientias dominari, id enim esse coeli arcem inuadere.* (**) Principatum cum adipisceretur, iuxta constitutiones Regni, se in libero Religionis exercitio ac in antiquis libertatibus, priuilegiis & immunitatibus Status & Ordines Regni conseruaturum iuramento sanxit. *Wolfgang. Bethlen Libro V. pap. 286.*

§. XVII. Iussu huius Principis agitabatur causa *Francisci Davidis* cum vxore sua *Catharino Barát*, quae Anno 1574. decisa per diuortium, quae multum ex eius detriuit honore; (***) quo enim ante fuerat accepti-

or,

(*) *Lampe Histor. Eccl. Ref. in Hung. & Transylu. pag. 226.*

(**) *Ibidem pag. 281.*

(***) De hoc negotio haec leguntur apud *Lampium* libro citato ad Annum 1574. pag. 282.

Coacta est hoc Anno Synodus *Enyedini* au-

or: tanto coram omnibus factus est contem-
tibilior. Euenit quoque ita *Blandratae*, cu-
ius respectus primum a quod suos, ob varias
in Religione factiones imminutus, tandem
etiam apud alios penitus exoleuit. Lites
Blandrata primum habere coepit cum *Francisco*
Davidis, cuius vera causa haec notatur: Pol-
luerat se *Blandrata peccato Italico*, i. e. *foeda*
Sodomisi, quod ubi *Francisco* innotuisse aduer-
tisset, euitabat eius consortium, & eum
quoquo modo subuertere conabatur. (*)
Disceptatio haec inter ipsos, occasionem
Reformatis dedit, se suasque Ecclesias cau-
tius ab istis segregandi, & attentius sibi ca-
uendi. Lite inter istos progrediente, va-
ria *Blandrata* excogitauit, ad inuoluendum
periculo *Francisum*. Lex erat tunc in *Tran-*
syluania: *nemo in Religione innouaret, aut de-*
gma in Regni Comitibus non approbatum deceret.
Ex occulto *Blandratae* consilio *Tbordae* A. 1578.
decernitur in Synodo *de communi Propbetia in*
Es.

thoritate Principis *Bathorei*, vt de vita ac-
que ac doctrina *Francisci Davidis* cogno-
sceretur. Quod cum fieret, tam horrenda
ei a propria vxore flagitia oblecta esse *Ma-*
nerus commemorat, vt omnium iudicio in-
dignus vxore, imo hominum consortio iu-
dicaretur, mulierque a tanto carcinomate
liberaretur.

(*) Scriptum Fratrum *Transylvanorum* pag. 239.
vid. & infra §. XXI.

Ecclesiam introducenda, quod dogma omnibus Ministris libertatem daret, sine periculo differendi inter se & quaerendi in his rebus, quae in Synodo Generali nondum erant decretæ & constitutæ; sed de quibus posset seria suscipi deliberatio. His ita in antecessum adornatis, circa id tempus *Franciscus* dixerat in Concione: *Christum, quoniam natura Deus non esset, non posse sine errore inuocari.* Quae sententia erat tum apud *Vnitarios* communis. Ita enim sentiebant, paucis exceptis, prout *Jacobus Palaeologus* Rector Scholae *Claudiopolitanae* in hac materia scribit; *Nullus est sanæ mentis homo, qui iudicat diuinis eum prosequendum esse benedictis, qui non sit, verus Deus.* *Mommit Blandrata* *Franciscum*, sileret de ea doctrina, de non inuocando, nempe *Iesu Christo*, alias futurum esset, vt in *Transylvania* permanere non possint; imo suaderet, vt duos aut tres Ministros de ea accusarent, & Principi puniendos traderent, vt reliqui, iis punitis in pace manerent. At *Davidis* contra conscientiam alios tradere puniendos nolens, ipse tandem sacrificandus per *Blandratam* vaserrime & nefarie traditus est.



S E C T I O II.

FAVSTI SOCINI ingressus in Transylvaniam.

BLANDRATAE machinationes aduersus FR.

DAVIDIS, versutiæ B. SOCINI tenta-
tae. Theses sub nomine FR. DAVI-
DIS falso exhibitae. §. XVII. XIX.

§. XVIII. Morabatur clam eo tempore
Faustus Socinus Basileae, cui Blandrata omnia
perscripsit, ac obnixè rogauit; vt Transyl-
uaniam ingressus, litem iam ortam, ruinam-
que Ecclesiae secum habentem, compone-
ret, Franciscum ab ista sententiâ propalanda
auocaret; promisit se laburum omnes itine-
ris sumtus. Socinus igitur ex consilio Blan-
dratae abiit in Poloniam, vnde cum Litte-
ris commendatitiis Ecclesiarum venit in
Transylvaniam; vbi hospitium & mensa, ex
dole Blandratae, technas Francisco non ad-
uertente, suis apud Franciscum, (*) vt om-
nia eius dicta factaque obseruaret, Blandra-
taeque communicaret. Disputabant Francis-
cus & Socinus acerrime de adoratione & in-
uocatione Iesu Christi, quam Franciscus nega-
bat, Socinus assererat. Theses quasdam
con-

(*) A medio Novembri A. 1573. ad Aprilem A.
1579. Vide plura in Lampii Hist. Ref. in
Hung. & Transylv. p. 303. 304.

conscriptis *Franciscus*; Argumenta aduersus eas opposuit *Socinus*, quae in responsione solidissime enervauit *Franciscus*. Atque ita ignis flagrans non exstinguebatur, sed in maiores erumpebat flammis. Vnde *Blandrata* & *Socinus* pudore & indignatione complebantur, & diutim magis magisque exasperabantur.

§. XIX. Rebus ita fluentibus, pestilentissimum quoddam Scriptum editur sub nomine *F. Davidis*, cum responsione *Blandratae*, quod tale est: (*)

(*) Vid. ibidem pag. 306—311.

I. Homo ille Iesus Nazarenus, Mariae Iosephi vxoris Filius, ex eiusdem semine Iosephi conceptus & natus est, quacunque tandem ratione id factum sit. Credimus eum Messiam illum esse in V. T. a Deo promissum.

II. Homo ille Iesus Nazarenus, qui appellatur Christus, non per Spiritum Propheticum; sed tantum per Spiritum Sanctum locutus est: & quamuis legatus a Deo fuerit; non tamen quaecunque verba docendo dixit, ex ipsius Dei ore processisse censenda sunt.

III. Hinc fit, vt illius & Apostolorum verba, tantum ad Mosaicae Legis & aliorum Prophetorum oraculorum normam expendenda sint, & si quid vel contrarium, vel diuersum ab iis, in illis reperitur, aut reperi videtur; id aut reiciendum, aut certe ita interpretandum sit, vt cum Mosis &
Pro-

Antitbeses Georgii Blandratae.

I. Homo ille Iesus Nazarenus in Mariae Virginis ytero conceptus, ex eaque natus est, Spiritu S. eam conceptionem citra carnalem Viri alicuius congressum operante. Et quamuis ex Iosephi, Mariae Viri, semine nulla prorsus ratione, nec conceptus, nec natus fuerit; reuera tamen credendum omnino nobis, eum Messiam illum esse a Deo in Veteri Testamento promissum.

II. Homo ille Iesus Nazarenus, qui appellatur Christus, non modo per Spiritum Propheticum; sed plus, quam Propheticum locutus est: quippe qui expressa Dei imago fuerit, & in quo omnis certitudo Deitatis corporaliter habitauerit; adeo, vt ne verbum quidem vnum docendo dixerit, quod ab ipso Deo, ore proprio prolatum fuisse, censendum non sit.

III. Hinc fit, vt illius & Apostolorum Verba, tantum authoritatis habere debeant, vt quicquid in Mosis aut Prophetarum quorumcunque scriptis vel illis aduersetur, vel aduersari videatur; aut prorsus reiiciendum sit, aut certe ex ipsis interpretandum, tanquam illis, quae non modo Mosis & Pro-

Theses Francisci Davidis.

Prophetarum doctrina plane consentiat; quæ sola morum, vitæ, & diuini cultus regula nobis esse debet.

IV. Nam inter vetus, per Mosen, & nouum, per Christum percussum foedus, nulla penitus est, vel in doctrina, (ea præsertim quæ ad mores spectat.) vel in diuinis promissionibus differentia statuenda: sed in hoc tantummodo differre dicenda, quod in veteri foedere litteræ, in nouo vero Spiritus administratio fuit. Adco, vt caeteroquin per hoc illud nec antiquatum, nec inueteratum villo modo, sed informatum dici debeat.

V. Præsertim cum nouum illud foedus verè hæctenus ad tempus tantum, idque perbreue extiterit, id est, vsque ad Hierosolymæ excidium, nec postea locum, nisi ex parte aliqua habuerit, nec habiturum sit, donec Iesus iterum ad nos redierit, & in hoc mundo, in ipsa vrbe Hierosolyma instaurata, super carnali populo Iacobi, vt caeteri Reges terræ solent, iustissime tamen & sanctissime regnauerit.

Antitheses Georgii Blandratae.

phetarum dicta, vbi opus fuerit, explicauerint, verum etiam ea partim abrogauerint, partim perfecerint, & ex quibus omnis morum & vitae ratio petenda.

IV. Nam inter vetus foedus per Mosen, & nouum per Christum percussum, tanta differentia constituenda est, quanta inter vmbra[m] corporis & ipsum corpus. Et cum in doctrina, ea etiam quae ad mores pertinet, sum in diuinis promissionibus, insignis differentia agnoscenda. Adeo, vt vetere, nisi quatenus cum nouo consentiat, seposito, in nouo acquiescamus, quippe cum per hoc illud non immutatum modo, sed omnino antiquatum fuerit.

V. Praesertim cum nouum foedus aeternum sit, durareque debeat vsque ad mundi finem, nec vnquam vlla ex parte aut cessare, aut cessaturum sit, donec Dominus Iesus de Coelis descendens iterum ad nos veniat, viuos & mortuos iudicaturus, & iis, qui id foedus receperunt & seruarunt vitae coelestis, & aeternae praemia, iis vero, qui vel reiecerunt, vel receptum non seruarunt, mortis aeternae poenas daturus.

Theses Francisci Davidis.

VI. Interim Iesus est quidem Christus seu Rex populi Dei, sed destinatione tantum: cum ex omnium Prophetarum oraculis certum sit, Christum a Deo promissum, nulum aliud regnum, quam terrenum, & quale supra dictum est, habiturum.

VII. Ut eiusmodi regnum statim haberet, missus fuit Iesus a Deo in mundum. Sed quia noluerunt eum Iudaei, quibus promissus fuerat, quorum Rex esse debebat, recipere: postquam ab iis contra Dei propositum interemptus fuit, sustulit eum Deus ab iis, & in locum transtulit vbi tuto in Dei protectione quiescit; hoc siquidem est eum sedere in coelis ad dexteram Dei.

VIII. Ita ibi expectat is, donec subiiciantur ipsi omnes inimici eius, vt ita regnum sibi promissum habeat, nihilque interea agit.

IX. Non igitur Deus amplius dici potest, quemadmodum fortasse, cum in mundo verfaretur, poterat officii ratione; nam ab officio, vt dictum est, plane cessat.

Antitheses Georgii Blandratae.

VI. Interim Iesus est reuera Christus, seu Rex populi Dei. Regnum enim Christi illius a Deo promissi non est terrenum; sed coeleste futurum erat, vt nobis ipse Iesus, & eius Discipuli diuina oracula interpretantes, exposuerunt.

VII. Vt autem eiusmodi regnum Iesus re ipsa obtineret: opus illi fuit, ita Deo iubente ac decernente, vt mortem crucis, sibi ex Dei proposito, a Judaeis, ad quos missus fuerat, inferendam, subiret. Quo facto, a Deo ex mortuis excitatus, in ipsum verum sublimius coelum sublatus est, vbi ad dextram Dei sedet, hoc est, post ipsum Deum supremum, in vniuersam, tum coelestem, tum terrestrem Ecclesiam, potestatem obtinet.

VIII. Itaque hac ratione regnum sibi promissum adeptus, totam gubernat Ecclesiam, atque eodem tempore, praedicta Dei potestate sibi communicata, & porro ipso Deo auctore, subiiciendis sibi inimicis suis vacat, donec tandem ad vnum omnes debellauerit.

IX. Deus igitur nunc summopere dici potest: vtpote qui ex ordinatione Dei, officio fungatur omnium maximo, ac summa diuina potestate, & in coelo & in terra, sit praedicatus.

Theses Francisci Davidis.

X. Propter hanc eandem causam turpiter errant, qui eum nunc absentem adorant, quod non nisi diuina ratione fieri potest; cum ne tum quidem, cum praesens erat, sine maxima Dei offensione aliter, quam ciuili & humana quadam ratione, adorari posset.

XI. Quare etiam nec illi seruire, nec cultum aliquem illi praestare alia ratione, quam ei obediendo, eiusque praecepta seruando, aut possumus, aut debemus.

XII. Neque etiam illi confidere, nisi quatenus ea, quae nobis dixit, vera esse credamus ei; quae nobis Dei promisit nomine, accepturos nos firmiter esse speremus.

XIII. Illum autem inuocare, & auxilium eius & opem in nostris necessitatibus implorare perinde est, ac si quis Mariam & alios Sanctos mortuos imploret; qui nec quod exaudiant preces nostras, nec quod aliquid nobis largiri possint, vllum, ne minimum quidem testimonium habent.

XIV. Sed nec ipsum etiam ita inuocare possumus, vt pro nobis Deum oret, vel nobis a Deo aliquid impetret, non magis, quam praedictos Sanctos mortuos: non enim amplius inter Deum & nos, Mediatoris officio fungitur; nam quod scriptum est eum
ad-

Antisteses Georgii Blandratae.

X. Propter hanc eandem causam nunc absens diuina ratione omnino adorandus est; cum ante regnum acceptum, dum in terris ageret, plus quam humana & ciuili adoratione merito adoratus fuerit. Id quod qui non faciunt, turpissime in ipsum Deum peccant.

XI. Quare etiam illi, tanquam Domino & Deo nostro, nobis a summo illo Deo constituto, etiam super nos plenissime regnanti, & seruire, & cultum exhibere tenemur.

XII. Atque etiam tanquam in eo, qui summum bonum nobis, Deo approbante, ipso actu exhibet, collocare.

XIII. Illum autem inuocare, & auxilium eius & opem in nostris necessitatibus implorare perinde est, ac si quis ipsum Deum imploret; quippe quem certum est Dei nomine & preces nostras exaudire, & omnia quae nobis sunt opus, ipsum posse largiri.

XIV. Possumus etiam ita ipsum inuocare, vt pro nobis Deum oret, vel a Deo nobis aliquid impetret; sed tamen quatenus hisce loquendi modis, potestatem, quam habet nobis subueniendi, non a se ipso, sed a Deo ipsum accepisse, (si quidem hoc sensu dicit

Theses Francisci Davidis.

adhuc pro nobis interpellare, nihil aliud sibi vult, quam preces, quas dum hic erat, pro omnibus fidem ipsi habituris Deo obtulit, efficaces etiam nunc esse in ipsius Dei conspectu.

XV. Porro eius Sacerdotium, si modo Sacerdos vnquam fuit, tunc re ipsa finem habuit, cum in cruce exspirauit; nec alia ratione eius oblatio nobis prodest, aut prodesse potest, quam propter ipsius oblationis, quamuis iam transactae, efficaciam, quae perpetuo duret, propter quod etiam eius Sacerdotium perpetuum, et ipse Sacerdos in aeternum dicitur esse, et adhuc peccata nostra expiare alicubi fortasse scriptum est.

XVI. Quamobrem Iesu Christo in quiete sua placide versari dimisso, nihil nos ab eo nunc iuuari apud Deum vel credamus, vel curemus; nisi quatenus hic inter nos fuit, salutis viam ostendit, & ad Deum accedendi modum

Antitheses Georgii Blandratae.

cit scriptura Christum nunc pro nobis interpellare coram Deo ipso) agnoscere velimus. Multo enim nunc excellentiore ratione in coelis inter nos et Deum Mediator est, quam in terris fuit. In terris Dei benignitatem nobis annuntiauit, eumque pro nobis vere rogauit; in coelis vero tandem Dei benignitatem ipse nobis praestat, et quae a Deo in Ecclesiam suam proficiscuntur, per ipsum cuncta donantur.

XV. Porro eius Sacerdotium re ipsa aeternum est, quo, tunc iure inauguratus est, cum post mortem crucis in Sancta illa Sanctorum ingressus, pro nobis coram Deo apparuit, vbi sui ipsius Deo facta oblatio, non efficacia tantum rei iam transactae, sed praestanda potissimum virtute nobis prodest, quatenus per eam oblationem supremam potestatem est adeptus, quia iugiter nostra peccata expiare, et a poenis peccatorum nostrorum nos constanter et perpetuo liberare, apertissime in sacris litteris praedictum est.

XVI. Quamobrem cum eiusmodi Pontificem habeamus in coelis, Domini Dei praepositum, qui semper viuens ad plenum seruare potest, qui per ipsum accedunt ad Deum, eius praesenti ope ac potestate confisi, per ipsum Deo & Patri, modo preces

Bibl. Haganae Cl. VI. F. II. Aa nostras

Theses Francisci Davidis.

modum docuit, donec ad nos, regnum accepturus, reuertendo, vere Christus Dei fiat, in hoc mundo personaliter praesens, nos Dei virtute foueat atque sustentet. Interim ad Deum ipsum solum, nulla Christi praesente alia ope aut potestate confisi perpetuo confugi-
amus. (*)

Huc usque Theses

Theses has sub nomine *Francisci Davidis* a Blandrata publicatas, suas nunquam agnouit, imo etiam existare ab aliis audiuit. Abiit tamen in contemptum apud plerosque,
qui

- (*) Harum XVI. Thesium meminit quoque *Possenus* Sect. III. cap. 7. vbi citat Thes. I. & XI. heic expressas. Non longe ante vitae suae finem illas exaratas esse recte coniicit *Sandius* in *Biblioth. Antitrin.* p. 56. ex eo quod in obseruationibus suis, Thesibus *Blandratae* oppositis, *Obseru. in Thesin II. de Filio Dei* diserte dicat, *Christum Iesum conceptum de Spiritu Sancto*, contra quam est hic Thes. I.

Iesum Christum inuocandum & adorandum esse negauisse *Franciscum Davidis* certissimum est: has tamen XVI. Theses fraude *Blandratae*, vt ait Auctor, compositas, praecipuam fuisse illius odii causam, quo Socinianos ipsos in eum ferri legimus, tum ex loco *Posseni* citato,

Antitheses Georgii Blandratae.

nostras afferre non intermittamus, donec ipse de coelo veniens, ea efficacitate, qua iam Christus vere factus sibi subiicere omnia potest, corpora nostra vilia transformet, eaque corpori suo glorioso conformia reddat.

Et Antitheses.

qui praefixum illis *Francisci* nomen cernebant, & *Blandratae* technas, *Franciscum* quodammodo subuertere conantis, non assequabantur.

citato, tum ex aliis huic similibus colligi potest. Eius siquidem *adstipulatores non tantum contumelioso Semi-Iudaeizantium titulo passim trahuntur esse, sed de summo quoque Salutis discrimine quod adituri sint, praeter consuetudinem seuerius statuisse Socinianos, refert Zeltnerus in Historia Arcana Crypto Socinianismi Alcorpbini Tom. I. Cap. II. §. XIII. p. 201. Quid ipse Socinus, ut nunc de Blandrata & Vnitariis Transylvanici compluribus taceam, de eo senserit; infra ad §. XXVI. videri potest. Notabile fert de eiusdem sententia iudicium Job. Stoinius, alias Statorius, Pastor Vnitariorum Racouiensium facundissimus, (Sandius l. c. p. 121.) in Praefat. ad librum Crellii*

de causis mortis Christi. *Ab Ecclesia scribit, adeoque salute aeterna excludi non tantum Aethi- & Paganos, sed etiam Iudaeos. & Turcos, aliosque eorum similes; immo vero & eos, qui Christianismum professi vel blasphemiae in ipsum sunt rei; vel adorationis & invocationis ipsius hostes, quae singula crimen laesae Maiestatis regiae Domini Iesu arguunt. Nec mitiori erga eum animo esse videtur Val. Smalcus, dum assumpta Theophili Nicolaidis larua in Refutatione Tractatus Borcouii de missione Ministrorum Eccl. necessaria Cap. VIII. p. 81. ait: Quod Budnaeum & Franciscum Davidis nostrae sectae homines appellat Borecouius, in eo affectui potius, quam veritati patrocinari videtur. Illi enim cum nostris perpetua fuit pugna, & tandem etiam excommunicatus diem suum obiit; Hic vero a nostris plane pro impio habitus fuit, & bodie nos pro fratre nostro neminem eorum agnoscimus qui Francisci Davidis sententiam sectetur vel defendat. Consona his sunt ea, quae idem Smalcus in Refutat. Thes. Franzii Disput. IX. p. 298. scribit: Vere fraterne tractarunt, inquit, nostri Franciscum Davidis usque ad ipsum agonem, quanquam eum ut fratrem tractare non tenebantur, qui in Iesu Christi diuinitatem tam impie inuolabat, ut dicere non dubitaret, tantum peccatum esse, eum inuocare, quantum est, si Virgo Maria inuocetur. (*) Quae tanta impietas (**)* Magistratui occasionem dedit, eum in carcerem, in quo etiam mortuus est, coniciendi.

(*) Illud scribitur in Thesi XIII.

(**) Gracchorum de seditione querela!

Caetera dabit Fasciculus sequens.



V.

A N O N Y M I,

Modestum Examen Observationis

Rev. J. J. CREMERI,

*In Psalm. XXII: 21. coll. Evangel. Joa.**Cap. XIX: 31 - 37.**Quae inserta est Biblioth. Haganae Class.**VI, Fascic. I.*

§. I.

Ut Sententia Vener. CREMERI, quae Observatione hac continetur, magna sese probabilitatis specie commendet, rationes tamen, quibus eadem innititur, uberio-rem lucem, pleniorumque adsertionem, requirere videntur. Hanc desiderans, & stu-

Aa 3

diq

364 Anonymi, Exam. Obs. Rev. Cremeri

dio veritatis indagandae unice ductus, pau-
cula haec, quae sequuntur, in chartam con-
jeci; non fane eo consilio, ut cogitata Syn-
ergistae mei censorio calamo acriter per-
stringam, aut vana Eruditionis qualiscunq̄ue
gloriola inepte superbiam: sed, ut alii, oculo-
s in Quaestionem hanc penitus defigen-
tes, remque ipsam, cum omnibus rei ad-
junctis, aequa iudicii lance ponderantes,
quid probabiliter dictum sit, ad uberio-
rem veritatis cognitionem candide profiteantur.

His praemisissis, difficultates, quibus Doct.
Cremeri sententia premi videtur, modeste
exponam. Veniamus igitur in rem ipsam.

§ 2.

Nimirum, si quid video, sententia illa
huc redit. Mortem Conservatoris nostri
ocisissimam aequae ac *atrocissimam*, fuisse omne
punctum, in quod postrema molimina Ju-
daeorum *Joa. XIX: 31.* in Jesum vivum
collineaverint. — Simplex vero crurifra-
gium, ad mortem celerrime accersendam
(quae communis fere est Interpretum opi-
nio) minime idoneum & sufficiens haberi
posse. — Proin, existimandum esse, quod
Judaica ista supplicatio, Procuratori Caesa-
ris facta, comprehenderit *duas* poenas; al-
teram summe dolorificam, puta *crurifra-*
gium;

ad Pf. XXII: 21. & Joa. XIX: 31-37. 365

gium; alteram vero lethiferam, scilicet subsequentem *percussionem lateris gladio*, vel lancea: atque hanc secundam indigitari verbo ἀφῆσεν *Joa. XIX: 31*. Cui opinioni confirmandae advocantur mores Romanorum. — Neutram vero harum poenarum, ob intercedentes Consilii Divini rationes sapientissimas, Filio Dei vivo infligendam fuisse.

Porro opinatur Vir Venerandus, ex hac demum hypothese praegnantissimum Cel. **VENEMAE** argumentum pro *Messia*, non *primario*, sed *secundario Psalm. XXII. subjecto*, penitus infringi & everti posse: quandoquidem inde patefcatur, quod *Messias omnino & sapientissime à Patre Judice flagitare potuerit, vs. 21*, ut *animam suam gladio, illamque Unicam caninae violentiae praeriperet*, ne illam experiretur.

Quam sententiam uberius adstruit, utpote à *Psalmistica phrasi*, & *contextu Sacro*, tum *Psalmi*, tum *Evangelico-harmonico*, vel privo *Joanne*, minime alienam.

§. 3.

Relegamus jam vestigia, iisque presse insistamus; Mortem ocislimam aequae ac atrocissimam Sospitatoris nostri omne fuisse punctum, in quod postrema molimina Judaeorum *Joa. XIX: 31*. in *Jesum vivum*

collineaverint; ultro concesserim; licet non videam, quod sanctionem divinam *Deut.* XXI: 22, 23. in hoc negotio spectaverint; Nulla saltem ejus mentio; solam Sabbathi illius festivam Religionem praetexere: consentit Vener. A. BUURT *Beschouw. Godgoleerdb.* part. 4. §. 1069. At vero crurifragium minime idoneum & sufficiens censeri posse medium ad mortem celerrime accersendam, ne quidem in corporibus, cruci affixis, de eo equidem vehementer dubito. Violentam illam contritionem nequaquam per se e vestigio lethalem esse, facile crediderim; Nonne autem circumstantiae (ut vulgo dicitur) vel potius rei adjuncta variant rem? Expertissimis & Celeberrimis Medicis persuasum est, ut ab iisdem accepi, idque omnino naturae rei consentaneum, multum differre, quaenam sit temperies & conditio corporis humani, sana & integra, an debilitata & luxata? quave ratione, quo instrumento crurifragium peragatur, unico, aut pluribus ictibus, levioere aut fortioere impulsu, majori an minori severitate? Contemplemur jam homines in crucem actos, cogitemus quantum dira flagellatione, & infelicitis ligni bajulatione perpesi fuerint, quantopere sanguinis effusione, violenta membrorum distentione, & partium nervosarum perforatione debilitati, defatigati,

excit.

mortem indigitandam, ubi nexus sermonis id requirit, non negaverim; — Sed meae sententiae de mortifero omnino crurifragio id non repugnat; Et sane, de cruce erant tollendi, non vivi, sed mortui, at vero Judaei non videntur loco cit. ipsam necem, sed corporum susensorum, postquam exspirassent, remotionem spectasse; scopus enim erat, ut Euangel. refert, ne corpora in cruce suspensa *manerent*; — ideo rogabant, ut *tollerentur*, utique, de cruce; mutus hic verborum respectus, oportet petitionem scopo petentium respondere, proin & ipsa, quibus continetur, verba.

Non potuit ergo Pilato subolere, aliam eamque lethiferam poenam, post peractum crurifragium, hac supplicatione intendi; In hanc igitur poenam Procuratorem consensisse, gratis supponitur.

§. 5.

Sed videntur tamen, ex mente Auctoris, mores Romanorum tali conceptui favere, qui, ut ipsisimis ejus verbis loquar, miseriam vitam crucifixorum suorum & immanes eorum dolores cito abrupturi; — eosdem *gladio*, vel *lancea confodiebant*, quin etiam *fumo* excitato nonnunquam suffocabant; — quod testimoniis quibusdam confirmatur;

firmatur; Hoc quin a Romanis factitatum sit, nullus negaverit; de eo autem non quaeritur. Sed, an moris fuerit apud Romanos, poenam poena cumulare, & fractis cruci affixorum cruribus, etiam gladii vel lancearum immisione, optatum durissimi supplicii finem accelerare? — Ejuscemodi autem consuetudinis vestigia nusquam deprehendi, & id ipsum Antiquitatum Romanarum peritissimi candide profitentur. Hac de re igitur Vener. Auctor me certio-rem faciat;

Testem posco, cui credi possit; Non enim, quid conjiciamus, sed, quid idoneo Scriptoris loco approbari possit, id demum expetitur. Quamprimum talis excitabitur testis, assentiar ultro.

§. 6.

Potuissent sane Judaei, sceleris Auctores, insolitum excogitare, & per Pilatum, cui dominabantur, inferre supplicium, utpote quorum furor non magis regebatur legibus moribusve, quam supplicia hominum, qui servi poenae facti erant, quae pro diversitate ingenii herorum, hoc est, eorum vel clementia, bonitateve, vel crudelitate varia fuerunt; in primis, in illo supplicio Domini & Conservatoris nostri multa singula-
ria

370 Anonymi, Exam. Obf. Rev. Cremeri

ria fuerunt, quae in exemplum trahi non possunt. An vero Judaei tale quid perpetraverint, de eo constare deberet ex relatione Evangelistarum; at! penes hos altum hac de re silentium! Memorant crurifragium illorum, qui socii poenae erant, sed nihil de laterum percussione quam perpesi fuerint; ecquid causae est, quod hanc non tangant, si vere acciderit? praesertim, si ad notas characteristicas Mesiae, quae sententia est Rever. Auctoris, omnino pertinuerit, ut non modo a crurifragio, verum & a confusione hac lethali immunis esset, & utrique per mortem praeriperetur, indeque patesceret, illos, quos poena junxerat, causam sublimem in supplicio separasse. Cur igitur alterum referunt, alterum silentio premunt? absit, ut in Judaeorum rationes referamus, quae non liquent. Omnibus rite perpensis, quam maxime, si quid video, existimandum, unum illum e Militibus Praetorianis lateris D. Jesu percussione, sine Pilati jussione, & praecedanea Judaeorum postulatione, quamvis non sine impiae gentis applausu, ultro & petulanter perpetrasse; forte periculum facturus, animamne jam efflaverit, an Spiritus adhuc quicquam in ipso residui esset.

ad Pf. XXII: 21. & Joa. XIX: 31-37. 37r

§ 7.

Videamus jam, an fortissimum *Celeb. Venemae* argumentum, *pro Messia non primario, sed secundo Pf. XXII. subjecto*, absque hypothese Rever. CREMERI retundi non possit. Fundus illius argumenti est in *vs. 21*, scilicet, existimat Vir Clar. verba *comm. 21.* citat. Psalmi hanc continere supplicationem: *Ne permittas, ut violenta morte occumbam, adeoque miserum illum non directe suam liberationem ex Morte, sed praeservationem ab ea expetere, ne in eam incidat; unde colligit, verba haec in Messiam non nisi sensu remotiore quadrare, quandoquidem Christus vere gladium hostis expertus, & violenta morte oppressus sit: quod Davides hic directe, & primo sensu deprecatur. Cum vero Rever. Cremerus profiteatur, se jam pridem inclinasse in eorum sententiam, quorum oculis in Pf. XXII. unus & solus observatur Messias, heic loci gloriosum illud objectum fere videbatur *ικλεπειν*; nec ante umbrae evanuerunt, quam supra memoratus conceptus de duplici poena sese oggeret; Nam in notione *praeripiendi*, verbo *הצלה* tribuenda, cum *Celeb. Venema* ipse non discordabat; Immo, in hac notione omnis fere nodus, qui *Cremerum* nostrum constrictum tenebat; In hanc notionem, totius*

tius ratiocinii vis & pondus, quam maxime recumbunt; Estne vero haec notio satis constabilita, nec ulla lis hac de re movenda? Sic opinatur Vener. Auctor, hunc sensum verbi urgens, praesertim ubi sequitur praepositio *Mem:* „ Immunis sit, inquit, ab „ illo malo oportet, ex quo sibi *ereptionem* „ *deprecatur.*” Non serviam hypothese, nec cum seditione disputabo; sed memini, me S. S. loca offendere, in quibus verbum hoc seq. praepositione: liberationem denotat non tantum, quae immunitatem a malo praestet; sed & talem, quae noxam in salutem vertit, & homines, in calamitatum voragine demersos, laetissima catastrophe, ex incumbente malorum oppressione, potenter eripit. Ita ut uno alterove teste fidem faciam, *Pf. LXIX: 15. eripe me e luto, & ne immergar; eripiar ab osoribus meis, & a profunditatibus aquarum;* qui tamen ipse conque- rebatur *vs. 3. demerger in coenum profundissimum, ubi non est consistendi locus; ingredior profunditates aquarum, & fluentum inundans abripit me;* Estne hic cogitandum de praereptione, vel, de liberatione non *ex malo*, sed *ab eo*? Addo *Ezech. XXXIV: 27. quum fragero lora jugi ipsorum, & eripuero eos e manu exigentium servitutem ab ipsis; Uti- que illi in manum hostium traditi erant, & durum servitutis jugum portaverant; proin non*

ad Pf. XXII: 21. & Joa. XIX: 31-37. 373

non immunitas ab hoc malo, sed liberatio ex illo promittitur.

Quid multis? Celeb. *Venema* ipse monet, verbum nostrum de *violenta extractione*, & *vindicatione oppressi* usurpari, & proprie notare excutere aliquid, in Comment. ad *Jerem.* VII: 10. Imo Clar. *Schultensius* nos docet, verbum hoc etiam usurpari sensu forensi de liberatione ejus, qui culpa aliqua vel crimine constrictus tenetur, in *Comment. ad Proverb.* XIX: 19. qui sane sensus a loco nostro non admodum alienus. Hanc ereptionis ideam, si hic teneamus, omnia plana, nullus nodus, nullus scrupulus; *Eventus* respondit, *Messias* enim omnibus malis ereptus e miseriarum barathro ad summum gloriae mediatoriae fastigium per resurrectionem evectus est; hujus liberationis fides ipsi data erat, hanc moribundus anhelare, hanc summa cum parrhesia flagitare poterat. *Gladium* equidem hoc sensu metonymice accipimus, pro violento mortis supplicio, quo *Magistratus*, qui jus gladii habebat, in *Messiam* severe animadverteret: atque sic a notione propria paululum deflectimus, sed hoc in causa perpeffionum Christi S. *Scriptoribus* usitatum est; vid. *Zach.* XIII: 7. quibus & ceteroquin gladii usus Symbolicus frequentatur; patet etiam me vocem canis collective accipere, & quidni? quandoqui-

§ 74 Anonymi, Exam. Obs. Rev. Cremeri

doquidem id exemplis non caret, vid. *Pf. LXIX: 7, 15.* & ejusmodi permutationes saepius occurrant. Sed, si lubet inhaerere numero singulari, referamus illum ad caput & ducem gentilium, in hoc negotio, Pilatum scilicet, qui jus gladii habebat.

§ 8.

Verum simus liberales, & demus patulisper, notionem *praereptionis & gladii* heic tenendam esse, Mesiamque supplicem rogare, ut gladio *praeriperetur*, possitne hoc referri ad perfossionem lateris Christi *Mortui*, quae lancea militis peracta est? Hoc sane non alienum a persona Mesiae, nec adeo leviculum, ut attentionem non mereatur. Enimvero Joannes Euangelista rotunde fatetur, hoc factum esse, ut impleretur Scriptura, *Joa. XIX: 34, 37.* proin, ad ipsa Mesiae *νεῖρησιν* hoc spectare; quare & tam graviter veritas facti hujus adferitur, ut de implemento vaticinii constaret, loco cit. commat. 35. seqq., non quod solo hoc eventu vaticinium impletum fuerit; illud sane, quin & crucifixionem ipsam comprehendat, nullatenus dubitandum; sed quod & hic eventus ad implementum vaticinii pertinuerit, & Sp. S. eundem intenderit, huc locus *citatus* manifeste nos ducit; habet ergo
suum,

suam pondus, & nostra omnino interest, ut factum illud attendente mente cogitemus, & diligenter perpendamus, oculos defigentes in sapientiae divinae, quae & hic sese produnt, admiranda vestigia. Viden! ut Messias, futurorum conscius, *Joa. XVIII: 4.* praegnantibus fatibus ob rationes, Patrem rogare potuerit, ne anima sua (ex hypothese loquor Viri Rever.) gladio objiceretur, quod eventus comprobavit, & simul alteram adnectere petitionem: *Et eripe unicum meam a manu canis*; respiciens crurifragium, emblematis canis apposite junctum. At vero, his concessis, nequaquam inde consequitur, quod Viro Rever. placet, Judaeos confosionem lethalem aequae ac crurifragium a Praetore Romano rogasse & impetrasse, atque hanc praecise confosionem Messiam respexisse; de crurifragio constat, secus de confosione; sufficit, Deum decrevisse, quid eventurum esset, & Messiam, appropinquante vitae termino, suspiria sua ad consilium Divini rationes, ipsi cognitas, conformasse. Festinandum erat Jehovaeh, ad patientis auxilium, ne ipsi crura frangerentur, quod hostium, sed ut latus ipsius post obitum perfoderetur, quod Dei erat consilium.

§ 9.

Sed, non opus est, ut huc deveniamus;
Bibl. Haganae Cl. VI. F. II. B b Ego

Ego ereptionem praefero, & datae interpretationi, ob rationes allatas, inhaereo, donec meliora edocear; Messias, morti, dirissimarum passionum termino, jam proximus, sciens se omnia perfolvisse, felicem tantorum malorum exitum, vehementer optabat, qui vindicem Deum adesse testaretur, & infecuta Exaltatione a supremo Numine coronaretur; hinc: *Festina Jehovab ad auxilium meum! Eripe a gladio animam meam! a cane unicam meam!* Haec ratio, haec causa, cur Jehovaeh properandum & festinandum; Quacum sequentia *vs. 22.* — arctissime & optime cohaerent, quae promissionibus Messiae factis, & spei, qua iisdem innotebatur, examusim respondent.

Favet nobis universa vaticinii series; Nec video, ecquam opem *Contextus Sacer*, tum *Psalmi*, tum *Euangelico-harmonicus*, vel *privus Joanneus* hypothesei *Cremerianae* adferat; Laborabunt sane in illo, qui Davidem suum tueri volunt, ut bene observat *Vir Vener.* sed ipsi causam suam agant; mea non est; — Id solum contendo, me non perspicere, quod, & quomodo memoratus nexus laudatae hypothesei roborandae interire possit. Ponamus, hypothesein illam non esse alienam a Psalmistae phrasi, in se spectata, vel a contextu Sacro, cum *V. tum N. Testam.*, id quod ostendere *Vir Vener.*
anni-

annititur: hocine ad persuadendum sufficit? cum certa & testata res sit, phrasés, in se spectatas, diversimode saepenumero posse accipi, quin & varios sensus cum cohaerentia, prout nobis illa apparet, & pro diverso conceptu, facile posse conciliari, ita ut nihil remotum vel alienum inesse videatur; Verum, an non ulterius progrediendum est, & ratio sufficiens vel praegnans adferenda, cur hunc vel illum conceptum aut sensum loci prae alio adoptemus? immo ratio, quae hunc praecise sensum exigat?

Sed hanc Ego (quod pace Viri Doctissimi dictum esto) etiamnum desidero, saltem oculis illa meis se subduxit; quam si Vener. Auctor uberiori luce collustrare, & fortius adstringere velit, ultro cedam, & veritati, quae suprema mihi semper erit Divinitas, grata cum mentis adfectione candide litabo. Ceterum ingeniosam, & speciosam esse Viri Venerandi expositionem, lectuque omnino dignam, lubens confiteor; Voto denique Clariss. hujus Bibliothecae Editoris accedens, heic gradum sisto. Tu, benevole Lector, hanc qualemcumque opellam aequi bonique consulas.

(*) *Multorum Doctorum gratiam hac Dissertatione inibit Amicissimus & Doctissimus Anonymus. Criticumque se prodit honestissimum & placidum. NB.*



V I.

A N O N Y M I

DISSERTATIUNCULA

A D

Pſalm. LXXII: 6.



ſperam nullus luſerim, ſi ante,
 quam *ipſa verba*, Pſ. LXXII: 6.
 יד כמטר על גו כרביבים זרזף ארץ
 exponere aggrediar, naturalem
 eorum adſpectum, indicavero.
 Is vero *ita* ſe habet: יד כמטר על גו ארץ
 זרזף ארץ / cujſmodi etiam antea
 (*verſ.* 3.) erat; ubi: ישאו הרים שלום לעם
 ונבעות בצדקתו Sic enim haec verba puto, ut
 cum

cum Rever. G. D. PAULI loquar, in *Biblioth. Brem. Clas. III. Fasc. I. pag. 68. accipienda, ut ex utroque membro, quod alteri deest, subtrahere intelligatur & repetatur.* Hoc scil. pacto: ישאו הרים שלום לעם בצדקה ונבעות שלום לעם בצדקה. Sed ad pensum nostrum.

§. 2.

Quid *bilaterum* גַּל sit! nemini jam ex אֶרֶץ obscurum esse potest. Est nempe *terra* (intelligo agrum s. campum, ut alibi saepius.) *demessa*. Nam *Radici* מַלְאִךְ omnino subest notio *metendi, demetendi, resecandi*, ut *Clariss. noster SCHULTENSIUS* in *Comment. ad. Job. I: 20. וְגַם אֶת רִאשׁוֹ & messuit caput suum*, scite, ex collat. cum אֶרֶץ pro אֶרֶץ i. q. אֶרֶץ docuit; *hac clausula adjecta: Hanc proprietatem אֶרֶץ מַלְאִךְ aperte praefert quoque derivatum מַלְאִךְ pro defectione graminis per-falcem, quae Arabibus مَلْأَكْ defective pro مَلْأَكْ vocatur.* Silentio tamen involvere nequeo alium adhuc אֶרֶץ מַלְאִךְ conspectum, non minus aptum fortassis & aptissimum, quem suggerere posset *Radix* מַלְאִךְ (litera: אֶרֶץ ex lege אֶרֶץ in אֶרֶץ transeunte.) apud *Arabes* asservata sub אֶרֶץ pro אֶרֶץ; huncce nimirum: *Sicca* sive *arida terra*. Excerptam ex GELIO, quantum,

tum, huic imagini, subserviet. Habes ibi, *Siccus* ⚡ in se contractus fuit. (ex ariditate: scil., quae apud GIGGEJUM الكر it. الكرامة nec non الكرونة audit.) Et inter derivata:

⚡ Siccus ⚡ in se contractus homo, ⚡ tales habens manus i. e. Avarus. (In Arabico est ⚡ Siccus manuum. Qui enim large dat, ⚡ Uvidus manu-

um, dicitur.) Nec non ⚡ foem. ⚡ rigidi sicciqne ligni Arcus, ut vix flexi possit.

Vel ut GIGGEJUS habet ⚡ Arcus ligno arido, quem difficulter incurves.

§. 3.

Non autem aequè lucet, quid ⚡ in sinu suo gerat. Cave tamen natales ⚡, quod cum ABEN ESRA rectè dixeris, ⚡ *galilæitarum salve-* gum.) aliunde repetas, quam à *Therm. tert. rad. defix.* ⚡ vel *med. rad. quie.* ⚡ & ⚡ Utrumque in *Conjug. Dagefianis*. Pihhel & Pyhhal, ex aequo admittere *galilæitarum* ⚡ nemo in dubium vocaverit. Illutri documento esse poterit geminum. Primum esto ⚡ unde ⚡ *Con. VII: 8. à* Al-
terum

terum erit צעציע unde צעצעים 2 Chron. III: 10. à צוע. Nec est, quod dubites ex צוע ופנה iterum, ad molliorem sc. adhamandam pronuntiationem, formatum fuisse ורה/ priori פ in literam liquidam ר abeunte. Quo modo etiam habemus כרכב Exod. XXVIII: 4. ex ככב à כבב vel כוב. Item קרקע Num. V: 17. ex קעקע à קוע vel קעע. It. porro תרתק 1 Reg. XXVII: 30. ex תתק à תוק vel תקק. Denique אראל Jof. XXXIII: 7. ex אלאל ab אלל vel אול. Nam litera י Jod in nostro זרזף existens, est tantum Index veri sui Thematidis זף, ad exemplum זרזר Prov. XXX: 31., quod est à זר.

In Bibliis, non comparet, fateor, *Thema* זף. Istud autem ideo Hebraeis reddere nolle, non esset prudentiae. Nam in *divite Arabum Dialecto* adhuc superstes est, & quidem sub ساد (rō? Zain in س Sad trajecto; de quo ε Πάνυ in *Clavi Dialectorum Coll. Praestant.* SCHROEDERO in *Observ. ad Orig. Hebr. Cap. V. §. 4.* adeundus). cujus proprietates, apud apud *Golium*, ita panditur: In *Conj. I. Aestiva* habuit, aestate commoratus fuit, aliquo loco. In II. Suffecit mihi ea res, pec. in aestatem. In III. In aestatem egit pactusve fuit. In IV. Ingressus fuit aestatem. In V. & VIII. 1. q. *Conj. I.* Aut si mavis GIGGEJUM?

Is ita incipit: الصيف pl. اصيفي aestas الصيف
 pl. صيف idem الصيفي aestivus
 صيف idem, sed cum emphasi
 aestas calida. Et paucis interjectis, طهارية
 الصيفية partes meridiei aestivae.
 يوم صيفي dies calida يوم صايف
 idem صايف idem صايفة
 dies (refinge nox) calida. Moxque iterum
 صايف في بلادنا aestate in loco constitit.
 صيفنا الارض terra aestate gavisa
 ارض مصيفا terra hujusmodi. Ad ex-
 tremum, ne omnia corrodem مصيفي
 terra tarde germinans.

§ V.

Non temere igitur, רצויה ארץ / conver-
 tere liceret, aestivam & quidem, ad vim
 suae Conjugationis, quae significationem ad-
 auget, intenditque, valde aestivam, ac ut
 ita loqui liceat, aestivissimam terram. Quod
 enim, ope טו ; in יום die, in לילה
 nocte, in טהרית meridie, rite adoptatum,
 ut jam vidimus. Habeatur adhuc זלל
 nubes aestiva. Item זמן الصيف tem-
 pus aestivum. Nec non כסוה الصيف
 vestis aestiva. Cur in טו. ארץ jure abjicias,
 non dabis?

§. VI.

§. V I.

Tali autem terrae, sive ea sit גַּל, sive זְרִיף, cui scil. Siccitas aestiva, quae קִיץ חֲרָבָה Psal.

XXXII. 4. incumbit, nihil profectò! salubrius, quam *pluvia*; praesertim in Oriente; Ubi, ut verbis *Illust. MICHAELIS* in *Not. ad Praelect. Lowthianas de Sacra Poësi Hebraeorum*, p. 23. (Edit. Oxon.) utar: *Vere & aestate flante per aliquot dies Euro agri ita aduruntur, ut vix quicquam virens supersit.* Nam, *der regen/ ut inquit PAULSENIUS* in *Lib. Ackerbau der Wozgenländer / pag. 24.* ist eine der furnehmsten ursachen von der Fruchtbarkeit des Landes. Ob rationes p. d. quas pandit *PH. MILLERUS T. II. Lex. Botan.* p. 741. scribens: **In den Regen zyn twee onderscheiden eigenschappen of hoedanigheden / waarban de eene dient om de Zouten der Harde te ontbinden/ en de aindere is eene aardagtige stof/ welke hy ontmoet in zyne opklimming/ die niet onzigtigh zout of salpeter konnen genoemt worden/ en deese beide zyn nuttig in het werk der groeiing.** *Quodcunque discrimen etiam inter מַטֵּר & רִבִּיּוּם admiseris? Nobis sane! minus perspectum ac quod est inter יָרֵד & מַלְקוּט. v. gr. Jerem. V. 24. ubi: Non dicunt in corde suo: Timeamus quae so Fe-*
hoyam,

hovam, Deum nostrum, qui dat pluviam; (In
Hebr. est מטר quod apud Mosen erat
Deut. XI. 14.) nempe (sic sumo part. ך vau,
à MASORETHIS circulo notatam). מלקוט & יורה
h. e. ut Belgae reddunt: den broegen regen
en den spaden regen / in tempore suo.
Quod breviter, sed nervose satis JONAS KOR-
TE, in sua Periegesi, pag. m. 275. his ver-
bis explicat: Früh-Regen heißt hier / wenn es im
Herbst zu rechter zeit als im October oder November /
anfängt zu regnen; Spät-Regen aber ist / wenn es
bis in den April oder bis zu Anfang des Matthes mit
Regen anhält / nach dem etwa ein Land der Sonne
näher liegt als das andere. Nisi & has ipsas
pluviae species, aut potius, ut Arabes lo-
quuntur: مطر الخريف (مטר الحريف) &
مطر الحيف (مטר الحيف) de quibus nupe-
rus Arabiae lustrator, NIEBUHRIUS, Descript.
Arab. p. 3. ita: Men heeft in de bergag-
tige streek van het Landschap Yemen eenen
regentijd / dien men Matter el Charif noemt
en welke in de drie Maanden Tamus, Ab-
en Ailul, dat is omtrent van het Midden
van Juny tot op het einde van Septem-
ber / en dus in de heetste Maanden valt /
wanneer de regen voor het Land het nut-
tigste en den Inwoneren het aangenaam-
ste is. In de beide eerste Maanden zou
hy op het sterkste zyn / en in Ailul allengs
afnemen. Men spreekt hier ook van een
Matar

Mattar es Seif; of Denten regen / welke
in de Maand Sisan vallen / doch niet lan-
ge duren. Oubertuſſchen verbaagt men
een' des te brugbarenen Oogst / hoe lan-
ger deze regen is. Sub vocabulo רינים spe-
ciatim comprehendis?

S. Y. I. I.

Alt hic, nota similitudinis quaedam, tantum
seſe offert: *Descendet* (Salomo nempe Rex,
cujus Inaugurationem, Psalmus, celebrat; ut
CL. LOWTH ait in *Prælect. Acad. de sacra Poëſi
Hebraeorum* pag. 334. Vel, Rex Messias, ut
communis habet Interpretum sententia. Nam
agit hic Psalmus, sic sonant verba DACHSELI
in *Bibl. Hebr. Accent.* ad h. l. de statu regni
Christi, tum gratiae, tum gloriae: forsitan inau-
guratio Salomonis, qui Messiae typum gerebat,
occasionem dedit hunc Psalmum consiciendi. Aut
potius, me quidem si audias, *Uterque*, Salo-
mo; ut typus, Messias ut *Antitypus*. Frustra
enim, sane! laboratur de sensu *Mystico*,
antequam de proprio & nativo satis constet.)
SICUT pluvia super demessam s. siccam terram;
SICUT imbres (yerna videl. & aestiva; sive
quod eodem tendit, est; מטר מטר וסו וסו-
וּסו repetito, pro כמטר רינים pluvia imbri-
um; ad exemplum וּשם מטרות וּ Job.
XXXVII: 6.) super aestivam s. aestivissimam
tet-

verram (per *אני עבדך* forte! quod imprimis obtinet., ut cum *Clariss. IKENIO nostro*: in *Dissert. de Liko Saronitico*, Emblemate Sponsae, ad *Cant. II: 1*: pag. 6. loquar, quando vox, aut phrasis generalior per sequentem specialiore[m] propius determinatur, ut *P[salmus] CXVI: 16. אני עבדך בן אמתך Ego sum servus tuus, filius ancillae tuae* i. e. servus tuus & quidem non emptus aut acquisitus, sed in domo tua natus. *P[salmus] XLVI: 6. נהר פלגיו ישמחו עיר אלהים קדש משכני עליך Fluvius, rivi ejus laetificabunt urbem Dei, Sanctum habitaculorum Excelsi* i. e. Urbem Dei, quae est Sanctum habitaculorum Excelsi, vel urbem Dei, & in specie illam ejus partem quae est Sanctum habitaculorum Excelsi.)

T A N T U M !



BIBLIOTHECA
HAGANA

HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA,

I N
CONTINUATIONEM
BIBLIOTHECAE BREMENSIS
NOVAE
CONSTRUCTA.

CLASSIS SEXTAE ET VLTIMAE,
FASCICVLVS TERTIVS
ET *VLTIMVS.*



AMSTELODAMI & LVGDVNI BATAV.

Sumptibus Bibliopolarum

HENR. VIROOT & JOA. LE MAIR,

MDCCLXXVII.

AMERICAN
MADAH

CONFIDENTIAL
ADVISORY

CONFIDENTIAL
ADVISORY

CONFIDENTIAL
ADVISORY

CONFIDENTIAL
ADVISORY

CONFIDENTIAL
ADVISORY

CONSPICUUS
OPUSCULORVM,

FASCICULI TERTII
& VLTIMI,

CLASSIS SEXTAE
ET VLTIMAE.

I. PETRI BOD, *Historiae Vnitariorum in
Transylvania Continuatio.* pag. 387. f.

II. IACOBI CREMERI, I. I. P. Respon-
sum ad *Examinatorem Anonymum suae
Observationis ad ps. XXII. 21. & IOAN.
XIX. 31 — 37.* pag. 474. f.

III. LITTERAE *Synodi Eboracensis & Phila-
delphiensis in America Septentrionali ad
Ecclesias Geneuensem & Helueticas, &
Harum RESPONSORIAE.* pag. 513. f.

IV. *Programma Librarium ad usum in-*

BELOTI BIBLIOTHECAM ORIENTALEM

MVS 501702V90
pag. 57.

V. *Indices in Sex Classes huius Bibliothecae*

I. *Index AUCTORUM, qui eam Symbolis sive*

Institutionum, quo etiam materia cuiusque

Symbolo, i & Classes i & paginae, ubi ex-

stant, indicantur. pag. 537. f.

II. *Index Locorum Sive S. Hieronymi*

pag. 547. f.

III. *Index Vocabulorum Hebr. & Graecorum*

pag. 553. f.

IV. *Index Rerum.* pag. 559. f.

V. *Index Rerum.* pag. 559. f.

VI. *Index Rerum.* pag. 559. f.

VII. *Index Rerum.* pag. 559. f.

VIII. *Index Rerum.* pag. 559. f.

IX. *Index Rerum.* pag. 559. f.

X. *Index Rerum.* pag. 559. f.

XI. *Index Rerum.* pag. 559. f.

XII. *Index Rerum.* pag. 559. f.

XIII. *Index Rerum.* pag. 559. f.

XIV. *Index Rerum.* pag. 559. f.

XV. *Index Rerum.* pag. 559. f.

LECTO



LECTORI AEQUO ET BENEVOLO

S. E T O.

Editor.

Ante compellendus es officiosissimè, B. L. & quidem breuibus, quam Bibliothecam hanc Haganam claudam. Etenim hic, quem Tributa Indicibus sisto, eius Fasciculus est vltimus, quo isti finem impono, postquam totidem exhibuit Classes & Fasciculos, quot Bibliotheca remensis Noua, ad cuius Continuationem condita erat, complectitur. — Quemadmodum singularis beneuolentia, qua eandem excepit Respublica Litteraria, singulares gratias postulat, ita quoque Viris Doctissimis, qui suis eam exornant Scriptis eruditis, meque in urgendo hoc Instituto iuuarunt, siue Dei fauore adhuc in viuissent, siue iam pie defunctis vel post eorum funera, magnas debeo gratias. Has itaque hoc praemine persoluo. Maiores autem & maximas

Deo O. M., omnium bonorum fonti inexhausto, quod ad absolvendum hoc institutum benignissime vitam viresque concesserit, & hoc opere hinc inde Scientiae Veritatesque inprimis sacrae excussae & promotae sint, erroribusque saepius feliciter obviam itum sit. Adsit porro numine suo mihi omnibusque, qui Instituto renouando fauent, Viris Doctissimis, mibique Amicissimis. Nimirum in animum induxi Bibliothecae Haganae simile Institutum formare, & sub Titulo Symbolarum Litterariarum Haganarum publicare, cuius primus Fasciculus proxime adparebit, quin ultimum Bibliothecae Haganae Fasciculum, si moras necit, forte praeveniet. — Quod superest, ad hoc Institutum nihil mihi exoptabilius esse poterit, quam ut gratiam Amicissimorum Virorum, qui me hucusque auxiliis suis iuvarunt, retineam, novosque Fautores inueniam, id quod maximopere ab eorum favore & amicitia rogo, flagitoque. Scripsi Hagae Comitum a. d. 17. Nou. 1777.



I.

P E T R I B O D,
 H I S T O R I A E
 V N I T A R I O R V M
 I N T R A N S Y L V A N I A.
 P A R T I S S E C V N D A E.
 C A P V T I I.

Tragoedia FRANCISCI DAVIDIS, *ex Literis Vnitariorum Transylvanorum ad IACOBUM PALAEOLOGVM datis desumpta.*

S E C T I O I.

FAVSTI SOCINI & G. BLANDRATAE
subdolae Disputationes, fraus, & infidelitas erga F. DAVIDIS. §. XX—XXV.

§. XX. *Iacobus Palaeologus ex Imperatoria stirpe* (*), *Francisco homodoxus, summus eius Bibl. Haganae Cl. VI. F. III. Cc &*

(*) Anno 1585. 22. Martii Senex Romae ob dogmata sua combustus. *Sandii Bibl. Anti-Trinitariorum* p. 58. *Hoonbeck Praef. Socin. conf. p. 57. 58.*

& *Blandratae* amicus; in initio harum turbarum *Scholae Claudiopolitanae Rector*, edidit *Tractatum* contra aduersarios *Francisci*, vbi causam eius & doctrinam tuetur, sub Titulo: *Confutatio vera & solida Iudicii Ecclesiarum Polonicarum de causa D. Francisci Davidis, in quaestione de vera hominis I. Christi, filii Dei viuentis, inuocatione, Authore Clarissimo Philosopho & Theologo, Doctore Iacobo Palaeologo.* In hoc *Tractatu*, formales exhibet *Litteras Ministrorum in Transyluania Francisci* partes tuentium; quae, quoniam *Comoediam Blandratae, & Tragoediam Francisci*, resque cognitu necessarias contineant, ne toties allegare necesse sit, prologo rescisso verbotenus hic inferi merentur. Ita ergo ibi ad *Palaeologum*, non pridem e *Transyluania* discedentem, verba faciunt: (*)

*Litterae Fratrum (i. e. Vnitariorum)
Transyluanorum ad Iacobum Palaeologum.*

Rem ab ouo repetere ideo superfedemus, quod tu paulo ante ingressum malorum nostrorum ex hoc regno discesseris, & eorum, quae te praesente acta, facta & dicta sunt, optime meminisse potes.

§. XXI.

(*) Inter Acta de *Francisco Davidis* edita, pag. 238.

§. XXI. Rectissime vero in eo sentis, quod nostris malis primam occasionem, & tanti casus, tamque inopinati causam, nebulonis (*Blandratae*) cuiusdam spurcissimi *foeda Sodomis* praebuerit. Ex eo siquidem tempore, exulcerato erga bonum virum, ut intelleximus, fuit animo, cui putabat factum suum impium innotuisse, vsque adeo; ut aedes illas, antea sibi non familiares solum, sed & amicissimas, ultra diuertere nollet; sed hospitium apud *Ioannem Adm*, hominem ad omnia scelerum & proditionum ministeria aptissimum, eligeret. Accessit vero ad hoc, summa in *D. Francisco* pietas, & erga Ministros veritatis *epicbia*, (*επιεικεια*) quae impio & *Atheo homini* in dies exacuit furorem conceptum. Nimirum, quia Ministros, veritati diuinæ ex cimmeriis emicanti tenebris, viam sternere & fores patefacere satagentibus, iuxta impium consilium impii hominis, & instantissimas petitiones, Principi affligendos, quo Doctoris libidini fieret satis, & gratiam apud suum Principem ex eiusmodi tyrannide erga pios fratres declarata iniret, nunquam voluit tradere, de quo ipse tu recte intellexisti.

§. XXII. Cum igitur ne hoc quidem consequi posset, licet saepissime tentaret, per litteras suas hoc inculcans & frequenter oc-

cinens; *Ecclesiam non habituram pacem, nisi duo vel tres ex Ministris, nouis imbutis opinionibus, Principi puniendi dederentur, quo in illis horrendum statueretur exemplum, & sic demum de veritate vltius inquirenda omnibus fraenum iniiceretur*: accessit & aliud, quo voluit astutus & vafer ille animos Fratrum experiri. *Communem esse instituendam Propbetiam* censuit, vti nosti, cui tamen ipse interesse noluit, volens tacendo potius manere Philosophus, quam multa dicendo nihil dicere. Ea res tandem multorum malorum, mater veluti exstitit. Nam cum proditores illi, quos optime nosti, acerbius a te tractarentur, & suam *Philosophiam asininam* ruere, aut saltem vacillare viderent, excanduerunt. Ab eo ergo die coeperunt clancularia cogere consilia, occultos congressus instituere, & varias in perniciem nostram moliri calumnias, *supposititias in lucem edere nomine D. Francisci Thebes*, (quas tu, ni fallor, vidisti,) eas tandem in Antitheses cogere, & sic passim circumferre.

§. XXIII. Interea *D. Franciscus* sentiens, sibi impios homines perniciem vndiquaque parare, nihil omisit quod ad sedandos furores istorum attineret, ad quod, vti sincerus erat, quaerebat occasiones, quemadmodum hoc ipsius ad Senem datae litterae, luce clarius

rius meridiana testantur, quibus Senem (*Blandratam* sine dubio intelligunt) a pessimo proposito, (cuius iam non obscura indicia videre licebat) & sanguinaria vindictae libidine auocaret. Quo quidem quantum effecerit, ex sequentibus patebit. Antequam igitur Senex manifestum se Dei, & Viri de Ecclesia & veritate bene meriti hostem denunciaret, coepit veteratorie agere de quibusdam conditionibus, quibus incautum, ad proponendum animum suum sincerum & purum, induceret; quibus quidem inconstantissimus ille non stetit, quemadmodum paulo post intelliges. Nam cum *Faustus* adesset, qui Doctorem de omnibus, etiam priuatis ad mensam habitis collationibus, & amicis disputationibus, vti scis, inuito saepius Domino *Francisco* habitis, certiozem redderet; nec tamen mentem explicare possent, quo pacto innouationis accusarent bonum Virum, eo quod ipse Auditor potius, quam Disputator esset: (aliis interea, vti scis, acerbissime exagitantibus *infaustum illum Faustum*, facem tanti incendii) per litteras primum, deinde suo aduentu coram coepit de conditionibus agere, quae tales erant, vt nullum inde periculum metuendum esset. Sed latuit anguis in herba, quas

D. *Franciscus*, eo quo erat fido certe pectore,

re, acceptauit. Eas Doctor proposuit hoc modo: *Dominus*, inquit, *Franciscus* scribat *fundamentaliter de toto negotio*; respondeat *Faufstus*; mittantur utraque Scripta ad *Fratres Polonos*; videamus iudicia illorum. *Vbi omnia habebimus, cogemus generalem Synodum, in qua proponentur utraque Scripta, & iudicet tota Ecclesia, ac quod magis approbatum fuerit & consentaneum verbo Dei, illud pro firmo & rato habeatur.*

§. XXIV. Conditiones has *Dominus Franciscus*, prout erat acquisissimus, lubenter acceptauit; maxime, quia iudicio Ecclesiae rem submitendam Doctor promisit. Et cum *D. Franciscus* valetudinarius esset, *Faufstus* tamen vrlit, coegitque indefinenter bonum Virum, vt quam primum absolueret. Laborabat in dies, quantum pro debilitate corporis licebat, vt voti faceret. *Faufstum* compotem. Licet vero olfaceret bonus Vir, sibi negotium esse cum homine vafro: nihilominus nolens Ecclesiae & veritati deesse, in opere perficiendo pergebat. Vbi vero absoluit, aliquid morae interpositum est, propter operis descriptionem. Amanuentis enim, cum negotiis forensibus Domini sui maioris ponderis occupatus esset, duo exemplaria tardiuscule describere potuit; veritus si quidem *D. Franciscus*. (quod & factum est.)

set) ne supprimeretur scriptum, si vnum duntaxat exstaret exemplar, duo conscribi voluit. Cuius rei testes, personae fide dignae, sunt non paucae. Absolutis scriptis, alterum exemplar *hausto*, qui saepius dicere consueuerat, *se non discendi, sed docendi potius causa in has terrae partes concessisse, tradidit*, his verbis: *Ecce habes mi hauste scriptum, cui, ora respondeas ex manifesto verbo Dei, sine ulla tergiversatione, posthabitis friuolis inanibusque Syllogismis, & Sophisticis Scholasticorum Doctorum consequentiis. Ille capite aperto promittit, omnia fideliter perlecturum, & intra paucos dies responsurum esse, quippe qui nullius putabat eius refutationem. Sed audi quaeso quid factum sit! quamprimum ipsi copia eiusmodi scripti data fuit, in quo sincera & pure suam in hoc negotio D. *Franciscus* mentem aperuisset, nec eiusmodi esset, quale ipse forte existimarat, quippe cuius vnico folio, per integras duas septimanas scriptitando, (vti *Adamo Litterati* ostendit) vix respondere poterat!*

§. XXV. Posthabita respondendi provincia, violataque fide promissionis, de omnibus *Blandratam* certiores facit; accusans D. *Franciscum* cum suis, ad Iudaismum praecipites ruere, *Christoque* profligato *Mosen* in Ec-

clesias introducere velle, ac similes texere, in sanctum viri propositum calumnias aggressus est. Quo intellecto Senex, putans facinoris sui patranda se optimam nactum esse occasionem, ad remedia causae suae prolabitur, totumque negotium Principi communicat. Erat tunc *Principissa*, in transitu versus *Waradinum*, non procul ab vrbe *Claudio-poli*, vno videlicet milliari in itinere; ex quo Doctor eo diuertit, cohortem suam fraude doloque instruit. Ii fuerunt quos dicit, *quinquaginta Ministri*, *Demetrius*, *Stephanus Eppelius*, alter *Stephanus*, & *Lucas* ille *Désinus* cum *Fausto*. His totam rationem tractandi negotium aperit; *Faustoque*, ex itinere vnus milliariis supra *Claudiopolim*, iubet per litteras, vt significaret D. *Francisco*, se manifestum eius hostem apud Principem declarasse, sicque inopinato acie instructa bellum indicit. Quod ipsum tamen furdaster ille Dominus *Franciscus* cum suis celauit tantisper, donec litterae Principis ad Senatum essent allatae, in quibus mandabatur Senatui, vt Domino *Francisco* ab officio docendi interdicerent, & sub custodia afferuarent, donec de eo aliter constitueret Princeps.

S E C T I O II.

FRANCISCI DAVIDIS captiuitas, & Acta
Comitiarum Thordensium 24. April. habitorum,
in eiusdem causa. §. XXVI — XXX.

§. XXVI. Redditae Litterae sunt Iudici,
Notario praesente. Sequenti vero die cogi
Senatus debuit, quo infcio Iudex rem infue-
tam & inauditam tentare non audebat; licet
non expers huius proditionis, sed dissimu-
lare volens. Interea redit domum *Lucas*,
& statim ad aedes Soceri (is in lecto decum-
bebat, & amice cum *Fausto* conferebat,
ignarus tantae fraudis, ne dicam latrocinii
& perfidiae extremae) accedit, & coepit
expostulari de hac ingratitude cum *Fau-
sto*, quod dum ad mensam D. *Francisci* vi-
uat, & in sinu prope eius versetur, calca-
neum tamen sustulerit contra ipsum. Ille se
diris deuouendo excusauit, & dixit, se ni-
hil horum intelligere. (*) *Lucas* contra in facie
homini restitit, ac significauit praesto esse
mandata Principis, quibus capi & in custo-
dia iubetur asseruari D. *Franciscus*. Tunc
primum volens audiri Vir bonus, coepit
obsecrare *Lucam Italico* Sermone, ne ita ve-

Cc 5

hemen-

(*) At in tractatu contra *Wujekium* ait *Socinus*, *Franciscum Davidis* a Ministris nostris recte damna-
tum, & haereticum, imo plus quam haereticum
iudicatum esse. Hic autem hypocritam agit.

396 P. Bod, Historia Vnitariorum

hementer in se inueheretur; (nosti enim i quam sit vehemens) se enim contra officium boni Viri nihil admisisse. Inter haec contentiones infelix D. Pastor dixit ad *Faustum*: *haec ego iam dudum praesagiebam; sed quaeſo recede hinc, noli clamare, perfice quod coepisti.*

§. XXVII. Egreſſus eſt *Fauſtus*, *Lucamque* foris praestolatus eſt. Is vbi D. *Francisco* negotium Litterarum Principis ſignificallet, domum redire voluit. *Fauſtus* in porta ipſum opperiens, coepit vehementer ſe excuſare, & ſtrenue contendere, ſe nihil contra officium boni Viri commiſſiſſe, nam ſe manibus & pedibus obnixum furori Doctoris. Sed ex acri accuſatione falſorum Fratrum, qui ambitione diuerſorum officiorum habendorum flagrant, plane excoecatum eſſe, ita, vt ipſum ne audire quidem rectius ſuadentem voluerit. Ita demum irae habenas ſe laxaſſe, idque ideo, *quod cum ipſe Doctoris ſuntibus huc adductus eſſet, & nunc eius uteretur liberalitate: indignum eſſet, ne non pareret tanto Patrono.* In huius vero rei documentum Litteras, *Italico* ſermone ſcriptas, Notario legendas dedit, in quibus Doctor duellum indicebat D. *Francisco* his verbis: *dices Francisco; me haecenus non declaraſſe coram Principe, me eſſe hoſtem eius; ſed deinceps pro eo me habeat. Fratribus vero dices, vt in iniunſto*
ipſis

ipsis negotio feruide pergant. Ista Italico erant conscripta sermone, *Lucas* nobis retulit. Negotium autem erat tale: *falsas illas Ibeses, quas tuo adhuc tempore sparserant nomine D. Francisci, circumducebant per maria & per arida, quaerentes quibus imponderent.*

§. XXVIII. Interea dum *Franciscus* captus asseruatur, finito prandio *Lucas* rursus Soce- rum inuisit. Is quaerit, quid facto opus sit? Suasit ille negotium Ecclesiae manifestandum, & cum Dominica instaret dies, si fieri posset, suggestum conscenderet, & plebem de causa suae captiuitatis certio- rem redderet, ne plebs misera, cui tot annis praefuisset, calumniis falsorum Fratrum seduceretur, & scandalizaretur in doctrina. Tunc quidem, vti *Lucas* retulit, non acquieuit illi, ipse inde abiit. Sequenti die, quia concioni *Cratzeri* interesse *Lucas* nolebat; (ipsum enim docturum putabat) a templo absuit. Circa meridiem in forum pro- dit; audit Dominum *Franciscum* pro concio- ne dixisse: *Quicquid mundus tandem molia- tur, tamen Deum unum esse, toti mundo mani- festum fore.* Sequenti mox die frequentissi- mus cogitur Senatus, conueniunt Patres Conscripti, nouitate rei consternati, quid consilii captent ignari. Deliguntur Viri pri- mores ad Principem, qui intercedant, ne
hac

hac ignominia tantum Virum, & Pastorem ipsorum afficiat: verum Princeps non acquieuit, sed in custodia asseruari bonum Virum iubet.

§. XXIIX. Superueniunt interea aliae litterae, arrestatoriae videlicet & compulsoriae. Fit inquisitio terribilis, examinantur potiores Viri Ecclesiae, ciues appello, de Concione habita, in vtroque enim Templo eodem die docuerat miser. Sed ne his quidem adhuc frangitur animus tanti athletae. Instabat festum *Diui Georgii*, ad quod partialia Comitia indicta erant D. Regnicolis trium Nationum. Eo plures, quam pro numero conuocatorum, tum Nobilium, quam plebeii status & ordinis homines conueniunt. Iubetur quoque *Franciscus* eo deferri; transit *Thordam*, qui locus designatus Comitibus erat. Nobilitas, quibus Religio curae erat, conueniunt in vnum, deliberaturi, quid in casu hoc ancipiti faciendum esset; haud immemores poenarum paulo ante in rebelles declaratarum. Cunctantes agunt omnia, solas in hac re preces, & supplices Instantias sibi superesse putantes, cum *Superintendens* suaderet, ne quisquam sui causa tumultuaretur; se enim paratum esse pro ea, quam profiteretur, veritate omnia pacisci; (forsan pati) neque tamen temere inhaerere velle

velle opinionibus, sed rectiora docturo ex sacris litterarum fundamentis, libenter cesurum. Accedit Nobilitas frequenti ad Principem legatione. Conantur flagrantem restinguere ignem; petunt obseruari conditiones, & praepropere non esse faeuendum in Virum bonum suadent: interim *Doctore, Fausto, Stephano*, vtroque *Demetrio, Eppelio*, qui septimana vna ante eo conuenerant, vt consultarent, non cessantibus igni oleum addere, & in contrarium Principem ab omni clementia abducere. Redit Nobilitas, nihil impetrat; nam omnia iam in contrarium sensum abrepta erant, quod vehementer Nobilitatem commouit.

§. XXX. Cum vero Princeps exacerbatos Nobilium animos animaduertisset, ac tumultum seditionemque futuram vereretur; distulit omne negotium in sequentis mensis primum, is *Iunius* erat: nostrum cuique domum redeundi facultate data, commissoque, vt sub priore custodia *D. Franciscus* asseruaretur. Quod vbi cognouissent falsi Fratres, accesserunt Doctorem, his verbis sollicitantes: *Clarissime atque Excellentissime Doctor, tua prudentia haecenus res rectissime est gubernata, nisi deinceps tuum adsit studium, hic liberabitur.* Tunc Doctor in haec prorupit verba: *Credite mihi, aut omnia bona amittam,*
aut

aut *D. Franciscus non liberabitur*. Sed volens eos magis confirmare, addidit: *aut ego tandem moriar, aut D. Franciscus non euadet*. Dum haec aguntur, & omnes in procinctu sunt, superuenit perfidissimus ille *Ioannes Adam* & nunciat, hostes Doctoris, i. e. *veritatis amatores de libertate Pastoris sui iam Claudiopoli triumphare*. Tunc illi: *en D. Doctor! hoc est quod dicebamus*. Excaudit ille, & sumto pallio, importunus ad Principem prorumpit, omnia haec ei denunciat, accuratius custodiri postulat, ne quisquam cum eo colloqui possit. Impetrat a Principe Praetorianos milites decem, & Capitaneum vnum, vt pro arbitrio suo illum custodiri iubeat. Nactus Ministrum ad tantum scelus peridoneum, qui accuratius, quam committi potuisset, rem omnem exsequitur. Is mandata a Principe postquam accepisset, vt Doctore in omnibus morem gereret; ad Doctorem se confert summus Religionis Christianae hostis, & quouis crudelior carnifice, litterarum aliquantulum peritus. Instructus a Doctore, Praetorianos collocat ad domum ibidem adhuc *Tborder* milites; prohibentur ab accessu Fratres, vix pueri admittuntur, qui curent eum languentem & propriis viribus de lecto surgere minime valentem. Sequenti die domum redeunt;

unt; excluduntur, proh dolor! a misero Parente liberi, Gener omnino non admittitur, vxor eiusdem magnis impetrata precibus visendi Patrem venia, a militibus comitata, ad Patrem perraro ingredi potest. Remouetur Medicus, vix magnis precibus a Principe obtinetur, quo saltem Ponfor vel Chirurgus aliquis admittatur. Interim promittitur, Pseudo-Fratribus ad rauim furentibus. Durauit custodia isthaec per mensem integrum aut amplius, vsque ad praefixum diem, is erat primus Iunii. Dominus *Franciscus* morbo *colicae* adeo debilitatur, vt iam loqui vix posset, propter *Syncofes* accidentia frequentia.

SECTIO III.

FRANCISCVS DAVIDIS *ad Comitiam Albenfia* ducitur. *Processus iudicialis contra eum instituitur. Eius accusatio. Defensio.* §. XXXI – XLII.

§. XXXI. Instabat iam dies, quo immolandus erat; iubetur sollenni custodia deduci. Iam vna septimana ante hostes descenderant *Albam Iuliam*; exsequuntur mandata quorum intererat. Infelix Pastor, vix lachrymas

chrymas continemus! nec pedes, nec manus recte mouere valens, in currum semimortuus imponitur, tota fere ciuitate lachrymis discessum eius prosequente, ipso vix haec dicente: *Iam valet, non me amplius visuri.* In tantum consumtus erat difficultate morbi, vt cum antea obeso esset corpore, solus Gener ipsum in vlnas recipiens, in currum vsque alleuare & imponere potuerit. Proceditur *Tbordam* vsque; ibi accessuri Fratres, vix magnis precibus impetrant *Petrus & Nicolaus*, vt admittantur. Incipiebat iam tunc deliquium mentis pati propter concussionem illam currus, vsque adeo, vt non sperarent superuicturum in crastinum. Inde *Enyedinum*, vbi frequentes erant nundinae, appellunt; tertio demum die *Albam* perueniunt. Afferuatur sub eadem custodia eo die; sequenti defertur in domum *Praepositurae*, & vix dum ex curru depositus erat, iubetur in Aulam induci, & datur licentia, vt Ministri, si qui velint ipsum accedere, libere id facere possint.

§. XXXII. Sed vix dimidiae horae mora intercessit, donec nimirum vestire se posset; vrgetur ad ingressum in concilium. In tanta rei celeritate, quos eligat, vt penes se sint, reperit neminem; eo quod antecum Fratribus conferre non potuerit. Re-
nituntur

in Transylu. Part. II. Cap. II. Sect. III. 403

ntuntur cuncti; tandem Generum compellat: *Age, inquit, Fili, tu esto praesto mihi; Deus, quem colo, & pro cutus veritate contendo, aderit nobis. Sed quis pro Ecclesia, aut Ecclesiae nomine, ait, loquetur? Acclamant, id ipsum Generum praestare debere. Reprehendit ille eos grauiter, ostenditque indecorum esse, ut qui Ecclesiasta non esset, vox Ecclesiae esse debeat: sed eligendum D. Nicolaum & Petrum Oudrium, se pro Socero facturum, quaecunque posset, & deberet. Acquiescunt consilio, & Deo vela committentes, vastum periculorum mare ingrediuntur, atque in aulam Principis ingressi, palatium illud amplissimum & superbum, in quo prandere solet, ascensu aegerrimo iam superant, ingrediunturque, eos comitantibus vtrinque praetorianis militibus & Fratibus quibusdam, calcem Soceri Genero tenente. Postquam vero palatii limites superassent: ecce adstat ingens hominum multitudo, quae ad *tragodiam* hanc videndam confluxerat, ut paene portarentur ab iis; facto tamen spatio accessus, ad Tribunal, paulatim coarctati vtrinque a circumstantibus, penetrant; ubi miser D. *Franciscus* ob longam aegritudinem, & afflictam corporis valetudinem vacillantibus cruribus stare coactus est, donec*

Bibl. Haganae Cl. VI. F. III. D d . III.

Illustrissimus Princeps compassione motus; subsellium illi dari iussit.

§. XXXIII. Erat concilium illud primo quidem aspectu terribile, quale videri posset *Romae*; sed Dominus adfuit illis, vt omnia contemnere potuerint. Illustrissimus Princeps pro Maiestate sua solus sedebat, veluti pro Tribunali; cuius latera vtrinque cingebat is synedrio Purpuratorum ordo; eos Equestris, tandem Nobilitatis ad miserias ipsorum diiudicandas accersitae, non paruus subsequabatur numerus; pauciores quidem ex his, qui ipsorum essent Religionis, quam pro numero aduersarum partium. Ex opposito vero, quo circulus conficeretur, a dextris, in triplici ordine accusatores ipsorum, quorum caput & os *Blandrata* erat, confederunt. A sinistris vero *Hungarienses Trinitarii*, & ex *Saxonicis* Parochis non pauci sedes occuparant. Inter has duas Presbyterorum alas, ipsi angusto conclusi angulo, a militibus Praetorianis cingebantur. Rebus sic dispositis, Magnificus *Alexander Kendi*, Vir summo ingenio, & acri praeditus iudicio, Linguae vero facundia in vtroque idioma, *Latino* videlicet & *Vngarico* admirabilis, & de litteris tam *Graecis*, quam *Latinis* praeclare meritis, is vox Principis erat, in hunc incipit fari modum: Principis studium & alacritatem in defensione Patriae;

triae; dehinc Legum custodiam solertem in Principe dignissimo, quibus potest, breui sed tamen venusta commendat oratione. Tandem sumta hinc transitione ostendit, quanto moerore Ill. Princeps affectus sit, cum intellexisset, Schismata & Sectiones in Religione, inauditasque innouationes in dies in hac Patria nostra oriri, & maxime ab eis, quorum intererat eiusmodi blasphemias in Deum & in sanctissimum verbum eius compescere. Ne vero virus hoc ulterius serperet, & pestifera doctrina errorum in hominum cordibus altiores radices ageret, sedulo se cauere voluisse, velleque pro officio; quae res etiam causa fuisset, quod D. *Franciscum Davidis* hactenus in custodia asseruari voluisset. Sed ne tumultuarie in negotio procederetur, edictum velle Celsitudinem suam, *ne quis loqui auset, nisi interrogatus*. Haec vero res, non paruum D. *Francisci* amicis incussit terrorem; verebantur enim, ne omnino indicta & inaudita causa damnaretur miser: sed mox subiecit; *his exceptis, qui se mutuo accusarunt*.

§. XXXIV. Quo finito *Doctor* surrexit, & vt a sollenni protestatione in haec verba ora resoluit: Illustrissime Princeps, Clarissimi Senatores, Egregii ac Nobiles vniuersi! Protestor coram Deo, Celsitudine Tua, ac omnibus vobis, me coacte fecisse facereque

quod facio; ego enim Dominum *Franciscum* ab anno iam, aut vltius monui, hortatus sum per litteras, ore tenus, imo & per Fratres ex professo ad illum missos, vt ab hac innouatione cessaret, aliosque compe- sceret; sed meis monitis parere noluit. Cum igitur in Ecclesia ista pericula praeuiderem, conscientia adactus huic malo praeuenire coactus sum. Ad haec D. *Franciscus* anhe- lus vti potuit respondit: *Domine Doctor! mi- mineris, me adhuc Wáradini in Disputatione di- cere, nos argumenta aduersariorum hac ratione non soluere, sed eludere. Ex quo ego tempore, in gratiam tuam, conscientiam meam captiuam te- nui.*

Haec verba *Alexander Kendi*, Doctore ad- huc respondere volente, interrupit, tali sermone: Tu vero audi *Francisce Davidis*, certissime ad Illustr. Principem perlatus est, *Te in Doctrina innouasse, & blasphemias contumelias in Deum & Filium eius Iesum Chri- stum in publicis concionibus pro suggestu iactasse, nec hoc per incertos rumores sua Celsitudo edocta est, sed hi Fratres, Discipuli & cooperarii tui, (Pseudo-fratres digito ostendens) quibuscum in eodem coetu versatus es, in eadem docuisti Ec- clesia, te apud Illustriss. Principem detulerunt, & huius accuserunt innouationis. Nunc igitur Illustriss. Princeps confessionem tuam super eo, quod suae relatum est Celsitudini, au- dire*

dire cupit, ne quis te inauditum damnari, queri merito possit. Hic D. *Franciscus* in pedes, quantum poterat, assurgit, & propius, quo vsque permissus est ad Principem, quo exaudiri ab eo posset, accessit, ac ipsum sic alloquitur: *Illustrissime Princeps, valetudinem meam aegram & fractam vides; manus siquidem Domini tetigit me, linguam ademit, ut ego pro me respondere non possim, concedatur Filio meo, (Generum capite ostendebat, manus enim amiserat iam) pro me loqui.* Haec Princeps non intellexit, quod linguam infelix D. *Franciscus* voluere vix posset; Generum, quid velit, quaerit. Exponit is petitionem Soceri sui; annuit statim Princeps; redeunt in stationem suam.

Tunc *Alexander Kendi*, aperta charta quaedam complicata quaestiones ibi denotatas in hunc proponit modum: Quaereris D. *Francisce Davidis* primum: *an hoc pro concione dixeris. Christum in precibus non esse inuocandum?* secundo, *quod, qui Christum inuocent, perinde peccent, ac si beatam Mariam, Petrum, Paulum, & alios Sanctos mortuos inuocarent?* Hic Doctor adiecit aliquid de scripto D. *Francisci*, an fateretur suum esse? Ad haec miser, quantum poterat coepit respondere, sed non poterat a quoquam intelligi. Gener igitur, qui proximus stabat, auremque ori

adhibebat, & rerum omnium iam antea peritus, beneque edoctus fuerat, respondit.

§. XXXV. Primum, quod ad scriptum attinet; *quae nostra sunt, ea nostra esse non negamus, quae vero aliena, & nostro nomine circumducta fuerunt, ea neque nunc nobis vindicamus.* Sed neque scriptum illud esse tale, quod nunc debeat defendi, vel impugnari. Stare enim se velle conditionibus vtriusque acceptatis. Nam sub Iudice adhuc litem esse, necdum sibi responsum esse, & expectari censuram Ecclesiarum *Polonicarum & nostrarum.* Quod vero ad quaestionem, inquit, meam attinet, (Soceri enim verba referebat) & quaesita Illustrissimi Principis: Hic Doctor impatienti Generi sermonis, iubet ipsummet D. *Franciscum* loqui, quo ipsemet verba & pronuntiata per iuratum Principis Secretarium annotarentur. Infelix rem aggreditur; sed cum non possent illum audire, reddita iterum Genero facultas loquendi pro eo est; pergitque. Quod, inquit, attinet ad Concionem habitam, ea haec fuit: Sumsi textum ex *Historiae Evangelicae Ioann. cap. 2.* vbi describitur inuitatio Christi & Apostolorum ad nuptias in Cana Galilaea celebratas, item defectus vini, nec non petitio matris Christi, postremo admonitio Mariae ad discipulos

pulos Filii; vt videlicet quaecunque illis Magister praeciperet, ea facerent. Ex his verbis tale concionis meae desumsi argumentum: *Quicumque cultus diuini in verbo Dei non sunt praeccepti & mandati, ii Deo grati esse non possunt. Inuocatio Christi vera cordis fiducia facienda, in litteris Sacris nusquam praeccepta aut mandata a Deo reperitur. Ergo ea non potest Deo esse grata.*

Quod vero ad secundum quaesitum pertinet, dixi: *Si vero extra Scripturam Sacram commentis humanis, & nostrae rationis ductu, rationes inuocationis Christi, seu quomodo possit inuocari, rimari & scrutari volumus: iisdem certe rationibus & Sanctos, tum viuos, tum mortuos inuocare possumus.*

§. XXXVI. Haec dum dicit & Notarius annotat, Doctor sarcastico risu subinde in haec prorumpit verba: *ad Iudaismum reditis, Domino Francisco submissa respondente voce, Domine Doctor., tu in eadem hac fuisti ante paucos annos sententia. Interim dicta Lucae conscribuntur, & Alexander Kendi subiecit: Intellexit Illustrissimus Princeps quid respondeas; etsi vero verba aliquid a quaesito discrepent; tamen sensus idem est. Ideo sua Celsitudo dicit, si negasses haec te in publico dixisse; quod hoc ex Scriptis tuis & viuis testibus comprobasset; (erant enim primores Ciues *Claudiopolitani*; & Studiosi, qui*

Concionum Domini *Francisci* auditores erant, *Albam Iuliam* pro testimonio ferendo coacti) Restat, quandoquidem sua Celsitudo hoc non scrutatur, sed neque scire satagit, verane sint haec, nec ne, *vt doceatis haec noua non esse.*

His finitis Doctor assurgit, & vermem conscientiae suae prodit, ac in haec erumpit verba: Dominus *Franciscus* dicit, me in eadem fuisse sententia. *Ego vero dico & protestor coram Deo, coram Illustriss. Principe, & tota Ecclesia, me non fuisse, neque vnquam consensisse in hoc; quin, si vel dixi, vel scripsi aliquid in hanc sententiam, nunc pro reuocato & recantato habere volo,* subiiciens, *& tu sic facies D. Francisce.* Ad haec Gener maximo zelo, ex abrupto, *non faciet,* inquit; *non enim est constantia, sed leuis viri, semel pronuntiata citra rationem reuocare.* Ad haec senex: *Noli tu, perdes te & ipsum.* Cui *Lucas* ex contemptu quasi: *fiet tandem quod Deus volet.*

§. XXXVII. Interea instat Doctor, vt Theses legantur, (nam *D. Franciscum* innouatorem esse probaturum, tam impressis, quam scriptis libris, vltro receperat) *quas ex scriptis & responso D. Francisci ad scriptum Fausti factò, veteratorie, partim mutilato & detorto scripti sensu, partim transpositis in alium sensum verbis, partim falso citatis collegerat.*
In.

in Transylu. Part. II. Cap. II. Sect. III. 411

Incipiunt legere. Gener inturbat, affirmans nihil ad rem facere. Principem enim de veritate alterutrius assertionis nolle cognoscere; sed *an noua vel recepta sit antea ista ipsorum assertio, id demonstrari velle.* Contra Doctor affirmat, pernecessarium esse; e contra Gener negat, nisi conetur in inuidiam boni viri, amici & Patris haec dici & pronuntiari. Diu inter eos dimicatum est, Principe patienter eos tolerante. Excauidit tandem Doctor, minari incipit. *Lucas* contra furorem eius exacuere nolens, forensi plane gestu & vultu toruum intuetur, hisque verbis eum compellat: *Domine Doctor, ad tribunal Illustrissimi Principis stamus uterque; parce minis, sed legibus & iustitia res agitur; eadem mihi pro me dicendi libertas conceditur, ac tibi pro te.* Hic senex volens procedere longius, ab *Alexandro Kendi*, vt modestius ageret, admonitus est, tandem resedit, perrexerunt legendo quoad voluerint:

§. XXXVIII. Cum vero absoluissent omnia, quae volebant, dicere, iussit Socerum suum *Lucas* surgere, Principem suppliciter orare; vt habita ratione primum strictissimae captiuitatis, dein etiam afflictae valetudinis, in crastinum concederet defensionem suam differri; cum etiam in criminalibus causis concedatur tertius dies reo, ad

respondendum accusatori, praeterea, & tempus effluxisset, instabat enim duodecima jam hora; praeterea ipsos imparatos esse, quippe quibus nec cum filiis, nedum cum Ministris colloquendi copia fuisset concessa. Assurgit cohors Pseudo-Fratrum, acclamat rem non debere differri; nam illum tum fuisse & debuisse paratum existere, cum haec in publicum spargeret. E contra *Lucas* allegabat, nil, antequam mandata Illustrissimi Principis ad Senatum perferrentur de remouendo a docendi munere Socero, ipsum publicasse. Sed posteaquam certior esset factus de voluntate Principis, coactum fuisse, vitandi scandali ergo, plebem de inopinato & inaudito eiusmodi casu, deque causa captiuationis commouefacere. Coepit eos tanto magis furor exagitare, ita ut e subsellis exsurgentes *Demetrius*, *Epeljus*, & *Stephanus* ille *Cumanus* alius, cum Doctore in medium prorumperent; quos Diuino auxilio mendacii conuicisset *Lucas*, (aderant enim praeter Iudicem, qui ut ipse triginta acceperat argenteos, omnes fere Senatores, quos dicti sui testes inuocabant) nisi pudore suffusi, si tamen pudere eos potuisset, obmutuissent, & in loca redissent sua. Ipsi interim relegantur, dum consultatur, an prorogatio rei in crastinum concedi debeat; efflagitantes interim ut qui accusatores ipsorum

rum essent, simul egrederentur, ne iidem etiam Iudices ipsorum fierent; sed non est concessum. Facta consultatione intromittuntur; conceditur dilatio, & libera quibusvis ad D. *Franciscum* commeandi facultas.

§. XXXIX. Interim ex iis, qui interfuerunt consultationi, item ex relatione deliberationis per *Alexandrum Kendi* pronuntiata intelleximus, quanta cum contentione obstiterint ipsius D. *Francisci* accusatores, ne in sequentem diem negotium differretur; veriti fortasse, quod & accidit, ne ex Magnatibus, qui ipsius essent Confessionis, plures interessent huic negotio, quos iam aduentare certum erat. Redeunt in hospitium quisque suum, D. *Franciscus* in carcerem deducitur. Conuenit turba Fratrum, ancipiti casu attoniti, & quid consilii capiant in re tam periculosa, ignari, aut quid in commune consulant, plane imperiti. Languet tanto magis D. *Franciscus*; nullam tamen prae se pusillanimitatem ferebat! Accedunt Nobiles, sciscitantur de causae statu; sed quid miser referat? quem multa volentem dicere, vox deserebat. Interim hortabatur singulos ne scandalizarentur in suo casu, etiamsi occumbendum sibi esset: visurum enim mundum, & re ipsa comperturum, unum esse Deum, qui solus honore diuino coli vult. Ne tamen quispiam rerum imperitus,

ritus, & refragante conscientia se se sibi adiungeret in hoc vitae discrimine; sed potius paci, quantum quisque posset salua conscientia, consuleret, donec Dominus mitiora concederet tempora, collachrymantibus subinde Fratribus, suadebat, & toto eo die negotium conquieuit.

§. XL. Illi vero, quibus negotium curae erat, libros tum scriptos, tum impressos conquisuerunt, in quibus assertio *Blandratae* & aliorum quorundam Pseudo-Fratrum de uno & quidem solo Deo vero Patre inuocando & colendo manifeste continebatur. Imprimisque Doctoris *Blandratae* tale reperiunt argumentum: *Si vlla vera adoratio & cultus Dei manifestatus fuit in Veteri Testamento; is a Christo declaratus fuit in N. Testamento. Sed solius Dei Patris adoratio & cultus declaratus a Christo. Ioh. 4.* Ergo. Item, *Catechesin* quandam ipsius, quam mediante *Parutha* in publica, seu Generali Synodo *Radrotbini* celebrata pronuntiari & publicari curauerat, in qua solum Deum Patrem inuocandum esse, clarissime habebatur. Item librum *Sommeri* contra *Carolium* publico Ecclesiae suffragio approbatum, in quo quaerebatur: *Quis inuocandus & adorandus?* & respondebatur? *Solus Deus Pater, qui lucem habitat inaccessam.* Ac alios innumeros Scripturarum locos, qui ante octennium, quinquennium & vltra publica-

ta fuerant, ante legem & edictum de inno-
uatione publicatum. Dispositis igitur omni-
bus rebus, mane facto, hora circiter septi-
ma in semihorologio Palatium iterum ex
mandato Principis repetunt, viribus vsque
adeo deficientibus, vt iam D. *Franciscus* am-
plius incedere non posset, sed a quatuor
Ministris in sede portaretur.

XLI. Facto igitur silentio & data copia
loquendi, primum omnium eandem sibi de-
fendendi libertatem dari, quae accusatori-
bus ipsis data est, contendunt, D. *Francis-
cus* cum suis. Sed impari spatio concessum
est, & omnia ipsorum dicta, producta, &
testimonia stipulae aestimatae paene sunt.
Nihilominus Principe sollenniter salutato,
& protestatione facta, procedunt. Cum igi-
tur vti praemissum est, Doctorem, accusa-
torum ipsorum caput, scriptis suis impete-
re coepissent; nulla alia ratione ipsa obuia-
re potuit, quam quod *vera sint de Patre,
sed non de Christo*; *Lucas* vero particulam
exclusiuam *solus*, vrgeret, ipso Doctore ob-
mutefcente: silentium hac de re etiam ipsi
impositum; ac vt pergeret, commissum.
Progreditur ac omnia exponit, quae ad de-
fensionem faciebant Soceri. Vbi vero absol-
uisset, scripta simulque libros, quos citaue-
rat, *Cancellarius* Illustrissimi Principis ab ip-
so exegit. Quibus omnibus per *Lucam* ip-
sum

sum depositis, iubentur exire, vel educi potius, diligenti per totam ciuitatem posita custodia, nequis Sacerdotum aut Ministrorum ipsius, vti putabatur, confessionis elaberetur. *Lucas* contra acerrime instat, vt accusatores Soceri tandem exeant; id enim omnes omnium Gentium Leges, ritus, consuetudines, iura, & constitutiones iubere. Respondetur ab *Alexandro Kendi* nomine Principis, ipsorum praesentiam in transactione huius negotii maxime desiderari, requirique, cum ex alio quopiam negotium totum melius resciri non possit, quam ex ipsis, quibuscum conuersatus sit, inque eadem Ecclesia docuerit.

§. XLII. Antequam vero educerentur, *D. Franciscus* adhuc monet Doctorem, vt respiscat, & stet conditionibus scripti: se enim rectiora monenti non detrectare subscribere; expectet iudicium Ecclesiarum *Polonicarum & Transylvanicarum*, vti ipsemet proposuisset. Cui Doctor: *visne acquiescere iudicio Ecclesiarum Polonicarum?* nostras non nominabat. Cui, *D. Francisco* respondere cunctante, respondit *Lucas*: Ecclesiae nostrae sunt liberae, a sola libertate Regni & Nobilitatis pendentes, quae vti ex aliis Regnis non dependent, ita neque Religionis nostrae libertas alio respicere debet. Ad hoc Doctor: *tu Sile, sine illum pro se respondere; aut tu pro Ecclesia*

in Transylu. Part. II. Cap. II. Sect. III. 393

Ecclesia loqueris? Ipso dicente: non pro Ecclesia, sed pro se & Socero loqui, adiecit *Alexander: noli, expecta, non negligaris & tu.* Interea D. *Franciscus* Doctori respondit: Ego me iudicio & censurae bonorum Virorum in Polonia existentium submittam, dummodo manuscriptum transmittatur. Tum Doctör: *neque amplius disputaremus de eo?* respondit. D. *Franciscus* mortem praesentens: *Ego deinceps non disputaturus sum.* Tum Doctör exclamat: optime! promittit *Polonicarum* Ecclesiarum iudicio se subscripturum: ipsi vero Poloni, trecentae videlicet Ecclesiae consentiunt in doctrina de inuocando Christo, ac pulcherrimum superinde Dialogum conscripserunt, ex quo Ecclesia intelliget ipsorum iudicium. Sed tamen, ne ipsi defuisse nos dicat quis, scriptum eius mittemus in *Poloniam*, vna cum scriptis nostris; & allatum inde iudicium, vna cum nostris & ipsius prelo submittemus.



S E C T I O IV.

Condemnatio FR. DAVIDIS. Sententia pronuntiatur. Statuta de Vnitariis reliquis.

§. XLIII — XLVI.

§. XLIII. Hoc finito educitur; iubentur & illi, qui eius essent Confessionis, exire. Deliberatio duravit per integram horam & dimidiam, D. *Francisco* saepissime dicente: *Doleo, quod vel minimam subscriptionis fecerim mentionem; & cum saepius hortaretur Generum, vt ingrederetur & recantaret illa verbe,* non est intromissus. Dum deliberatur, Amici, qui frequentes manserant in palatio, exeunt, & clam *Lucae* significant, rem in summo versari periculo; nam cum scripta essent versata & ventilata, defensio alicuius visa est ponderis. Sed quo se Princeps & Iudices expedirent & Conscientiam saluarent, horrendum & terribile accusatoribus nostris impositum est iuramentum super eo videlicet: *An ipsi fuerint participes & conscii huius innouationis & opinionis? demum, an sit blasphemia in Deum?*

Primus Doctor surgens iuravit hunc in modum: *Ego Georgius Blandrata fateor coram Deo omnipotente, & Filio eius Domino I. Christo, coram Sanctis Angelis & electis Dei,*

In Transylu. Part. II. Cap. II. Sect. IV. 419

me huius opinionis Francisci Davidis in nullo esse, nec fuisse participem, vel coniectum; affirmoque esse nouam, praeterea horrendam in Deum & Filium eius blasphemiam. Sic alii consequenter, quorum numerus continebat xxv. circiter personas. Inter quos *Demetrius* ille volens Doctorem superare, (mireris enim, quomodo certatim vnus pro alio iurare sategerit) addidit, *se pro ea aetate tum ethnicos, tum Sacros Scriptores legisse, sed non incidisse in eiusmodi horrendam blasphemiam, nisi aequaret Franciscum Iuliano Apostatae, qui iesus fulmine, sanguinem desperabundus ex vulnere crudum in aere iactasset, confitendo Christum in hunc modum: Vicisti tandem Galilaeae. Hunc non absimili oratione comitatus Ludouicus ille Szegedinus, homo iam decrepitus. Is volens fauorem Principis & aliorum captare, incipit: Vides Illustiss. Princeps, videtque confessus clarissimus, quae mea sit aetas; ab in-eunte igitur ea nunquam peperci diuinis simul & nocturnis lucubrationibus, assiduisque Sacrorum codicum lectionibus, percurri multorum haereticorum damnatas opiniones & execrabiles errores: Sed huic Francisci haeresi similem me legere non memini, super quo praemisso modo horrendum praestitit iuramentum.*

Post haec *Hungarienses* Trinitarii iurare perrexerunt; quorum vnus, (is erat Pastor Ecclesiae *Riuulienfis*, seu *Nagy Banya*) cum *Bibl. Haganae Cl. VI. F. III.* Et ceteri

ceteri omnes in necem D. *Francisci* facta conspiratione iurassent, vobis salutare conscientiam, adiecit. Ego meam conscientiam volo esse liberam, calculumque meum nolo quocumque obligare. *Fateor* vero conscientiose, me innovationis D. *Franciscum* non damnare. Nam adhuc tempore Disputationis *Wradinae*, cum fateretur unum illum Deum *Israëlis* audiendum propositum, esse solum Patrem *Christi*, exclusit a Divinitate Filium & Spiritum Sanctum, quo licet explicitè non negaverit *Christum* adorandum, implicitè tamen reuera negavit tunc etiam. Nihil igitur nunc innovasse eum dico. Quo audito ceteri graviter eum exceperunt, quod desciivisset ab eis.

Porro *Saxones* antiquam suam cantilenam canentes, se ab *Augustana* Confessione nunquam defecisse, sed nunc quoque in eadem constanter persistere, nolentes quippiam contra eandem committere causa in praesenti nullam se posse ferte censuram affirmarunt. Tandem Nobilitas nostrarum partium praesita est, quae se opinioni *Domini Francisci* potius de non adorando invocandoque *Christo* adhaerere, quam semet damnatae sententiae adversantium de eodem *Christo Deo* adorando iterum subscribere velle, prolucuta est.

Et consequenter ultimus *Alexander Kandi* nomine Principis, suo, & *Jesuitae*, Trinitatem

totam affirmans, D. Francisci opinionem tamquam blasphemam damnauit.

§. XLIV. His absolutis: intro vocantur, ubi peruenissent: in concilium, ecce accusatores apud Principem instant suppliciter, vt vitae D. Francisci conuincere velit, cum nondum capitaliter aut criminaliter pronuntiatum esset, sumto argumento ex dicto Christi &c. Interea Doctor secedens ab eis rediit ad D. Franciscum, & eum complexu tenens, haec in aurem dicebat: *Noli timere, ego inueniam gratiam apud Principem.* Respondente D. Francisco, age, age, perge: vii coepisti; multi, imo & Princeps ipse amplexum hunc osculum *Iudae* interpretati sunt. Regreditur Doctor ad suos, qui pro gratia Domino *Francisco* impetranda apud Principem instabant. Horum prolixam orationem *Trinitarii Hungarienses* exceperunt; sanguinaria plane oratione, sumta ex praecepto *Mosis*, dato de interficiendo *Pseudo-Propheeta*, confirmantes multis rationibus, omnino debere interficere Dominum *Franciscum*, tanquam blasphemum, interminando Principi in hanc sententiam: *Te, Princeps Illustrissime, custodem utriusque tabulae, hodie una, cum Geniuge, & Liberis, & omni posteritate, citamus: ex officio nostro ad tribunal trahendi Iudicis Iesae Christi, quem hic blasphemauit, se hinc viuere permittis.* Quibus auditis; Princeps siue attonitus in-

audita nouitate, siue cōmmotus impudenti inuectiua, vultum mutauit, & accersito *Alexandro* respondere iussit: *Audit Illustriss.* Princeps vestras utriusque partis orationes: promittit igitur sua Celsitudo, se daturum operam, ut ostendat omnibus, se impune tantum scelus non praetermississe. Tunc in *D. Franciscum* conuersus dixit:

Deliberatum.

Intellexit Illustrissimus Princeps totum hoc negotium, quomodo Tu tui cerebri ductu, neglectoque consensu *Ecclesiae*, in banc *Atheam*, execrabilem, & inauditam blasphemiam proruperis; & contra decreta Regni publicaueris, innouauerisque. Sua igitur Celsitudo in Te iuxta demeritum Tuum statuet exemplum, quod etiam alios ab eiusmodi fanaticis innouationibus deterrere debeat. Interim in custodia *Illustrissimi Principis* asseruaberis, donec ulterius de Te constitutur.

Hic iterum traditur militibus solus deducendus, nemoque iam amplius admittitur; imo & pileo eius diu inter praetorianos lusitatum est, & pedibus calcitratus est, tandem per Fratrem *Nicodemitam* eidem reportatus. Hic exitus eius fuit.

§. XLV. Abducto itaque *D. Francisco*, *Alexander* in haec erumpit verba: Postquam
Dñs

in Transylu. Part II. Cap. II. Sect. IV. 423

Diis fauentibus, studio & industria suae. Celsitudinis, & Consiliariorum suorum effectum est, ut scaturigo nefandae huius opinionis obstructa sit atque obturata: datura est operam eadem, ut riuuli eius omnes exsiccentur. Quo dicto, compellauit Fratres: Vidistis, quid cum capite vestro Francisco Davidis factum est. Eadem manebit poena omnem, quicumque opinioni eius damnatae adhaerere compertus fuerit. Nunc igitur, fatemini Christum esse Deum adorandum? Hic diu cunctantur, & quid respondeant, non inueniunt. Tandem ex mutua cohortatione in crastinum conantur dilationem petere; tergiuersando ad petitum non respondent. Iterum repetit Alexander: Categoricaliter inquam, respondete ad quaesitum. Tunc Petrus ille Ouarius ait: amarissima profecto mors est, sed utique postponenda libertati conscientiae. Nondum haec enuntiata erant verba; consurgit tota Nobilitas, petit supplex negotium Ministrorum in posterum diem prorogari, quod multi ignari huius rei & Confessionis D. Francisci, tanquam Superintendentem comitati sunt, visuri, quorsum res euadat. Alias etiam quam plurimas allegantes rationes, impetrant a Principe postulatum, fide iubent pro omnibus, neminem ex Ministriis interea discessurum. Dant Fratres nomina Secretario Principis, & sic dimittuntur. Cesso iam per-

cussio Pastore describere dispersionem omnium.

§. XLVI. Mane factus, is tertius erat miseriarum dies, ingrediuntur in Palatium. Seriatim proclamantur, qui adscripti erant. Ultimus *Lucas* aduocatur, igitur quid factum erat. Nam Fratres eo inscio nomina Doctori dederant, periculum euitaturi. Interrogatur, si quid haberet dicere? Dixit quae potuit, se Secularem esse Personam, igitur legem de inuolutione, Ministros, non se premere. Sed obuiatum illi confessum est. Lex enim lata statim est eiusmodi, videlicet: *deinceps non solum Ecclesiasticas, sed etiam seculares Personas eidem poenae obnoxias fore, quicumque ducem erroris & damnatae opinionis D. Franciscum sequeretur.* Ea statim lege fertur, & gratiae Principis incarcerationis traditur, donec Deum suum cognoscat, & Principis apprehendat gratiam.



S E C T I O V.

BLANDRATA *Synodum Generalem Unitariis indicit Claudiopolim ad 1. Iulii. Superintendens creatur DEMETRIVS HUNYADI. Eius Constitutiones in Consistorio Claudiopolitano 14. Septembris habito. §. XLVII. XLVIII.*

§. XLVII. Posthaec Blandrata coegit Synodum Generalem Claudiopoli ad 1. Iuliiem, ubi fere omnes Ecclesiarum de vno loco Ministri conueniunt. Commemorat illi senex, quomodo Principi promiserint, quod velint sibi consentire, & sic eos ad subscriptionem cum iuramento cogit. Sed cum se nihil efficere minis animaduerneret: alicuius quaedam astutia commotum Ministrorum animum sedare, & dolo illis imponere nititur, ut saltem nomina illorum habere, Principi offerre possit. Dat eis formam subscriptionis eam; quae quasi aliquid conditionis in se habens, leuamen quoddam conscientiarum adferre Ministris videbatur, firmans multis argumentis, non esse bonum cogere conscientias, cum alias liberae se debeant. Haec talis erat: *Libris, viuo Ioanne secundo Rege editis, subscribant, ea tamen conditione, ut si qui volunt de veritate Doctrinae,*

nae, *posfint melius edoceri*. Ministri non praecogitantes quid subesset doli, dant sua nomina, & articulis quatuor receptis, & Senatoribus XXIV. in Consistorium electis, dimittuntur. *Superintendens* per Fratrum suffragia non eligitur; eo quod *Demetrius* simpliciter ab omnibus reuiceretur. Cui Doctor vt sua adimplere posset promissa, suffragia interrumpit, ac *Ambrosium* illum *Macerum*, qui propter stuprum commissum cum suis ancillis, publice a Fratribus quibusdam accusatus, & ab Ecclesia excommunicatus est *Tbordae*, in Synodo, te praesente vti seis, hominem callidum & vafrum subordinat & ad Senatum nomine Principis mitit. Ille legationem Senatui refert, quasi Principis esset voluntas, vt qui in *Superintendentem* eligeretur, idem Ecclesiae quoque *Claudiopolitanae* praeficeretur. Quod autem *Demetrio* Fratrum suffragia inseruient, falso referebat, cum tria aut ad summum quatuor vix pro illo lata sunt suffragia; ac vt eum Senatus recipere velit, nomine Doctoris petebat, autoritateque Principis mandabat. Tum quidem Senatus eum non recepit; at postea recipere coactus est. *Demetrium* enim *Albam* secum deduxit, & Principi nomine Ecclesiae totius commendauit; & sic Princeps eum confirmauit, & Ecclesiae *Claudiopolitanae* inuitis ciuibus praefecit,

fecit, citra Ministrorum consensum. Et sic tanquam *fur & latro* aliunde ascendit, & in Superintendentem creatur.

§. XLVIII. Paucis post diebus *Demetrius* cogit Consistorium 14. die Septembris *Claudiopoli*; eo nimirum nomine, vt de Ecclesiastica disciplina aliquid instituat. Conueniente Senatu praelegitur scriptum, quod *Demetrius*, ex *Blandratae* consilio collegerat, in quo *Paedobaptismus*, *coena & alia hominum commenta*, ab Ecclesia iam diu intermissa recipere & obseruare iubentur. Senatores qui erant ex Fratibus nil prorsus concludunt, eo quod vnica ex praelectione omnia mente concipere non possunt; sed vt ad singulos eorum scriptum praelectum mittatur, quo maturius de eo iudicium ferre possint, efflagitant. Placet consilium *Demetrio & Sociis* eius. Statuitur 1. dies *Novembris*, quo iterum Senatores conueniant. Interea temporis exemplaria ad eos cum litteris mittuntur. Aduentante tandem die, conuenit iterum Senatus *Claudiopoli*, vbi disciplinae nulla fit mentio: Sed *Polonorum* iudicium ipsis proponitur, & praelegitur; cui vt subscribant omnes serio mandant cum gravi comminatione. Ex Fratibus qui praecipui erant, videlicet *Nicolaus Ztarainus & Petrus Oudrius*, annunt statim & subscriptionem promittunt, nec quicquam illis opponunt. Tres

227 I. Eod. *Historia Vitiacionum*

ad *Concilium* ex *Procuratoribus* qui tunc aderant,
Fides inter eos proponeretur. & in
scribere convenirent. *Marcus* *Episcopus*, &
Gregorius *Episcopus*, & *Antonius* *Episcopus*, ceteri
deseruerunt. Remanere negotiorum ad Generalem
Synodum *Antistites* in diebus *Epiphaniae*
suae presentiam, vel iudicio *Quintini* praesentis,
omnes fere *Ministri*, praeter paucos, sus-
scriperunt. Vix inveniuntur ex 150. decem
& sex, aut *Ioannes* & *Iohannes*, qui non subscri-
berent. His silentium imponitur, ne ad fu-
turam esse Synodum doceant, donec me-
ritis de ipsis itariatur. Eliguntur demum le-
niores duodecim, qui manibus *Bibliis* impo-
sitis, cum iuramento quodam gravi ad fi-
delitatem *Ecclesiae*, a *Demetrio* reformatae,
sele obstringunt, nec quicquam de his, quae
in *Consistorio* agerentur, cuiquam se elimi-
natos pollicentur. His peractis, volens
Demetrius ostendere, qui sint factiosi & tra-
ditores veritatis, (promiserat enim se offen-
diturum, qui sint illi) cogit omnes *Ministros*
ad *caenam* *bucollarem*, die quae sequebatur
Dominica, quod prohi. dolor! non pauco-
rum eum offendiculo, in testimonium unio-
nis & consensus fuit, & sic tandem dimic-
tuntur.

Hoc estque Scriptum Fratrum *Transylvanorum*.

CAPVI

C A P V T III.

*Additamenta Auctoris ad Litteras Fratrum
Unitariorum in Transylvania, IACOBO
PALAEOLOGO missas.*

S E C T I O. I.

*Mors FR. DAVIDIS 15. Nouembris A.
MDLXXIX. in Arce Deuensi. Antmus
Unitariorum Transylvanorum erga illum.
Iudicium eorum de S. Baptismo.
BLANDRATA fataliter perit:
§. XLIX — LI.*

§. XLIX. Voluimus, debuimus hic formales *Transylvanorum* istius aetatis *Unitariorum* inferere litteras, a *Iacobo Palaeologo* ea aetate editas; ne moderni, ea quae scripsimus, a nobismet ipsis confinxisse, cum specie queri possint. Sunt tamen, quae hic, maioris luminis gratia addi merentur, ac debent.

Contigisse nimirum *Francisci Davidis* condemnationem Anno Domini MDLXXIX. sub

ad summum ex Fratribus qui tum aderant, inuenti sunt, qui se opposuerunt, & subscribere noluerunt; *Matthaeus Pistoris, Ioannes Vduarbellyi, & Andreas Erdödi*, ceteri defecerunt. Reiiicitur negotium ad Generalem Synodum *Claudiopoli* ad diem *Epiphaniarum* indictam, vbi iudicio *Polonico* praefecto, omnes fere Ministri, praeter paucos, subscripserunt. Vix inuenti sunt ex 250. *decem & sex*, aut *decem & octo*, qui non subscriberent. Illis silentium imponitur, ne ad futuram vsque Synodum doceant, donec maius de ipsis statuatur. Eliguntur denuo seniores duodecim, qui manibus Bibliis impositis, cum iuramento quodam graui ad fidelitatem Ecclesiae, a *Demetrio* reformatae, sese obstringunt, nec quicquam de iis, quae in Consistorio agerentur, cuiquam se eliminaturos pollicentur. His peractis, volens *Demetrius* ostendere, qui sint factiosi & traditores veritatis, (promiserat enim se ostensurum, qui sint illi) cogit *omnes Ministros ad coenam bucoellarem*, die quae sequebatur Dominica; quod prohi dolor! non paucorum cum offendiculo, in testimonium vnionis & consensus fuit, & sic tandem dimituntur:

Huc vsque Scriptum Fratrum Transylvanorum.

C A P V T III.

*Additamenta Auctoris ad Litteras Fratrum
Unitariorum in Transyluania, IACOBO
PALAEOLOGO missas.*

S E C T I O. I.

*Mors FR. DAVIDIS 15. Nouembris A.
MDLXXIX. in Arce Deuensis. Antmus
Unitariorum Transyluanorum erga illum.*

Iudicium eorum de S. Baptismo.

BLANDRATA fataliter perit.

§. XLIX — LI.

§. XLIX. Voluimus, debuimus hic formales *Transyluanorum* istius aetatis *Unitariorum* inferere litteras, a *Iacobo Palaeologo* ea aetate editas; ne moderni, ea quae scripsimus, a nobismet ipsis confinxisse, cum specie queri possint. Sunt tamen, quae hic, maioris luminis gratia addi merentur, ac debent.

Contigisse nimirum *Francisci Davidis* condemnationem Anno Domini MDLXXIX.

sub

sub Principe CHRISTOPHORO BARTHORI, accusante eum *Georgio Blandrata*; qui tamen in litteris Anno 1580. 10^{ma} Ianuarii *Alba Iulia ad I. Palaeologum* datis, se immunem ab accusationibus credi voluit. Ita ergo in illis: *Dominus Franciscus voluit clamore primum respondere Fausto; deinde Tbesibus meis. Summa eius Doctrinae fuit: sepeliendum esse Euangelium, & reuertendum ad Moſen, ad legem, & ad circumciſionem. Voluit pluries turbare regnum, & fieri nouator, & rebellis Regni publici mandati. Dicebat, tantum eſſe Ieſum Chriſtum, atque Mariam Virginem inuocare in precibus. Moſen & Moſis lineam eſſe rectam, Chriſtum autem Ieſum & eius doctrinam indi-rectam. Itaque Illuſtriſſimus Princeps, cum ab aemulis D. Franciſci, dum ego eſſem Waradini intellexiſſet: iuſſit capi Dominum Franciſcum & detineri in eius, quibus habitabat, aedibus. Deinde 1. Iunii duci Thoradam ad Synodum, vt diſputaretur; & inde Albam Iuliam die 1. Iulii vbi conuenerat totum Regnum, & erat magna omnium frequentia. Contentus erat ille ſtare iudicio Eccleſiae Polonicae cum iuramento, & recantare, ſi illa aliter decreuiſſet. Verum tanquam nouator & turbator Regni, fuit condemnatus, & miſſus Deuam ad carcerem, vbi 15. Nouembris eſt mortuus. Neque credas me tam fuiſſe commotum contra eum propter Ieſum Chriſtum*

stum non inuocandam in precibus, quam propter impias eius appendices. ()*

Perfecit *Blandrata* quod antea minatus erat. Quum enim decimarum collectionem ad *D. Franciscum* pertinentium interturbaret, scripserat ad *Blandratam* inter alia: *Non puto te crudeliorem esse velle in me, quam Calvinus fuit in Seruetum; aut in te desideraueris olim esse Calvinum.* Cui ita respondit: *Nisi has cogitationes istorum dogmatum deposueris, de Iesu Christo non nominando Deo, de eo non inuocando in precibus, de eo non colendo: Ego faciam ut in Comitibus Regni, ut inuuator damneris; Et deinde disputabimus de dogmate, uter melius sentiat (**)* Factum est ita, & quidem iusto Dei iudicio: *Franciscus* enim erat primus, qui pestilentissimam *Blandratae* doctrinam & admisit, & fuit, atque publicauit. Ita fructum laboris in senectute habuit opprobrium, confusionem, & mortem in carcere, ex *pbrenesi* propudiosam, utinam non & aeternam!

Exaudita. condemnatione *Francisci Davidis*: *Paulus Károdi*, praecipuus ea aetate *Unitariorum*, quem in disputatione *Albana* Rex Arbitrum ab eorum parte constituerat, die 9^{na} *Novembris* eodem Anno 1579. litteras

(*) *Iac. Palaeologus* in confutatione Iudicii *Escl. Polonicarum.* p. 233.

(**) *Ibidem* pag. 233.

ras exaravit ad Ministros *Claudiopolitanos*; quos accusat proditionis, ignorantiae, malae conscientiae. *Blandratam* vocat viperam, indoctum, vafrum, proditorem. *Socinum Italum* insanum. Memorat *Theses* sub nomine *Francisci Davidis* esse confictas, & per hominem vaferrimum, *Thomam Gyarmati*, trium *Thalerorum* pretio emtum, in Ecclesiis disseminatas, & *Franciscum* pro vero Martyre habendum. Qualis Epistola sit illa prolixissima ac satis litterata, apparet ex Prologo, vbi *Basilium basiliscum*, *Szatbmáriu* *Szamárium*, (*) *Eppelium eb-hélium* (**) vocat. Verba ipsius ita sunt: *Paulus Kárádi seruus Iesu Christi, Pastor Ecclesiae Temesvárensis: Demetrio Hunyadina Superintendenti, Stephano Basilisco, alteri Stephano Zamárió, ac Ioanni Eb-helio, Ministris Claudiopolitanis, Fratribus Iudae Iscariotis S. D.* Ob prolixitatem exhiberi non potest; ex prologo tamen, tota qualis sit, videri potest. (**)

§. L. Quid Sacramenta valeant, & quo aestimentur pretio apud eos, qui Christi iustitia nolunt iustificari, palam est ex editis hac aetate libellis. *I. Palaeologus* de Baptismo ita loquitur: *Baptisma de quo loquuntur Euangelia, ad nos, Filios Testamentorum & Eo-
deris*

(*) *Szatbmáriu* aſinum, *Eb* autem canem Linguae Hungarorum denotat.

(**) Ex Capitulo Albenſi.

deris-Dei non pertinere, docet liber noster de argumento hoc. () Stanislus Lubieniecus vocat infantilem errorem; qui diu satis & impune ubi Christiano illuserit, nullo prorsus diuinae auctoritatis fundamento nixus, & primaeuae aliquot saeculorum praxi contrarius extiterit, integro Capite in Historia Reformationis Polonicae de Paedobaptismo oppugnato, expugnato, & reiecto tractat. Vbi refert occasionem Synodi Vengrouiensis Anno 1565. die 10. Decembris factam, qua Paedobaptismus est reiectus, (**)* & alia acta huc facientia. Reiecerant etiam in *Transyluania* Anno 1578. in Synodo Thordensi Baptismum ex communi consensu. (***) Ad evitanda tamen scandala, & ne persecutionibus occasiones subministrantur, Ecclesiis presbis concedunt, (****) Imo Sommerus Lector *Claudio-politanus* tractatum edidit de *Baptismo adultorum*, vbi demonstrare conatur, ritum illum conuenisse aetati Apostolorum; sed ad alios Christianos sequentiaque tempora non pertinere. Baptismum in *Ecclesias Vnitariorum* tandem reduxit *Demetrius Hunyadi* Superintendens,

(*) Iac. Palaeologus in confutatione iudicii Eccl. Pol. p. 368.

(**) Lubienieci l. c. Libro III. Cap. III. p. 175. 177. 179.

(***) Ex litteris Blandratae, apud I. Palaeologum l. c. p. 190.

(****) Lubienieci l. c. pag. 190.

434 P. Bod, Historia Unitariorum

tendens, & quidem ut fieret in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. (*)

§. LI. *Blandrata* postquam tot incendia excitasset apud *Transylvanos*, in contemptum abiit apud omnes fere ordines, ac praecipue Unitarios. Discessit tandem in *Poleoniam* Anno 1580. simul cum *Socino*, ubi a suo cognato, quem haeredem bonorum suorum scripserat, Anno 1582. suffocatus est. (**) Secundum vero alios Anno 1611. trucidatus. (***) Schisma vero inter Unitarios duravit ad Annum 1638. quo *Christum invocare nolentes* ad comitia *Désinum* euocati, certis Articulis, a **GEORGIO RAKOTZI** Seniore, Principe *Transylvaniae*, alligati sunt. (****)

(*) Vid. extractum *Diaetae Désiensis* A. 1638. in Concionibus *Petri Naduduari* p. 129.

(**) *Haneri* Historia Eccles. p. 304.

(***) *Memorabilia A. Caroli* Tom. I. p. 272.

(****) Vid. Extractum *Diaetae Désiensis*.

S E C T I O II.

Superintendentes Vnitariorum V. priores.

§. LII. LIII.

§. LII. Memorandi hic sunt *Superintendentes Vnitariorum* istius aetatis. Fuit primus *Franciscus Dauidis*, qui A. 1556. fuit *Lutheri* sententiae addictus, cum subscriberet Confessionem de Coena Domini tanquam Pastor Ecclesiae *Claudiopolitanae*, & Superintendens Ecclesiarum Christi Nationis Hungaricae in *Transyluania*. (*) At paulo post eam Confessionem reliquit simul cum Ecclesiis Hungaricis, adiunxitque se *Reformatis* cum eodem Superintendentis titulo, vt palam est ex dedicatione *Catecheseos* ad IOANNEM II. Regem A. 1566. *Claudiopoli* editae. Tandem abduxit *Blandrata* ad suam sententiam a *Reformatis*, factusque est primus in *Transyluania*, vti *Praeco*, ita & Superattendens Ecclesiarum, SS. Trinitatis Dogma abnegantium. Ediderat opera varia in vtraque Religione. Contra *Stancarum* ediderat sequenti titulo: *Dialysis scripti Stancari contra primum articulum Synodi Székienfis*, qui de *Doctrina* controuertitur; *Scripta per Franciscum Dauidis*,

(*) Existat ea Confessio typis edita,
Bibl. Haganae Cl. VI. F. III.

436 P. Bod, Historia Vnitariorum

*dis, impressum Claudiopoli Transyluaniae pe Georgium Hoffgreuium Anno 1555. Postquam Doctrinam de SS. Trinitate abnegauit, plurima edidit opera, tam Latina, quam Hungarica Lingua ab Anno 1567. Ex quibus apparet, eum nullam, ne minimam quidem neglexisse occasionem, pestiferam suam propagandi Doctrinam. Ad manus sunt varii eius tunc editi Libelli, qui aeterno potius sunt involuendi silentio, quam hic sigillatim enumerandi. Fuit *Franciscus* Claudiopoli oriundus, Ciuis crepidarii Filius, artibus liberalibus excultus, doctus, eloquens, facilis, Dialecticorum laqueis innutritus, captiosus, in Religione variabilis. Posteris inconstantiae & vltionis diuinae exemplum.*

§. LIII. *Compacto, machinationibus Blandratae Francisco in perpetuos carceres: arte eiusdem Superintendens creatus est Demetrius Hunyadi, qui ex consilio Blandratae Paedobaptismum, iam diu intermissum, & S. Eucharistiam reduxit in Ecclesias Vnitariorum A. 1579. edito libello de Disciplina Ecclesiastica.*

Tertius Vnitariorum in Transyluania Superintendens fuit Georgius Enyedi, Gymnasiae Claudiopolitani Moderator, & Ecclesiae eiusdem Pastor, Vir Latinae & Graecae Linguae peritus. Post fata editus est Liber sub Titulo: Explicationes locorum Veteris & Noui Testamenti

Transylv. Part. II. Cap. III. Sect. II. 437

*stamenti, ex quibus Trinitatis Dogma stabilit
t. Auctore Georgio Eniedino Superintendente
clesiarum in Transylvania, unum Patrem
um, & eius Filium Iesum Christum per Spi-
um Sanctum profitentium. I Cor. 8. (*) Li-
ber*

(*) (*Georgium Enyedinum Superintendentem Ec-
clesiarum Vnitarlarum in Transylvania, &
Gymnasii Claudiopolitani Moderatorem inno-
tuisse A. 1587. & obiisse A. 1597. 28. No-
uembr. in ipso aetatis flore memorat quoque
Chr. Sandius in Bibliotheca Anti-Trinitariorum
p. 93. & post eum I. Fabricius Parte V. p.
51. Historiae Bibliothecae Fabricianae. Prodi-
erat primum allegatum ab Auctore opus Clau-
diopoli in Transylvania in 4to, quod ibidem
prohibitum, multaque eius exemplaria com-
busta esse, nescio quo Auctore, refert San-
dius l. c. Idem postea altera quoque vice
eadem forma, ac ad imitationem editionis ori-
ginalis Transylvanicae, cum qua si non nume-
ro linearum, summâ saltem paginarum, quae
in vtraque est 441. conuenit, sine loci &
Anni mentione editum est. In Belgio, id
enim typorum docet nitor, sine die & consule
mendosissimè excusum esse ait Gustauus Georgius
Zelner in Historia Arcana Crypto-Socinismi
Aitersinae Academiae quondam infesti. Tom. I.
Cap. II. pag. 208. Praecise A. MDCLXX.
Groningae illud accidisse, probe sibi constare
asserit I. Fabricius, qui exemplar suum ibi-
dem, & eodem Anno, prelo adhuc madidum
comparauit. Vid. idem l. c. Historiae Bibl.*

ber iste *Eneydino* deferitur Auctori: at verò
 extat *Stephani Basilii*, Pastoris primum *Thor-*
densis; *Claudiopolitani* ac tandem *Békésiensis*
 MSS. cum titulo: *Responsiones perbreues ad*
obiecta

Fabric. & post eum *Zelnerus* l. c. Differen-
 tia duarum editionum illas conferenti primo
 intuitu patet; dum *Transylvanica* & originalis
 cursivis impressa sit litteris, si titulos, loca SS.
 citata; & propositiones verbaque notabiliora,
 rotundis characteribus descripta, excipias. In
 Belgica vero modo contrario haec tantum
 cursivis; illa autem rotundis litteris sint ex-
 pressa. *Librum perniciosum, & ad praecipua*
Scripturae & loca in alium sensum detorquenda
destinatum eum vocat memoratus Zelnerus l. c.
 Tom. I. Cap. I. §. XXVII, pag. 100. Refert
 idem de hoc libro sqq. Cap. II. §. XV. E. p.
 208. Quanto in pretio *Crypto-Socinianis*
 fuerit, cum disputarent *Altorsii*, supra exin-
 de demonstratum est, quod non pigri sint
 ingentem eius, sua manu describendi, ob
 ritatem operis, duo licet alphabeta cum di-
 midio complexi, laborem subire plane impro-
 bum. Cuius etiam usus valde frequens in
 causa procul dubio fuit, cur in litteris tecto
 nomine, ne quid invidiae citatio moveret,
 auctoris facta sit mentio. (Fictum nomen,
 qua *Eneydium* indicare solebant, fuit *Mon-*
uius, ut & *Fr. Davidis* illis latebat sub no-
 mine; *Liberius Erasmus*, ibid. p. 154.) Nam-
 que instar oraculorum scripturae dictorum ca-
 lumniosas eius interpretationes inter *Socinia-*
 nos

Ita contra Deum unum & Christum unum. ()*
 e apparet, stylum & polituram *Enyedii*,
 vero esse *Basilii*. Refutarunt eum, *Be-*
atus Szent-Királyi in libro, cui titulus
 est:

nos perosque veteres haberi consueuisse, in
 vulgus notum est. Quamquam diffiteri neque-
 amus, haud aequale omnes pretium ei sta-
 tuisse, & *Ruarum* praecipue in eo *quaedam*
parum firma esse, notasse, quae (ut addit)
 quia nihilominus *Achillea Socinianorum arma*
putentur, causam ipsam imperitis suspectam red-
dant. Interque haec illa potissimum, vbi lo-
 ca de Baptismo agentia v. g. Matth. XXVIII.
 contra Socinianorum consuetudinem, & ha-
 ctenus bene, de Baptismo aquae explicat.
 Propter quae nominatim eum non obscure
 carpit Smalcus in Refut. Thesum Franzii
 Lips. X. f. 318. vt alia taceamus, quae facie
 ex Epist. F Socini ad eundem A. 1596.
 16. Sept. scripta, colligi possunt. Recen-
 tiores Unitarios idem sentire, haud ita pri-
 dem litteris proditum est. Anonymus enim
 quidam scribit: *Der Herr D. Spener lies den*
Crellium-Hilpisch liegen/ und hält sich am meis-
ten mit dem Enyedino auf/ welcher bey den NB.
heutigen Unitariis in keiner grossen estime ist.
 Nouum vero *Monauii* nomen, cui interdum
 Patronymicum *Hylaei* additum est, ex allusio-
 ne ad Notissimum *Ein jeden Germanicae lin-*
guae accommodatum fluxisse, vel nobis haud
momentibus, omnes intelligent.)

*) *Haner* in Historia MS. ad Annum 1579.

est: *Vindicatio Locorum Vet. Test. aeternam Deitatem Filii & Sp. Sancti, Mysteriumque SS. Trinitatis confirmantium, aduersus Georgium Enyedinum instituta. Marburgi Anno 1619. recusae Hanouiae A. 1624. & Iustus Teurbornius in Academia Giesiana in Anti-Enyedino suo. A. 1658. (*) & alii varii. Idem Liber Patrio etiam prodiit sermone, quem ex professo refutauit Stephanus Nyilas Mélotai, Concionator Aulicus Principis Gabrielis Bethlen, in suo Speculo Trinitatis. Mortuus est Enyedius A. 1597. die 28. Nouembris, prout docent versus sepulchrales, quos, stridenti licet auena modulatos, huc transferre placet:*

Doctrinae exemplar, Sanctorum regula morum

Diuini interpres maximus atque soni:

Ennyedius iacet hac sub mole Georgius, orbis

Claudiacae Antistes, Relligionis apex.

Vnius, terraeque maris, coelique profundi

Doctor hic eximius, cultor eratque Dei.

Gymnasia,

(*) (Integer Libri titulus hic est: *Anti-Enyedinus posthumus, suo vindicationes locorum Sacrorum, tam in veteri, quam in nouo Testamento occurrentium, & veram ac aeternam Christi Deitatem inuicte demonstrantium. Giesae A. 1658. in 4to. post mortem Auctoris edidit Petrus Haberkornius.*)

in Transylu. Part. II. Cap. III. Sect. II. 441

*Gymnastii, Christiue gregis moderator in ista
Urbe, pius, felix, per duo lustra fuit.*

Mille & quingentos post, Nonagesimus annus

Implebat cursum septimus iste suum.

Bis decies quater & postquam lux moesta Nouembris

Illuxit, placida, morte solutus, abiit.

Fama, tuum nomenque vigent, semperque vigebunt

Dum manet haec tellus, dum rotat astra pokus. ()*

Matth. Thor.

Inuenta est non ita pridem aenea Tabella, cui monumentum incisum, aureisque litteris effigiatum visitur. Ea nunc in instructissima Collegii Bethleniani Alba-Nagy-Enyedensis Bibliotheca, iusto pretio acquisita conseruatur. Monumentum vero sequentis est tenoris:

**HIC SEPVLTVM IACET CORPVS
ERVDITIONE INGENII SVBTILITA-
TE ET PIETATE CLARISSIMI VIRI
D. GEORGII ENYEDI SVPERINTEN-
DENTIS ECCLESJARVM VNVM DE-
VM**

(*) Hoc Epitaphium legitur atiam in auersa tituli parte operis antea memorati.

442 P. Bod, Historia Vnitarioru

VM PATREM ET MEDIATOREM
SVM PROFITENTIVM ET PAST
VRBIS CLAVDIOPOLITANÆ QUI
LAM PER SEXENNIVM ECCLI
PARITER SEX ANNIS FIDELITER
NOQ. CVM FRVCTV ADMINIS
VIT TANDEM COLICA PASS
CORREPTVS ANNO ÆTATIS
42. EXTINGTVS EST. ANNO D
NI 1597. DIE 24. NOVEMBRIS I
QVARTA.

*Quartus ex ordine fuit Superint
Ioannes Kósa. Quem excepit Quintus
thaeus Thorotzkai. Hos qui exceperin
liqua Vnitariorum Historia enarrata
loco dabimus.*



PARS TERTIA.

DE REBUS VNITARIORVM *post fata*
FR. DAVIDIS & G. BLANDRA-
TAE *ad recentiora usque tempora.*

C A P V T I.

De Statu eorum ad Annum MDCXXXVIII.

S E C T I O I.

Comitia Albensia sub Principe GABRIELE
BETHLEN. A. MDCXVIII. *cele-*
brata. §. LIV. LV.

§. LIV. Posteaquam infelicis memoriae
Franciscus Davidis per clancularias vaserrimi
Georgii Blandratae & complicum machinatio-
nes subuersus est; *Demetrius Hunyadi* in eius
stationem collocatur, *Baptismi* & *S. Coenae*
vsus, antea intermissus, restitutus est. Con-
fessio quoque, quibus se in Transyluania
adstringerent Vnitarii, edita: nec tamen
Doctrina *Davidis* e medio tunc auferri po-
tuit, quoniam Ecclesiae *Polonicae* in eadem
sententia existentes, *Transyluanos* eiusdem
fidei per litteras & emissarios, subinde con-

firmabant. Praeualuit tamen ea Vnitario-
rum pars, quae cum *Blandrata*, *Demetrio*
Hunyadi, *Eppelio* &c. docebat Christum esse
adorandum & inuocandum, vel in tantum ac-
cedens ceteris Religionibus in *Transylvania*
receptis, Ecclesiasque prouentibus instru-
ctiores occupabat.

§. LV. GABRIEL BETHLEN Princeps
Anno 1618. in Comitibus Albensibus Vnita-
tarios Christum inuocare & adorare nolen-
tes, secundum *articulos A. 1579.* conditos,
censurae & sententiis subiecit, cum non
obligaretur eos in Regno tolerare. At vero
quoniam ex illis multi erant Viri primarii,
& potentes; insuper clam idem sentientes
cum aliis Vnitariis Christum inuocantibus,
ac conspirantes: veritus perspicax Princeps,
ne turbae in Regno excitarentur, sententia
executioni mandata non est, atque adeo in
sua perdurarunt haeresi. (*) Hoc anno
contulit *Stephanus Geleji* Professor Scholae
Albensis Reformatus, cum *Paulo Tjanadi*, Pro-
fessore *Vnitariorum Claudiopolitano* de SS. Tri-
nitatis dogmate coram Principe & Magnati-
bus. Nullus ex hoc colloquio fructus & vti-
litas,

(*) *S. Geleji* in praefatione operis Hungarici *Tükök Titka*, i. e. *Mysterium Mysteriorum*.

(**) *Meiotai* in praefatione *Speculi Trinitatis*. *Geleji*
in praefatione Libri Hung. *Válság Titka*, i. e.
Mysterium Redemptionis.

litas, praeterquam quod vbi audiisset Princeps *Tsanádium* dixisse de Christo *Deum esse factitium*, excanduit, vehementerque commotus est, blasphemiam in Christum reputando, At vero cum eius Religio esset recepta, ex cuius principiis fuisset locutus; & insuper ante colloquium de securitate assecurasset: acerrime obiurgatum, vt a talibus loquendi formulis abstineret, liberum dimisit.

SECTION II.

Comitia Albensia sub Principe GEORGIO RA'KOTZI I. A. MDCXXXVIII. 13. Aprilis; & Diaeta Desiensis A. MDCXXXVIII. 1. Iulii habita. Copia Actorum Anni MDCXXXVIII. ex Archiuo Albenfi sub Principe MICHAELE APAFI 1. Anno MDCLXIX. transsumta. §. LVI. LVII.

§. LVI. Disputabant inter se Vnitarii *inuocantes* & *non inuocantes* Christum, ad Principatum vsque *Georgii Rákotzi senioris*, prout ex complanatione Anni 1638. palam est. Nam *non inuocantes* seu *Francisci Davidis* asseclae, vbi innotuissent anno 1635. clarius: Princeps dehortatus eos a sententia, suavit,
Christum

Christum inuocarent, quod ni facerent, etiam actione legali aduersus eos in Diaeta processurum. Cumque duros se & inexorabiles praestarent, Anno 1638. die 13. *Aprilis* in *Comitiis Albensibus* conclusum est, vt qui ad terminum in Diaeta anni 1635. praefixum non conuertentur, *Director* termino Diaetae in *Dés* celebrandae non expectato, eos euocet, & coram Iudicibus e tribus Religionibus delegatis decidi curet, qui per *Directorem* inuestigati *notas* subiecti sunt. Vbi itaque viderent sententiam anni 1618. iam nunc executioni mandari: alii orthodoxam amplexi sunt religionem, alii obligarunt se ad Christum inuocandum cum ceteris Vnitariis; declaratum quoque est, quod qui id facere renueret, non esset tolerandus, cum receptae non esset Religionis. (*)

§. LVII. Acta *Diaetae Désiensis* in negotio Religionis, prout e *Capitulo Albenfi* sub authentia sunt deprompta per *Petrum Koušznoi* Superintendentem Reformatorem, quoniam faciunt ad historiam Vnitariorum huius aevi intelligendam, placet exhibere.

Nos Requisite Litterarum & Litteralium Instrumentorum in Sacristia siue Conseruatorio Capituli Ecclesiae Albensis Transylvaniae repositorum & locatorum, ac aliarum quarumuis Iudicialiarum Deliberationum, Legitimorumque Mandata.

(*) *Steph. K. Geleji* in praefatione *Tiskok Tiska.*

in **Transylu. Part. III. Cap. I. Sect. II. 447.**

datorum Principalium Executores, Damus pro memoria per praesentes, quod Nos Litteras Illustrissimi ac Celsissimi Principis Domini Domini Nostri Clementissimi Requisitionarias pro parte & in Persona Reuerendi ac Clarissimi Domini Petri Kouáshnai Ecclesiarum Orthodoxarum per Transyluaniam Superintendentis, honore & obedientia, quibus decuit, recepimus, in haec Verba:

MICHAEL APAFI, Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus, & Sicularum Comes, Nobilibus Requisitionibus Litterarum & Litteralium Instrumentorum in Sacristia siue Conseruatorio Capituli Ecclesiae Albensis Transylvaniae repositorum & locatorum, ac aliarum quarumlibet Iudiciariarum Deliberationum, Legitimorumque Mandatorum Nostrorum Principalium Executoribus, Fidelibus Nobis Dilectis Salutem & Gratiam Nostram. Exponitur Nobis in Persona Reuerendi Petri Kouáshnai, Ecclesiarum Orthodoxarum per Transyluaniam Superintendentis, qualiter idem paribus Litterarum Vniuersalium Confirmationalium Superintendentis Ecclesiarum Valachicalium ac earundem Ecclesiarum Pastorum Donationum; & Ecclesiarum Vnitariarum complanationem de Religione, nec non Illustrissimi quondam Principis *Georgii Rákotzi* contractualibus de Clenodio nouem millia Imperialium Tallerorum valente, per
eun-

eundem Illustrissimum Principem oblato, ad praesens pro iurium suorum tuitione ac defensione plurimum indigeret, essentque necessariae, pro eo fidelitatibus Vestris horum serie committimus & mandamus firmiter, quatenus acceptis praesentibus Litteras praescriptas confirmationales, Donationales & contractuales, complanatoriasque in sacristia siue conservatorio istius Capituli Vestri repositas & locatas, diligenter requirere, & inuenire, requisitorumque & reinuentorum tenorem in Transumpto Litterarum Vestrarum sub sigillo vestro Capitulari sine diminutione & augmento variationeque aliqua eidem Exponenti Iurium suorum uberiorem futuram ad cautelam necessariam extradere modis omnibus debeatis & teneamini, cauentes tamen, ne fraus aut dolus hac in parte accedat aliqualis, secus non facturi. Datum in Ciuitate nostra Alba-Julia, die 3. Mensis Februarii. Anno Dni 1669.

Quibus receptis nos tali mandato suae Celsitudinis obedire & satisfacere cupientes, vniuersa protocola & Registra Capituli huius nostri requisuimus & euoluimus, vbi post diligentem requisitionem reinuenimus Confessionem Religionis vnitariae in Transyluania receptae, statibus & ordinibus Regni Albae Juliae A. 1638. exhibitam. Item Consensum Ministrorum Vnitariae Religionis, & Complanaationem controversiae de Diuinitate,

tate, Adoratione & Invocatione Iesu Christi in oppido Dés & conuentu ibidem celebrato factam, in forma Libri confectam, Illustrissimi ac Celsissimi Principis GEORGII RAKOTZI similiter, eiusdemque Consiliariorum & Delegatorum Chi-rographis & sigillis communitam, hoc tenore:

Confessio * recepta Vnitariae Religionis in Transyluania per Honorabilem Danielem Beke superintendentem eiusdem receptae Religionis Vnitariae, ac alios sibi adhaerentes, in generali vniuersorum Dominorum statum Trium Nationum in Transyluania, partiumque Hungariae, eidem incorporatarum conuentu Albae Iuliae pro festo Beati Georgii Martyris & Militis, die scil. 23. April. proxime elapsi in hoc Anno praesenti 1638. celebrato exhibita, huiusmodi tenoris:

Hiszünk á Jésus Kríztusban, mi egy Urnakban, á ki által mindenek vagynak 1 Cor. VIII. A magasságbeli Istennek Fiában, Luk. I. A ki által az utolsó időben az Isten szöllött; Sid. I. A ki Urrá és Kríztussá tött, á ki mindeneknek örökösévé tött Koloss. I. Eféz. I; 4 és 5. Egyeden egy Közbenjárónak, 1 Tim. 2. Előknek és meg holtaknak Királyának és Birájának Ján. XII 18. 19. Act. X.

Ez Istennek Fiát sem láthatatlannak, sem halhatatlannak, sem mindenek felett való Istennek, sem á kítől mindenek, leitenek volna, vagy magától Istennek nem mondjuk Soha, hanem Istentől való Istennek, világosságtól való világosságnak, igaz Istentől való Istennek, á bölcs Istentől való bölcsnek, és az halhatatlantól való halhatatlannak és hogy ezek adatatának, az Isten Fiának, amaz Embernek, á ki fogon-

* A. Confessio vnitariae Religionis, A. MDCXXXVIII. 23. April. Albae-Iuliae exhibita.

fogantott szent Lélekkel, szellemmel. Ez a Mária, a mely mind ezeket az Atya ő neki adta.

Ezeket pedig vallásunk szerint mondjuk, hogy világosan meg érthesse minden, hogy a Krisztus mindeneket az Atyától vett, és magától semmije minden. Valjuk, hogy a Jézus Krisztus Istennek amaz egy Fija, kiről gyakorta Isten az Egből tanubizonylágot tört, *Mát. III: 17. Luc. III.*

E's a kő régen az Aézonyi állarnak magvából adandónak meg ígért. *Genes. III. annakutána a Patriarkának az Abrahámnak magvából Gen. XII: 18. 23. és 26. Ab. III. Esai. XLII.* Ennekutána Dávidnak az ő Magvából. *Psal. II: 83. 110.* Es a kiről csak egyedül nem másrol senkiről egyébről jövendőknek minden Proféták és kiváltképen Móses proféták mondván: Profétát vánszát a te Urad Istened tenéked teközzüled a te Atyád fial közzül hozzáp hasonlót. *Deut. XVIII: 15. Afor. III: 22. VII: 37.* Ugyan azon látható Jézus Krisztust mondjuk hogy az Atya Istennek Egyetlen egy Szülött Fia. *Joh. I: 14.* E's minden tetemzet álarok és holtak között első Szülött. *Kol. I. Sid. I.* melyen kívül más nintsen. *Esai. 45.* Ez a ki a világnak végezet után az Atyának albja vetterik. *1 Cor. XV.* Ugyan az igaz Istennek is valjuk lenni *1 Joh. V. Luc. XX. Matth. XXVIII. Apoc. V. Joh. X.* Az hol kivétképen az ő Istenlége a meg szentelő Lélek által, és az el vett hatalom által világosan, meg mutattatik, a ki, tisztelünk és segítségre hívunk az Atya után az ő parantolatja szerént, és az Apostoloktól előnkbe írt, regula szerént, a kik őjet segítségre hívták, nem úgy mint Magasságbéli nagy Isten, hanem úgy mint annak Fia, mi Közbenjárónkat, Urunkat, Messziáfunkat és Megváltónkat. Valjuk azért, hogy mi nem akarunk egyebet tudni, hanem a Jézus Krisztust, azt is a Kimeg szentetett. *1 Cor. II.* A ki mind örökké áldando Isten. *Rom, IX.*

(Confessionem hanc, quo ab omnibus intelligi possit, ex Lingua Hungarica, qua est concepta, ea qua par est fide in Latinum transferendam duxi. Ita vero illa sonat:

Cre-

in Transylu. Part. III. Cap. I. Sect. II. 451

Credimus in Iesum Christum, Dominum nostrum vnicum, per quem sunt omnia, *1 Cor. VIII.* in Filium Dei altissimi, *Luc. I.* per quem vltimis temporibus Deus loquutus est, *Hebr. I.* quem Dominum & Christum omniumque haeredem, *Coloss. I. Ephes. I: 4 & 5.* Mediatorem vnicum, *1 Tim. II.* Regem, & mortuorum aequae ac viuorum iudicem *Ioban. XII: 18, 19. Actor. X.* constituit.

Huocce Dei Filium nec inuisibilem, nec immortalem, nec super omnia vel ex quo omnia, nec a se ipso Deum esse vnquam asserimus; sed Deum de Deo, lumen de lumine, Deum de Deo vero, sapientem de Deo sapiente, immortalem de immortali, haecque omnia data esse Filio Dei, Homini illi concepto de Sp. Sancto, & nato ex Virgine Maria, quandoquidem haec omnia Pater illi dedit.

Quo autem clarius a quibuslibet haec omnia intelligantur: Confessioni nostrae conformiter asserimus, Christum omnia a Patre accepisse, nec quicquam a semet ipso habere. Confitemur Iesum Christum esse vnicum illum Dei Filium, de quo Deus saepe testimonium de coelo perhibuit, *Matth. III: 17. Luc. III.* & quem olim de semine mulieris, *Genes. III.* deinde Patriarchis ex semine Abrahami *Genes. XII: 18. 23. & 26.*
Bib. Haganae Cl. VI. F. III. G g. Affer.

Aëtor. III. *Iesai.* XLIII. Dauidi tandem ex suo ipsius semine, *Psal.* II: 83. 110. exhibendum promisit, & de quo solo, neque praeter eum de quoquam alio Prophetæ omnes vaticinati sunt, praesertim vero Moses prophetauit dicens: Prophetam tibi fuscitabit Dominus Deus Tuus e medio tui, ex fratribus tuis mei similem *Deut.* XVIII: 15. *Aëtor.* III: 22. VII: 37. Eundem Iesum Christum visibilem vnigenitum Dei Patris Filium, *Iob.* I: 14. omniumque creaturarum & mortuorum primogenitum esse aimus. *Colof.* I. *Hëbr.* I. praeter quem nullus est alius *Iesai.* XLV. Hic ille est, qui post seculorum consummationem Patri subiicietur. *I Cor.* XV. Eundem verum simul esse Deum profitemur *I Iob.* V. *Luc.* XX. *Matth.* XVIII. *Apoc.* V. *Iob.* X. vbi per Spiritum imprimis sanctificantem, & per potestatem ei concessam diuinitas ipsius manifeste declaratur. Quem adoramus & inuocamus post Patrem, secundum mandatum eius, atque regulam ab Apostolis nobis praescriptam, qui illum non tanquam Deum vnicum altissimum, sed tanquam huius Filium, Mediatorem, Dominum, Messiam, atque Redemptorem nostrum inuocarunt. Confitemur igitur nos nihil quidquam aliud scire velle, nisi Iesum Christum eumque crucifixum. *I Cor.* H., qui est Deus benedictus in secula. *Rom.* IX.)

b. Cor-

in Transylu. Part. III. Cap. I. Secti II. 453

b. *Consensus, Ministrorum unitariorum de Adoratione I. Christi, Claudiopoli A. MDLXXIX. 2 Iulii concinnatus, & A. MDCXXXVIII. I. Iul. in Diaeta Desiensis Principi oblatus.*

Consensus vero Ministrorum eiusdem unitariae receptae Religionis in Anno Dni. 1579. 2 Iulii Claudiopoli congregatorum de Diuinitate, Adoratione, Inuocatione, Regnoque Christi, & Libris sub Rege serenissimo quondam IOANNE SECUNDO Electo Hungar., impressis ac publicatis conscriptus. Exhibitus vero Illustrissimo ac Celsissimo Principi Dno Dno GEORGIO RAKOTZI, Dei Gratia Principi Transyluaniae, partiumque Regni Hungariae Domino & Sicularum Comiti, Domino nostro Clementissimo, ac eiusdem Consiliariis ceterisque praecipuis Delegatis Personis in congregatione in oppido Dees ad primum diem Iulii ex vniuersorum Statutum, & Ordinum Regni communi deliberatione per eundem Dominum Principem nostrum indicta, sequitur hoc verborum tenore:

I. Credimus & confitemur Iesum illum a Nazareth esse Filium Altissimi vnigenitum, dicique Deum iuxta genumum sensum s. scripturae propter has causas:

1^o) Quia conceptus est de Spiritu Sancto Matth. I, Luc. I.

454 P. Bod, Historia Vnitarianum

- 2°) Quia vnctus est Spiritu Sancto prae omnibus confortibus, & accepit Spiritum sine mensura. *Iob. III. Hebr. I. Act. X. Luc. IV.*
- 3°) Propter Maiestatem & Gloriam; quam Pater in coelo & in terra, postquam resurrexerit a mortuis, plenarie dedit. *Rom. I. Phil. II. Matth. XXVIII. Ephes. I. Act. II.*
- 4°) Quia Deus Pater in plenitudine temporis restaurauit & condidit omnia per ipsum, deditque illum nobis, vt per illum saluemur & vitae aeternae haereditatem accipiamus.

II. Hunc eundem Iesum Christum credimus colendum & adorandum esse; quia Pater dedit omnia Filio *Matth. II: 27. Iob. V: 22.* & praecepit, ut illum audiamus, in ipsum credamus, ipsum colamus, & adoremus. *Matth. III: 17.* Ideo omnes thesauros scientiae & sapientiae in eo abscondidit, *Colos. II.* ut ex plenitudine eius & nos omnes accipiamus *Job. I: 16.* ut scilicet colentes filium, colamus Patrem, credentes in Filium, cre-

credamus in Patrem, qui Pater in Filio honoratur. *Job. V.*

III. Confitemur, quod Iesus ille verus Messias dum fuit in terris, contulit, & etiam nunc confert bona Spiritualia fidelibus per verbum & Spiritum, ideoque inuocandus est, propterea enim a Deo Patre in ipsum bona omnia collata sunt, vt illa ab ipso confidenter in nostris necessitatibus petamus & speremus. Hinc postquam exhibitus in mundum venit, ad illum, multi confugerunt, dixerunt, *Iesu, Fili David, miserere mei, Matth. XV. Marc. X.* Item, *Domine Iesu! suscipe Spiritum meum, Act. VII.* neque tamen vt Deus ille Pater, in quo omnia, inuocatur *1 Cor. VIII.* neque etiam ea forma inuocationis, qua Patrem inuocamus dicendo, *Pater noster &c.* sed ea ratione, vt quod Deus Pater illi contulit certi simus nobis Christum id opulenter largiturum, quemadmodum ipse promisit, *Quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam Iob. XIV.* item, *Ego dabo vobis os & sapientiam Luc. XXI.* item, *Vitam aeternam dabo eis, Iob. X.* Neque enim eo pacto Mediator noster est, vt nihil nobis conferat, aut quod ab eo nihil petendum, exspectandum, atque etiam sperandum sit; cum eo fine omnia a Deo Patre suo coelesti acceperit, vt ab ipso ea omnia in nos, tanquam membra ipsius deriuarentur.

IV. Dicimus etiam cum sacra scriptura, quod Iesus ille Christus, qui dicitur caput nostrum, sit nunc quoque Ecclesiarum Rex, & regat per Spiritum suum fideles suos, *domineturque super viuos & mortuos*, Rom. XIV. imo, quod *regat omnia verbo potentiae suae*, Hebr. I. Nam Christum ideo Pater nobis dedit, ut in suis Fidelibus nunc regnet, & illis vitam aeternam conferat, & *ipse sit solus sub coelo, in cuius nomine nos saluos fieri oportet*. Act. IV: 12. Et quamvis dicatur I Cor. XV. tunc habiturum finem, quando Christus tradiderit regnum Deo & Patri, & cum omnia fuerint ei subiecta; non tamen ex eo consequitur Christum nostrum Deum, Regem, nunc non esse, cum ibidem dicatur, oportere illum regnare, donec illi omnia subiiciantur.

C. Complatio Controversiae de Divinitate & Adoratione J. Christi, in eadem Diaeta Désiensis 7. Julii composita.

Complatio eiusdem controversiae de Divinitate, adoratione, Inuocationeque Domini nostri Jesu Christi, superioribus annis circa praemissam Confessionem & Consensum inter dictum Daniëlem Beké & caeteros eidem adhaerentes, ab altera vero parte Honorabilem Matthiam Razium

in Tranfylu. Part. III. Cap. I. Sect. II. 457

uim Ministrum receptae Vnitariae Religionis in ciuitate Colofuar, (Claudiopolis) ac alios sibi adbaerentes exorta, ac agitata per dictum Dominum Principem nostrum Clementissimum, ejusdemque Dominos Consiliarios, Delegatasque ad id praecipuas Personas, rigore publicae constitutionis in Generali Conuentu Albano, Sancita in oppido Déés & Conuentu ibidem celebrato facta, quae sequitur in haec verba;

A' miképen David Ferentz kondemnálása után *Demoftrius Hunyadi* Püspöknek idejében az Vnitaria Religion lévő *Ministerek* e-zen meg egyeztenek, hogy az Ur Jéfus Kristusnak az Atya Istentől adatott Istenféget vallani, igaz Istennek hirdetni kell, imádni és segítségül hívni, segítséget tőle kérni, ez ellen pedig senki, se titkon, se nyilván ne tanítson, prédikállyon, és énekeljen, á Jéfus Kristust pedig tisztelettel imádják, és Directe segítségül hívják, ugy mint kinek hatalma vagyon idvezíteni, el-is kárhozzatni az Embereket. Ez pedig, az Ekklesiástika Discipulinának harmadik Artikulusának, *de officio Ministrorum*, világosabb decláratiójára az *Ecclesiastica Discipulina* *verbo tenus* bé irattassék. Kinek bé iratát nem *difficultálhatják*, mert in *loco publico* mind á Püspök melette lévő *Ministerekkel*; mind pedig az *Vnitaria recepta Religion* lévő *Fü. Emberek* sponte meg vallották, á mit azért: ilyen publice vallottak és vallanak, méltán á *Disciplina Articulusábanis* bé irattathatik.

A' *Sacramentumok* *administra-*lásában-is légyen á *recepta vnitaria Religio* az *Ecclesiastica Disciplina* szerent. A' kis gyermekek Atyának, Fiának, és Sz. Léleknek nevében kereftelteszenek meg. Az, Ur varorájában á pohár á *communicanjoknak* kezekben adattassék, magok igyanak beöle, mint az *Vnitaria Magyar Ekklesiában*.

Akárminémü *injuriák* és *bántodások* löttenek volt *ultra citroque*, *Sörös Mátyás* és á mellette lévők között, és á Püspök *Daniel Beke* 's hozzá tartozó *Minister* ek, *Kolo's*, vári *Blták*, *Polgárok* és *communitas* 's több *Vnitaria recepta*

Religion lévő *Status*-ok között, azok mindeneftől örökös feledekenységben és *amnestiában* mennek, és azokért sem most, sem ennekutánna is egyik felől-is sem titkon, sem nyilván semminémű uton és *praetextus* alatt bökku állás ne lehetfen, neis légyen egy más ellen. Ha Káptalanokban, vagy skárhoi *Protocolum*-Okban *Protestatiók* és egyéb jövendő bökku-állásra való írárok löttének volna, *utrinque cassalsassanak*, és *annihilalsassanak in perpetuum*.

Mindazáltal á 'Sidózők, és á *Jesus Kristus* Istenlégenek káromlói ez *amnestiához* most és ennekutánna is *in perpetuum excludálsassanak*, és *pro exclusis habeantur*.

Mentől hamarabb lehet az *Unitarius Superintendentens Synodus* convocálijon, és az *Unitaria Confessio*, és *Confessio*, és az *Ecclesiastica Disciplina*, á mint mostan el igazított, minden *Unitarius* *Ministereknek*, *Mestereknek*, *publikálj'a* igen *serio injungálya*, hogy minden *Ministerek*, *Mesterek* és *Cántorok* á ézerént *predikályanak*, *tanítsanak*, és énekeljenek *sub poena notae infidelitatis*.

Azon *Synodusban* formájanak és irjanak olly *Catechismus*, mely *conformis* légyen *per omnia á recepta Unitaria Confessiohoz*, *Consensushoz*, és *Ecclesiastica Disciplina*hoz, á mint mostan el igazított, mely *Catechismus* á jövendő *terminusra* *repostsálsanak* é mi *Kegyelmes Urunk* é *Nagylága Méltóságos* *fizemelye* eleibe, és akkor jelen lejendő *Tanító Urak* és *Tábla Biráji* eleiben, és ha á fellyül meg íratott *recepta Unitaria Religiohoz conformisnak* találátek, annakutánna minden *Unitaria* *Ekklesiáikban*, és *scholáikban* á ézerént *tanítsák* és *tanulják*.

Ha kik ez mostan el igazított *recepta Unitaria Confessio* ellen vétének, azoknak meg büntetésekben való *Autorisá* az *Ország*nak *Supremus Magistratusa* az *Unitarius Püspököknek* és *Consistoriumnak* meg engedheti, holott az előtt való *Fejedelmek*-is aztaz *Autorisá* magoknak *reserválsak*, á mint ezen dolog az *Ország*nak régi *Articulussábol* *constál*.

Ha azért az *Unitaria Religio* lévőkközül akár *Ecclesiastica*, 's akár *secularis Personák* légyenek, á mostan el igazított *recepta Unitaria Religio* ellen *tanítsanak*, *irná*, *vallóna*, és *vijabb inditást* *inditana*, *ad Instantiam Directorum* az *Ország* *Gyülelére* *evocálsassanak*, és mint *innovatorok* é *publicae pacis perturbatorok*, *comperta rei veritate*, *in nota perpetuae infidelitatis* *convincálsassanak*.

Ha pedig az Unitarius Ministerek, Mesterek külföldi rendtartásokban, erkölcsökben, magok viselkedésben az *Ecclesiastica Disciplina* ellen *delinquantnak*, azokat á Püspök és á *Confistorium* büntessék *Disciplina* szerint.

Ha kiknél, akár *Ecclesiastica*, akár *secularis Personáknál* olly könyvek, irások és káromlásra formáltatott képek volnának, mellyek á mostan el igazított *recepta Unitaria Religio* ellen valók; mind azokat á könyveket, irásokat, és képeket minden Ember fel kereavén tartozzék ez jövődő Sz. Márton napjára á *Fejérvári Káptalanba* bé vinni. Ennekutánna pedig á féle. könyveket, irásokat, és képeket senkinek szabad ne légyen írni, nyomtatni, tartani, avagy másuttan az Országba bé hozni *sub poena notae infidelitatis*.

Ha az *Unitaria Religio* lévők között á mostan el igazított *recepta Unitaria Religionak Confessioja* szerint, könyvet írni is valaki; de azt ki nyomtatni és ki botfátani az Országak Fejedelmének hire nélkül semmiképen ne mérézélje, *sub eadem poena notae infidelitatis*.

Mivel pedig az aradás jelen lévén, az Unitarius Püspök Synoduszt mostan mindjárt nem *convocalhat*: *concludat*, hogy á mostan el igazított *Unitaria recepta Confessio* és *Complanatio* le iratván és kezekbevévén, innét *Ekklesiájokban* redealván az *Unitarius Ministerek*, *Ekklesiájokban* első *Conciojokban publice publicálják*, és annak vallására á követésére és meg tartására minden alások lévő hallgatójokat kényszeríték.

* *Quemadmodum post condemnationem Francisci Davidis, Superintendente Deme-
trio Hunyadi, Ministri Religionis unitariae
in hoc consenserunt, quod scilicet Divinitas
Jesu Christi, a Deo Patre illi data, confi-
tenda, vera eius Divinitas praedicanda, ipse-
que adorandus & invocandus, auxilium ab
eo implorandum sit: ita & in posterum con-*

trarium huic neque clam, neque palam, quisquam doceat, concionetur, aut canat; sed Jesus Christus, tanquam homines salvandi atque damnandi potentia pollens, omnium cum honore adoretur, & directe inuocetur. Hoc autem ad clariorem *Articuli IIIⁱⁱ Disciplinae Ecclesiasticae*, qui est *de officio Ministrorum*, declarationem *Disciplinae Ecclesiasticae verbotenus* inscribatur. Cuius inscriptio controverti nequit; quandoquidem illud tum Superintendens, cum adiunctis sibi Ministris; tum vero, Primores receptae Vnitariae Religionis, in loco publico sponte confessi sunt. Quod vero tam publice confessi sunt, atque etiam nunc confitentur, articulo *Disciplinae* merito inseritur.

In administrandis quoque sacramentis, sit recepta Vnitaria Religio secundum *Disciplinam Ecclesiasticam*. Infantes baptizentur *in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*. In *Eucharistia* Poculum ipsis *communicantium* manibus exhibeatur, ipsimet ex illo bibant, quemadmodum in Ecclesiis Vnitariis Hungaricis.

Omnes iniuriae atque offensae inter *Matthiam Szörös*, cum sibi adiunctis; item inter Superintendentem *Daniëlem Beke*, cum Ministris illi adhaerentibus, Iudices Consulesque *Claudiopolitanos*, & *Communitatem*, atque caeteros *Status receptae Vnitariae*

in Transylu. Part. III. Cap. I. Sect. II. 461

Religionis, vltro citroque habitae, qualescunque demum illae fuerint, in perpetuam obliuionem & *amnestiam* penitus abeant: ac propter illas neutra ex parte, siue nunc, siue temporibus sequentibus, occulte vel manifeste, vlllo modo ex praetextu vltio contra se inuicem exerceri possit, aut exerceatur. Si in *Capitulis*, vel quibuslibet aliis protocollis, protestationes aliaque scripta vltioni futurae inseritura fuerint: illa vtrunque cassentur, atque in perpetuum annihilentur.

Judaizantes tamen, & in *Diuinitatem Iesu Christi blasphemii*, tam in praesenti, quam posthac *in perpetuum ex hac amnestia excludantur* & *pro exclusis habeantur*.

Superintendens Vnitarius quantocyus fieri potest, Synodum conuocet, & *Confessionem Vnitariam, Consensum, Disciplinamque Ecclesiasticam*, quemadmodum in praesenti constitutum est; omnibus *Ministris* & *Ludi-Magistris Vnitariis* publicet, serioque injungat, quod omnes *Ministri, Ludi-Magistri, & Cantores*, eo modo concionentur, doceant, & canant *sub poena notae infidelitatis*.

In eadem Synodo componatur & scribatur *Catechismus, receptae Vnitariae Confessioni, Consensui, Disciplinaeque Ecclesiasticae*, prout nunc constituta illa sunt, *per omnia conformis*; idemque ad terminum proximum *Illustris*.

Actum in oppido Déés die 7^{ma} Julii A. Dni 1638. Praesidente Illustrissimo Domino Principe nostro, ac praesentibus eiusdem Consiliariis, aliisque Proceribus & Primariis viris, per Status & Ordines Regni ex tribus Nationibus, ac extra Vnitariam receptam Religionem, aliis tribus receptis in Transylvania Confessionibus, delegatis, & subscriptum erat.

GEORGIUS RAKOTZI. mpria (L. S.)
(authentici)

Stephanus Haller, Consiliar. suae Celsitud. & Comes Comitatus Käküllö. mp. (L. S.)

Stephanus Kassai, Consiliar. & Proto-Notarius. mp. (L. S.)

Michaël Taldalagi, Consiliar. Sedisque Siculic. Vduarhely & Maros Capit. mp. (L. S.)

Steph. Szalántzi, Consil. & Tabulae Adessor. mp. (L. S.)

Franciscus Rédei, mp. (L. S.)

Sigismundus Bartjai, mp. (L. S.)

Ladislaus Tsefei, Comes Cottus de Szolnok, & Protonotarius. mp. (L. S.)

Serédi Istvan, Fő Lovász Mester Kraszna Vármegyének Fő-Ispánja. mp. (L. S.)

Stephanus Körösi, de Wárad. mp. (L. S.)

Iob. Kemény, Comes Comitatus Albensis, Capit. Fagarasiensis, Cubicularius Principis & Tab. Iud. Assessor. mp. (L. S.)

Petrus

in Transylu. Part. III. Cap. I. Sect. II. 465

- Petrus Haller de Hallerkő*, mp. (L. S.)
Ladislauſ de Baláſháza, V. Comes Cottus Szolnokienſis - med. mp. (L. S.)
Petrus Szénás de Balik, Praefectus Transylu. mp. (L. S.)
Nemes Tamás, Háromszék Fő-Capitánja. mp. (L. S.)
Matthias Hufzár, ſup. Iudex Regius ſedis Maros. mp. (L. S.)
Thomas Baſa, mp. (L. S.)
Stephanus Fodor, Iudex Regius ſedis Saxonicalis, Száſz. város. mp. (L. S.)
Franciſcus Kornis de Göntz Ruſzaka, Comes Cottus Kolofiens. mp. (L. S.)
Balthaſar Veſſelényi, Comes Cottus Dobocaiens. mp. (L. S.)
Stephanus Sullyok, Comes Cottus Colofiens. ac Tab. Aſſeſſor. mp. (L. S.)
Gabriél Mind-ſzenti, Comes Cottus Debocaiens. mp. (L. S.)
Petrus Gáuai, mp. (L. S.)
Stephanus Kamuti, mp. (L. S.)
Iohannes Tſerényi, mp. (L. S.)
Valentinus Seraphim, Iudex Regius Cibinienſis. mp. (L. S.)
Petrus Torma, mp. (L. S.)
Steph. Petki, Supr. Capitan. Cſik, Gyergyó & Káſzon. mp. (L. S.)
Stephanus Domokos, de Alſo-Tſernaton. mp. (L. S.)

466 P. Bod, Historia Vnitarianorum

Michael Sz. Agotai, Consul Cibiniens. mp.
(L. S.)

Michaël Goldschmidt, mp. (L. S.)

Valentinus Forgács, Villicus Coronenf. mp.
(L. S.)

Martinus Sebrev, Notar. Coronenf. mp. (L. S.)

Stephanus Maurer, Consul Segesvár. mp. (L. S.)

Laurentius Szöts, Ciuis Segesvár. mp. (L. S.)

Martinus Kolóscári, Senator Megyefiensis.
mp. (L. S.)

Andreas Vég, Iudex Bistriciensis. mp. (L. S.)

Martinus Sculteti, Senator Bistriciens. mp.
(L. S.)

Iacobus Litteratus, Index Regius Köhalmi-
enf. mp. (L. S.)

Stephanus Litteratus, Sedis Iudex Köhalmi-
enf. mp. (L. S.)

Georgius Herman, Iudex Regius Százf-Sebe-
fiens. mp. (L. S.)

Iob. Szabó, Iudex Regius Substit. Nagy-
Sink. mp. (L. S.)

Iob. Kádár, Iudex Regius sedis Uj-egyház
mp. (L. S.)

Daniél Beke, Superintend. receptae Vnit.
Relig. mp. (L. S.)

Adamus Francus, Minister Eccles. Saxon
Claud. mp. (L. S.)

Matthias Rauus, Minister. mp. (L. S.)

Iob. Toldalagi, Iur, Assessor. Ill. Principii
Transylu. mp. (L. S.)

Georgius Torma, mp. (L. S.)

De

Daniel Mihály, Három-Szék Fő Király-Birája
mp. (L. S.)

Iob. Sárosi, Causar. Fiscalium suae Celsit. in
Transylu.: Director. mp. (L. S.)

Steph. Körösi de Beld, V. Comes Comitatus
Albens. mp. (L. S.)

Franciscus Farkas, mp. (L. S.)

Iohan. Gyeráfi, mp. (L. S.)

Francisc. Bethlen, Iur. Assessor. Tab. Iudicia-
riae D. D. Principis. mp. (L. S.)

Gaspar Begez, mp. (L. S.)

Michaél Ió-Samariai, mp. (L. S.)

Kováts Gáspár, mp. (L. S.)

Ladislaus Tarotzkai, mp. (L. S.)

*Nos itaque sic requisita & reinuenta Confes-
sionis Vnturiae receptae Religionis tenorem de
verbo ad verbum, sine diminutione & augmento,
vel variatione aliqua in transfinito praesentium
Litterarum nostrarum, memorato Domino Expo-
nenti Reuerendo Petro Kovátsznái iurum suorum
oberiorem futuram, ad cautelam necessariarum,
sub Sigillo nostro Capitulari authenticis fideliter
& conscientiose extradendum duximus & conce-
dendum, communi iustitia & aequitate suadente.
Datum die nona Mensis Febr. Anno Domini Mille-
simo sexcentesimo sexagesimo nono.*

(L. S.)
(Capitularis.)

Nihil omittere volui, sed formalia verba, prout ex Capitulo sunt exhibita, dare, ne quis cauillari possit, nos non integra documenta dare, sed mutila. Ob hunc respectum quoque Hungarica in Latinum non transtuli.

C A P V T II.

*De statu Vnitariorum post Annum
MDCXXXVIII.*

§. LVIII - LX.

§. LVIII. Regnantibus itaque Principibus GABRIELE BETHLEN, & GEORGIO RAKOTI, compositae sunt Vnitariorum controversiae. Omnis adempta libertas Christum *non innocentes*. Ecclesiae Reformatae diligentius ab Vnitariis in terris Sicularum discriminatae, vbi clam Ministri eorum in quasdam Reformatorum Ecclesias irreperant; constitutumque est, vt sine testimonio Reformati Superintendentis, nemo in Ministerium vel inter Vnitarios reciperetur. Eiusmodi testimonium est, quod sequitur, Pastori *Arkesiansi* Vnitario exhibitum.

A MICHAELE TASNADI superintendente Ecclesiarum Sacro-Sanctam Trinitatem profitentium, solemniter de Doctrinis
&

& Moribus examinatus, receptus est in numerum docentium Legem & Euangelium, & administrantium Sacramenta a Domino Saluatore instituta Reuerendus frater noster *Jacobus Markusfolvi*. Quod testantur hae litterae sigillo Ecclesiae publico, & manu eiusdem Superintendentis munitae, & datae Wásárhellyini Siculorum An. D. 1614. die 16. Junii.

MICHAEL TASNA'DL

(L. S.)

Superintendentis mpr. ()*

Priuilégium Ministris Ecclesiarum Reformatarum in Sicilia elargitum, extenditur etiam ad Ministros Ecclesiarum Vnitariarum, ita tamen, ut illi dependentiam habeant a Superintendente Reformato in moralibus. Punctum istud Priuilégii ita sonat:

Quod Ministri (ut vocant Vnitarii) in tribus sedibus Siculicalibus commorantes, eodem modo, quo iam nunc ex communi Regnicolarum constitutione in usu est, a modo & hinc quoque successiuis *semper temporibus*, dependentiam suam quoad moralia, seu externam disciplinam a Superintendente Orthodoxo habeant, eique soli, non vero Vnitario ipsorum Superintendenti visitandi ipsos potestas concedatur. Verum,

H h 2

fi

(*) Communicatum hoc Testimonium ex Arca Ecclesiae Arkoensis.

fi. quid ipsis cum eo negotii in rebus Religionem ipsorum concernentibus inueniat, suo illum loco requirere debeant.

Ratio subiectionis Superintendenti Reformato Ministrorum Vnitariae Religionis haec est: quia ea aetate aut negligebant Baptismum, aut variabant eius formulam in haec; *Ego te baptizo in nomine Dei Abrahami, Isacii, & Iacobi*, aut similem. Deditus ergo Ministerio, stipulata manu se obligabat ad administranda Sacramenta secundum institutionem Christi, & Leges Regni, de quo accipiebat testimoniales.

§. LIX. Ab eo tempore status Vnitariorum declinavit in deterius. Magnates enim, qui fuerunt inter istos, Reformatam amplectentes Religionem, eos secuta est Nobilitas & Plebs, Ciuitates & Oppida, ut *Kolbsvár* (i. e. *Claudopolis* & *Torda*, praecipua Vnitariorum sedes, *Dés*, *Kolds* &c. Liberum tamen semper habuerunt Religionis exercitiam secundum conditiones vniuersis, & a nemine interturbati sub Principibus. At mutato regimine, templa & scholae multis in locis sunt occupatae, nec amplius illis cum ceteris receptis Religionibus indulta est libertas.

§. LX. Memorandi hic sunt Superintendentes Vnitariorum, hac temporis periodo Ecclesiis praefecti. Superius vidimus *Fran-*
ci-

cissum Davidis, Demetrium Hunyadi, Georgium Enyedi, Ioannem Kósa, Mathasum Torotzkai; iam nunc sequitur.

.. *Valentinus Radecius*, qui fuit Filius *Matthaei Radecii* Gedanensis Secretarii: factus primum Professor Claudiopoli Anno 1622. Tempore eius quidam pagi Vnitariam deserentes, Reformatam amplexi sunt Religionem. Quod inde euenisse censebant, quoniam Superintendens Linguam Hungaricam ignorans, nec visitare eos, nec confirmare in fide sua potuerit. Concluserunt igitur Vnitarii, quod temporibus sequentibus nunquam Superattendens ex gente peregrina constituitur. Mortuus est *Radecius* Anno 1582.

.. *Paulus Tfanádi*, celebris iam diu in Schola Professor, qui Professoris & Superattendentis officio simul functus est.

Daniel Beke, oriundus ex *Sepsiszent-György*, electus in Superattendentem An. 1636. mortuus An. 1661.

.. *Iohannes Iárai*, electus in Superattendentem Anno 1661. Huius aetate expulsi sunt Vnitarii e *Lithuania* & *Polonia*, ex quibus quadringenti Transyluaniam ingressi (*), maiori ex parte Claudiopoli resederunt.

Bal-

(*) Meminit huius Stanisl: Lublenci in Hist. Ref. Poloniae p. 297. 98.

Balthasar Contz, electus in Superintendentem A. 1663.

Daniel Szent Iványi, Tempore huius scripti est Catechesis minor pro Vnitariis: mortuus Anno 1689.

Paulus Bedő, electus in Superintendentem Anno 1689.: mortuus est anno sequenti 1690.

Michael Kövendi, Désino Kolosvárinum translatus, brevi quoque huius vitae taedia reliquit.

Michael Amási, electus in Superintendentem, An. 1692. diu Ecclesiis praefuit, & innumera passus est. Huius aetate, anno scil. 1716. occupatum est a R. Catholicis ope militum Caesareanorum *Claudiopolitanum* Templum, Schola ab Vnitariis non pridem erecta; Parochiae, Domus Superattendentis, Pastorum, Professoris, Lectoris, Cantoris; Vineta, Agri, Decimae, Typographia a vidua *Andreae Kmisa* instituta. Paucis, *Timon* quoque huius rei meminit, qui ita: *Georgius Mártonfius* — iter instituit in Transylvaniam. Cui cum appropinquaret Excellentissimus Comes Steinwilleus, supremus in ea Prouincia militaris Praefectus, mandata Caesaris: exsequens, primum vrbis *Claudiopolitanae* Templum, a SIGISMUNDO Imperatore & Rege Hungariae magnifico opere olim constructum, refractariis Arianis per vim eripuit. Dein quarto

in Transylu. Part. III. Cap. II. Sect. I. 473

nonas Aprilis, Antistes Pontificalibus vestimentis amictus, comitante, qui eidem aduentanti occurrerat, Catholico popello, urbem ac Templum ingressus solemni apparatu sacrum fecit. Mortuus tandem est Almasi A. 1721 cui successerunt.

***Sigismundus Pálfi*, electus in Superintendentem Anno 1721. mortuus 1737.**

***Michael Lombárd Szent-Abrahámi*, diu Professoris munere laudatissime in Schola fungens; electus est in Superintendentem Anno 1737. utroque, Professoris & Superattendentis munere functus est.**

Illo e viuis sublato, successit ei circa annum 1757. *Stephanus Agk*; qui tam in munere Professoris Theologiae, quam in officio Superintendentis sedulam hodieum nauat operam.

F I N I S.





I I.

R E S P O N S U M
JACOBI CREMERI, J. J. F.

A D

EXAMINATOREM ANONYMUM
SVAE OBSERVATIONIS

I N

PSAL. XXII: 21. ET JOH. XIX: 31-37.



Clar. Editore praemonitus, avide expectavi, avidius perlegi, quin & avidissime relegi hoc candidum, Modestum ac perdoctum *Examen*: Cujus Auctor sane quidem Nomen in fronte potuisset profiteri, absque ullo famae detrimento, quod ex hoc opere non metuendum erat. Sed
frua-

frustratur hucusque suo genio: tamen non indignabor, vel infra dignitatem reputabo mecum, ipsi publice meas gratias persolvere, quod mea qualiacumque cogitata sua lance quidem digna judicaverit, quin & meliora propinare studuerit. Vincamne talem opponentem, vel Censorem (in quem ne Adversarii quidem Titulus quadraret) vel vincar ab illo, mihi fere perinde est, modo emergat indubiâ & inconcussa veritas, quam quaerimus ambo. Imo verò: si me victum plane sensitivissem, nihil respondissem, ac tacite manus dedissem; donec mihi alia illuxisset occasio, quâ hoc publice testatum facere potuissem.

I I,

Nunc alia omnino res est, cum in neutrà sententiâ, qualem quisque adstruere conatus fuit, acquiescere velit animus, veritatis cupidissimus. Meam quidem maxime luxatam animadverto: & illa Censoris mei videtur minime enodis, etsi a Parente suo talis, prae meâ saltem, habeatur.

Quis ergo mihi jam vitio vertet; si hasce meas animadversiones & suspiciones denuo reponam, & quidem antequam *Bibliotheca haec Hagana* claudatur? Litis ferram trahere nolo. Tantum animo composito heic exponam

476 Jac. Cremeri, Responsum ad Anon.

ponam I. quos Nodos scrupulosve deprehenderim in sententiâ Doctissimi Examinatoria. II. quid habeam pro mea liberanda, atque ulterius statuminanda.

I. I. I.

In sententia Censoris quod non, vel nondum acquieverim, sequentes urserunt rationes, quae totidem fere scrupulos mihi objecerunt, ne meam haecenus immutarem.

I. *Ereptionis*, à V. D. eleganter stabilitae, ideam si retineam, & quidem ex violento mortis vel capitis supplicio, per Magistratum, jus *Gladii* habentem, inflicto, *MESSIAE* petitioni satisfieri non potuit, nisi per *Resurrectionem*: ad quam cl. Examinator se quoque recepit.

Verum *Resuscitatio ex mortuis remotius* beneficium continet, quam quo *MESSIAS* Crucifixus & adhuc spirans mactaretur. *Propius* accedebat facultas vitam quantocyus deponendi, atque ita effugiendi ulteriores insultus, & hostium suorum conatus inimicissimos. Unde, si jam concederem *Psalmi versu 23.* precanti vitam novam, per *Resurrectionem* occupandam, omnino ob oculos versatam fuisse; quâ, in coetu Discipulorum Divino suo *Ereptori* & Vindici gratias persolveret: simul me reciperem ad *vers. 22.* utut à *versu 21.*

hoc

hōc modo facillime distinguendum, quod hic beneficium *propius*, ille *remotius* includat, atque adeo Precantis Oratio in his versibus scandat. vers. 21. *Eripe animam meam gladio*, ne confodiar adhuc vivus vulnere ipsius lethali, sed liceat mihi, antequam me adoriat, vitam ponere: simul eripe *meam unitam e manu Canis*, qui non modo enecaret, sed etiam ossa frangeret: si placuerit bina *versus* membra ita ab invicem discernere. vers. 22. *Libera me ex ore Leonis* (Diaboli vim mortis habentis per Resurrectionem exoptatam) & *responde*, id est, *opitulare mihi à cornibus Bubalorum*, ne feriant adhuc exanime corpus, ipsis expositissimum.

Atque hoc demum fuerit *auxilium festinatum*, quale Miser exoptabat vs. 20. *Resuscitatio* nullo modo erat maturanda, sed mors spontanea, per quam uno ictu & actu omnia reliqua & nova hostium, adversus Vivum, molimina eluderentur & irrita evaderent.

Novi equidem, quod mihi regeri possit, exemplis non carere, MESSIAM patientem in *Psalms* v. g. XL. & LXIX. pingi, quasi jam *Resurrectionem* suam anhelantem: proinde minime alienum duci posse, si Vates eundem etiam Ps. XXII. pinxerit, eandem exoptantem, priusquam adhuc morte occubuerat. Nondum mihi liquet, an pagella vacua supererit de nexu illorum *Psalmoreum* heic
edisse.

478 Jac. Cremeri, Responsum ad Anon.

edifferendi: ideo Exceptioni eo usque sua constet vis. Suffecerit nunc tantum demonstrasse, quod Argumentum ex Ps. XL. & LXIX. ad XXII. deductum minime procedat.

II, Alter enim nodus latet in *Anima*, seu dilecta vita, quam *eripi* flagitat in nostro loco MESSIAS. Hic morti proximus, ut ipsius ANONYMI verbis utar, rogat à Patre *Animam suam vitalem eripi*, seu *liberari*. Quaero unde? vel ex qua calamitate, ex quo periculo? Mortis, nonne? Itaque haec *ereptio* illam *Animam* a morte immunem praestiterit necesse est! Nisi jam velimus incaute, nec sine veritatis discrimine, statuere, quod Divinus Vates, in hac *Psalmi* sui pericopa, Patientem introduxerit preces intempestivas & nunquam exaudiendas fundentem, eventus refragabitur MESSIAS animam efflare, & vitâ cedere debebat, & actu cessit. Si *Eripiendus* tantummodo loqueretur de *se ipso* in genere, uti in vs. 20 & 22, nec non in multis pericopis Ps. XL. & LXIX, si *Anima* hic personam significaret, nunquam forte laborassem in *Psalmo* nostro MESSIAE vindicando: ast alia longe est facies. Precans & Patiens utique de *Anima vitali* est sollicitus, in hujus curam est intentus, quemadmodum ex altero hemistichio luce meridianâ clarius patescit: neque de hac, ut subjecto totius *versiculi* proximo & expresso, à Censore meo lis aliqua
more

movetur. Concedimus utrinque, & est nobis in confesso, de *Anima vitali* sermonem fieri. Ex hoc concessio argumentor, & sequelam infero, quod exauditio, retentâ *Ereptionis*, non *Praereptionis*, notione, tamen immunitatem à morte praestitisset; qualis in *MESSIAM* non cadit. Simulac enim mors adfuisset, vita fuisset amissa, perdita. Vita praesens non potest *eripi*, nisi conservetur à morte, & a mortis faucibus, illam mox deglutituris, liberetur, & illis *vivaxibus* extrahatur. *Resuscitatio ex morte*, vel *ex mortuis*, non est liberatio *Vitae*, sed *restitutio tantum vitalis illius animae*, quam mors oppreserat, & plane exstinxerat, atque ita finiërat. In *Observatione*, Primo hujus *Classis Fasciculo* inserta, jam obiter praesentem nodum tetigi, ut videre est in principio pag. 133.

Haec ita ponderantem me coëgit necessitas aliam viam ingredi. Phrasi *Davidicae* manus injicere non audebam. Mortem ipsam nec effugere neq̄ deprecari poterat *MESSIAS*, ne quidem violentam illam, mediante *Cruce*. Rationes meas porro subducenti nihil aliud restabat, quam cogitatio de novo adhuc mortis genere, proprie dicto ferro, vel *gladio*, infligendo: ex quo novo mortis genere *Crucifixus* liberari desiderabat, & revera *eripi* poterat, periculo hujus futurae suae fortis consci-um non latente, acceleratâ depositione *Vitalis*

eni-

480 Jac. Cremeri, Responsum ad Anon.

animae in *Cruce* sua; cujus ergo copiam sibi fieri his precibus petebat: *Eripe animam meam* &c. Succenturiabatur mihi mox conceptus *Petitionis Judaeorum* ab Evangelista IOANNE consignatae, eodem, quo in *Observatione* descripsi modò: cui conceptui, si jam valedicendum foret, propter dubia per *Censorem* meum mota, tamen *Pericopa Davidica*, inter nos controversa, saepius à me descriptum sensum ferret; praesertim cum illa varietate, quam supra sub num. I. adhibui, & si mihi solummodo concedatur, id quod res ipsa flagitat, *confosionem lethalem* omnino secuturam fuisse, quando crucifixi post *crurifragium* adhuc animam trahere comperirentur.

Eventus docuit MESSIAM IESUM, paulo antè mortem nondum adeo vi vitali fuisse orbatum, ut *crurifragium* perpeti non valuisset, absque ut animam confestim efflaret. Potuit utique iteratâ vice clamare, & maxime sonoram vocem edere, postquam aceto potatus erat.

Illius etiam erat vitalem *animam* ex se ipso deponere, ac Patri tradere, non hanc illi violenter eripi. Hoc olim non obscure jam indicaverat, *Joh. X: 17. 18.* nec spem eventus fefellit.

III. *Tertius* mihi *nodus* ex serie *Psalmi* nascitur, ubi à 2. ad 21. vs. incl. nihil occur-

ut, quod *Resuscitationis* ideam exeret, vel ejus desiderium indicet. *Mortem sibi propinquam* describit supplex vs. 16., nec illam avertatur, modo IEROVAH non stet à longinquo, neve suum Servum de novo derelinquat, vs. 12 & 20. coll. 2, 3. Cumque per mortem ocissimam, non modo praesentibus, sed & imminentibus illis calamitatibus, vs. 13-19. memoratis, simul eripi posset, nihil prius expetendum habebat Patiens. vs. 21. q. d. condar modo Ego in pulvere mortis, emoriar, antequam *Gladius & Canis ossifragus* adfiat! &c.

I V.

Superfunt ergo nodi & scrupuli in cl. Examinatoris sententia. Mihi jam progredendum ad mea qualiacunque Observata enodanda, & scrupulis illis liberanda, si queam, quae *Anonymus* injicit.

Ante vero quam in hanc arenam descendam, praemonendum videtur, ne quis Alter contra me insurgat, & rejecta utraque (Censoris mei ac mea) opinione, tamen Vindicias MESSIAE in se suscipiat, provocando ad animam humanam seu rationalem, quam eripi flagitaret. Etenim haec nullo unquam gladio exposita fuerat, vel exponi poterat; conf. *Matth. X: 28.* neque *Latratus Canum* illa adeo curabat.

492 Jac. Cremeri, Responsum ad Anon

Fuerint inimicorum verba *Gladiatorum* instar acuta; tamen illa ipsum non adeo male habebant, ut ab iis liberari tantopere gestiret. Atroces injuriae, quibus Eum Irrisores & Blasphemi cumulabant, nihil faciebant ad mortem spiritalem, qualem in Trihorio Caliginis denuo, id est, post dolores, horrores & angores *Getsemanitanos*, fuerat expertus (a), & quae tantas Jesu querelas ac tot supplicationes in Horto jam extorserat. Insuper schesis illa, qua sibi repraesentavit *Animam vitalem* D. Psaltes, in aprico est posita, & exemplo *Psalmi XXXV: 17.* satis confirmata. (b)

Maneat ergo, manebitque Vita praesens subjectum precum *Messianarum*, quae *Psal. XXII: 21.* funduntur: & controversia de praedicatis tam diu disputetur, donec reperia veritas irrefragabiliter innotescat.

V.

In eximendis scrupulis, qui forte in opinione mea latent, aequissimi ac moderatissimi Critici vestigia legam, quemadmodum VII Doctus praeivit, priora quoque vestigia mea rele

(a) Evolvat L. B. de his Tractatum meum *Belgium*, cui Titulus: *Gods Engelen verblyd*, pag

93—

(b) Conf. Bibl. Hag. Cl. VI. Fasc. I. p. 122.

relegendo. Hinc *Examen* illius quoque evasit bipartitum. Agit enim I. de *pericopa Evangelica* JOHANNIS, quam in auxilium vocaveram: II. De loco *Psalmi* controverfo.

V I.

Ad *Job. XIX: 31*, & mea super hanc particulam Evangelicae historiae commentata, varia notavit placidus meus Censor.

Primo, concedit *Judaeos* collineasse in mortem JESU Sospitatoris quantocissimam, licet non spectantes in hoc negotio sanctionem divinam *Deut. XXI: 22, 23*. Postremum hoc jam ultro largiar, ne nimium tenax culpam videar. Hinc nihil iniqui contrahet causa mea. Sufficit ante Sabbathum maxime festivum corpora de *Crucibus* fuisse *tollenda*: hanc autem sublationem non potuisse tolerari, nisi prius Judici capitali de mortibus affixorum constaret: id quod à posteriori expresse roboratur per cunctationem PILATI, ejusque de JESU morte inquisitionem, priusquam JOSEPHI *Arimatheaensis* voto annueret.

Verum *Secundo* displicet Viro Docto, quod *crurifragium* ad mortem celerrimam inferendam parum idoneum praedicaverim. Violentam crurum contritionem per se non existimat lethalem: sed per praecessoria & accessoria talem fieri debuisse. Inter cumulandum & exaggerandum hasce *causas*, praecipue quoad personam D. JESU, provocat ad *Me-*
Bibl. Haganae Cl. VI. F. III. Ii di-

484 Jac. Cremeri, Responsum ad Anon.

dicos expertissimos celeberrimosque, quos videtur consuluisse; porro ad emphasin vocis compositae *καταγυμι*; tandem ad *Judaeorum* crudelitatem, denique ad decantatum PLINI locum, quem jam pridem Interpretes exhibuerunt.

Replico: 1. Personarum diversitas quoque diversum exitum caussari poterat. Robustior alter altero. Ille igitur, cui vires adhuc suppetebant ad *crurifragium* vel severissimum perpetiendum, post illud non horas tantum, sed etiam diem vel dies vivendo superare potuit. De MESSIA ferme liquet, *crurifragium* ipsi non confestim lethale fuisse futurum, si carnifices hoc in ipso experiri valuissent, uti superius à me disputatum. Obsecro jam, quid Milites *Romani* tali in casu adhibuissent? Utrum *crure fracto* adhuc spiranti ulterius vivere permisissent? An non potius ferro eum confodissent? maxime, cum in mora periculum esset, ac novis Procuratoris mandatis petendis accipiendisque tempus nimium tritum fuisset. Jussum fuerat *crura Cruciariorum confringere, eosdemque de Cruce* (loquor ex opinione communi) *tollere*; haec vero non poterat, ipso *Anonymo* iudice, mediâ §. 4., esse *sublatio* viventium: Quid à moribus *Romanorum* fuisset alienius, quam hoc? Unde concludo, quod jussum PILATI militibus saltem facultatem dederit *cruciariorum* ulterius enecandi, quovis meliori vel promptiore modo,

modo, si praeter spem & opinionem, è *crurifragio* omnes, vel duo, vel unus tantum, fuissent in vita superstites.

2. Instrumentum *crurifragum*, si non fuerit insoiitum, quod precario assumeretur, *malleus* fuerit probabile est, cujus ope claves etiam per manus ac pedes adigi debuere. Et, cum crucium stipites incudis locum supplere potuerint, ferreâ non opus erat, nec facile applicanda: quorsum mihi etiam spectare videntur ipsius Censoris mei verba, quae obiter habet *de constringendis genibus* (*), in fine §. 3. utique ad crucis arborem. Ex quo iterum sequitur contritionem omnino fuisse, minorem, ad ligneam, inquam, prae altera ad ferream, incudem. Quin etiam repetitos Carnificum ictus heic duxerim necessarios.

3. Medicos quod attinet, ego autoritatem autoritati opponere possum. Hac ergo parum aut nihil proficiemus. Neque illi, credo, nobis asseverare sustinebunt, *crurifragium crucifixorum*, & quidem excarnicatorum, fuisse omnino ac semper lethale per se,

(*) Haec verba de *constringendis genibus* originem suam habent ex mendô typographico. Scripsit enim doctissimus *Auctor*: *genua erant, constringenda*. Monuit me hac de re Ipse prius quam Responsum Doct. CREMERI oculis meis usurpavi. Ita etiam sphalma ansam praebuit de *incude ferrea* aut *lignea* differendi, cujus in *capitali subplicio* fere nulla erit differentia. NB.

ac sine temporis dispendio. Et si vel horum aliquis hoc asseverare vellet, nil nisi diversum hominum robur ipsi objicerem.

4. Emphasin verbi compositi, ne semper & ubique in usus nostros vocemus, dudum nos monuere *Graecae* Linguae periti & Doctores. *Crura frangere*, & *Crura confringere*, *Latinis* quoque significaret unum idemque. Constatit verbo *καταγνυμι* omnino sua vis, quando de *verâ fracturâ*, non dimidiatâ, vel intentatâ solum, explicari perrexit. Conf. adhuc phrasès *GALENI* & *DIOSCORIDIS* apud *ὁ πανν GERHARDUM*.

5. *Judaeorum* crudelitati nihil detractum volo: maneret quaestio: num *Romani* milites huic in omnibus satisfecissent? maxime post infauftum illud ac horrendum *Triborium Te-nebrarum*, quale quid superstitionioribus metum ingentem creare potuit, imo debuit? ne dicam de *terrae motu* eiusque accidentibus terribilibus, qui *JESU* expirationem comitatus fuerat.

6. *PLINII* locus (c) mysterium Physiologicum sapit, forte nunquam repertum, nec unquam reperiundum. Neque tanta hujus in rebus naturalibus est fides, ut ejus auctoritate multum commoveamur. Verum, si
ite-

(c) *Hist. Nat. L. XI. c. 45. In ipsa genu utriusque Commissura, dextrâ laevaque, à priore parte gemina quaedam buccarum inanitas inest, quâ per-fossâ, seu fūgulo spiritus fugit.*

iterum essem liberalis meâ vice, & largirer, quod lethale illud antrum, vel cavum, reapse in *genibus* condatur, illudque *Pliniano* ævo jam fuisset cognitum, si non lippis & tonforibus, saltem Medicorum filiis; qua veri specie eandem scientiam extendemus ad carnifices, qui tunc temporis plerumque gregarii milites? Ne dicam, quod *crurifragium* jam in *genufragium* mutetur; saltem ad illud escendat. Quapropter illa *genuum vitalitas*, quam cl. Examinator, etiam in calce §. 3. ex B. GERHARDO celebrat., nihil ad me facit, cum *crura frangenda*: à *genibus* extenduntur ad *talos*, & *fractionem* illorum habere nequeo: pro *contritione* à summo ad imum, sed mediae partis tantum,

·V I I·

Tertio Vir Doct. adversum me urget intentionem *Judaeorum*, prouti à IOHANNE enarratur, & respectum mutuum verborum, seu phrasium *in cruce non manere*, & *tolli*: quam posteriorem ideo non nisi voculis *de cruce* suppleendam autumat, §. 4. Largitur mihi ceteroquin specialem illum usum verbi *αιπειν*, *tollendi* scilicet *de vita*, ubi nexus sermonis eum requirit. Ego vero huic ratiocinio opponere debeo, 1. me verbum *αιπειν* directe explicuisse eodem sensu, quo in *Judaeorum* oribus versabatur, cum D. IESUM ad necessitatem postularent. 2. Ambiguitatem verbi in nostro

loco medendam esse per combinationem utriusque significatus, *tollendi* nempe *de vita & cruce* simul; in quo nihil alieni vel insoliti: quin ipsa mei Opponentis opinio, si prope lustretur, hoc implicat. Nam scopus *Judaeorum* minime ferebat vel unum ex tribus vivum *tolli*: atqui *Crurifragium*, quod petunt, non erat *per se*, & *omnibus*, & *vestigio lethale*: Ergo Carnificum erat, tum officium, tum potestas, *Crurefractorum* quemque adhuc spirantem ulterius ac protinus enecare, dein *de cruce tollere*; quo facto & petentibus, & mandanti PILEATO plane & plene fieret satis. His plura statim adjicerem, nisi illa porro essent usu ventura, in seqq. §§.

VIII.

Quarto enim novum offendo contra me argumentum, *Examinis* §. 5. scilicet postulatur à me excitatio Testis, fide digni, qui adstruat, moris fuisse apud *Romanos*, non
 „ *Crucifixos* suos *gladio*, vel *lancea confodere*,
 „ atque ita miserrimam horum vitam, &
 „ immanes dolores abrumpere, sed poenam
 „ poena cumulare, & *fractis Cruci affixorum*
 „ *cruribus*, etiam *gladii* vel *lançarum* imix-
 „ sione, optatum durissimi supplicii finem
 „ accelerare: Hic enim non esse conjiciendum,
 „ sed probandum.” Non miror equidem,

dem, quod, si talis excitari posset testis, V. D. promittat, se ultro assensurum. Frustra fane talem quaesivi, sed & spem repertiendi plane decollavit profectio peritissimorum Antiquariorum, cujus Ipse mentionem facit. Itaque, priusquam inanem forte diutius quaerendi operam perdam, telum in me vibratum solummodo retundam.

Mirari subit, qui pro demonstrando casu extraordinario constringar ad demonstrationem moris ordinarii! Expostulatio tam rigida si bene procedat, plurima olim & pridem credita, in dubium vocari poterunt. Exemplum homogeneum peti posset: & tamen hujus defectus, in casu rarissimo & praeterordinario, disputationem non terminaret. Initio §. 6. V. D. ipse profiteatur, *Judaeos* furentes potuisse insolitum excogitare, & *PILATO* extorquerè: item in supplicio Domini plura extraordinaria fuisse, quae in exemplum trahi non possint. Deinde minime abludit à *Romanorum* cognita severitate cumulare poenas — Porro *confosso crurefracti* & *crucifixi* minime induit faciem poenae novae, potius gratiae, quàm durissimo supplicio eripiatur — Denique vellem, ut mihi detur vel unum ex Antiquitate exemplum pro *crurifragio* poenali, & simul *confestim lethali*. Mos saltem *crurifragii Romani* non permittebat ictum aliquem

490 Jac. Cremeri, Responsum ad Anon.

postremum, & citato enecantem, sive ad caput sive ad pectus, quem nos *Belgae* nuncupare solemus *den genade-slag*. Contra liquet, ex PLAUTO, SÜETONIO, POLYBIO, *Romanos*, cum servis suis, vel captivis, *crura fregissent*, eosdem porro abjecisse in loca, ubi ulterius & lentissime doloribus, gangraenâ, fame, sitique conficerentur. Recurrit hic, quod superius jam notatum: quid est, quo mors ocissima JESU & *Latronibus* conficta fuisset, si è *crurifragio*, ut facile fieri poterat, ne dicam certo accidisset, mansissent supersites, vivi & spirantes adhuc? Sabbathum instabat: ne per unam quidem horam morari, & mortem illorum praestolari debebant Carnifices. Facillime crediderim *Cruciaris crurefractis* citius fuisse moriendum quam aliis, quorum crura intacta manserant: aut mortem illorum ad momentum, vel horam proxime sequentem, necessario alligatam fuisse, mihi nullatenus possum persuadere. Non unum Ego *Physiologum* fui percontatus, ane fortassis conditio illorum pensilis, post violentum *Crurifragium*, aliquid conferret vel contulerit ad mortem celerrimam: uno autem ex ore hoc responsum tuli, nihil conferre hanc corporis positionem valuisse, nisi disruptis vel abruptis vasibus sanguinariis pluribus, saltem insignioribus; quorum tamen sedes secundum
 ossa

ossa tibialia, & integumenta validiora, talem separationem maxime dubiam reddiderint,

I X.

Quinto objicitur mihi silentium *Joanneum*, de *confessione* Latronum, qui D. Conservatori socii poenae fuerunt. Sed responsio est in promptu: Historicus facer itidem altum flet de horum *sublatione de crucibus*, ergone hinc suspicabimur horum corpora in cruce mansisse? Ex supplicio Latronum nihil comparet in tota Historia Evangelica, quam quod utile & necessarium visum fuit, ad Fata JESU CHRISTI debite exponenda, illustranda. Non curavit ergo S. JOANNES istos poenae socios ultra, quam horum mentio ad hunc scopum conferret: vel etiam descripsit eorum casum, usque quo relationis series, & ipse rerum gestarum ordo illud requirerent, deinde utrumque missum facit. Mandato Procuratoris accepto, Milites *crurifragi*, uti mihi quidem videtur, non statim adorti sunt Medium JESUM, sed utrinque à latere ipsius ambos Latrones, sive illud honoris, sive doloris causa fecerint (major enim ducitur alicujus Rei poena, si postremus sit in supplicio, & testis oculatus auritusque torturae & dolorum, qui sociis infliguntur) sive quod, *divisa quaternione, bini unum,*

& bini alterum eodem momento mulctaverint, deinde quaterni seu omnes JESUM, ut personam singularem, cinxerint: sive, quod mihi quidem omnium maxime arrideret, Latrones adhuc vegetiores conspexerint, & minus excarnificatos noverint, proinde per *crurifragium* sine mora ulterius quassandos existimaverint. Divus saltem JESUS jam pendebat inclinato capite, sine voce, sine motu membrorum; ex quibus phaenomenis, vel supinam lassitudinem, vel deliquium suspicaverunt. Igitur, crudeli quâdam misericordiâ, ipsi respirandi occasionem praebeant, vel confidunt, ipsum, quasi ex alto sopore, evigilaturum, cum ictus crurifragi, & clamores maleficorum aures ejus personarent. Ast aliter visum erat Numini supremo. DEI Filius jam vitâ cesserat: *Fraetis* Latronum *cruribus*, jam extinctus cernitur; *crurifragio* eximitur; tantum unus carnifex, arreptâ lanceâ, mortuum confodit, utique *periculum facturus, an spiritus adhuc quicquam in ipso residui esset*, si mentem & phrasin cl. *Anonymi* sic imitari liceat. Exulant iamjam, inde à versu 32, ex *Joannea* relatione duo Latrones, & quid cum illis porro actum sit silentio involvitur; jam mortuos fuisse, & quidem ex solo *crurifragio* non dicitur. Evangelista potius digreditur ad fidem narrationi suae, de ultimis hisce JESU sui fatis, faciendam,

dam, vs. 35, & implementum Prophetiarum, haec ita requirentium, demonstrandum, vs. 36, 37. Vides ergo, L. B. causam aliquam non tangendi *confossionem* Latronum; licet & illa mox post *confossionem* D. JESU peracta fuerit, ut, non illicitâ, nec improbabili conjecturâ, post superius disputata, pro rato habemus. Non possum, quin his adjiciam, JOANNEM, oraculum *Zacharianum* confosso latus MESSIAE mox applicaturum, melius de *confossis*, etsi adhuc vivis, Latronibus tacuisse, ut tanto clarius, patefceret, „ illos quos poena junxerat, causam subli- „ mem in supplicio separasse.”

„ Absit, ita pergit V. D., ut in *Ju- „ daeorum* rationes referamus, quae non li- „ quent.” R. Absit etiam, ut in rationes hastati militis referamus, quae non modo non liquent, sed insuper omnem veri speciem amittunt! indigito *petulantem lateris* D. JESU *percussionem*, quam ultro, & *Judaeos* tantum adulaturus, perpetrasset miser ille, sine ullo mandato, idque secundo momento ab horrendis illis portentis, quae omnibus *Golgothae* hospitibus terrorem fere panicum injecerant. Ipse MATTHEUS auctor est, Cap. XXVII: vs. 54. *Centurionem & reliquos Jesu custodes* (inter quos ipsi quatuor carnifices, vs. 35, 36.) *viso terrae motu, & quae facta erant* (*ruptas* intellige *petras*) *intimuisse valde.*

494 Jac. Cremeri , Responsum in Anon.

Et (quod majus est) dixisse : *revera hic DEUS erat Filius !* Atqui , talis timore & horrore oppressus confessor statim militarem suam petulantiam resumpsisset , & , omni metu jam excusso , exanime corpus D. Sospitatoris immaniter adeo laesisset , lacerasset ? Non est probabile ! Parum abest , quin mihi persuadeam , militum eundem timorem in causa fuisse , ne JESUM adorirentur primum , cum PILATI mandatum , *de cruribus frangendis & cruciariis tollendis* , ipsis innotuisset.

X.

Hisce praelibatis , & scrupulis V. D. ex *Joannea* relatione injectis , nunc pro viri-um modulo exemtis , remotisque , cum amico *Censore* ad DAVIDEM pergamus : all- brevitati simul studentes.

Repetuntur §. *Examinis* 7. mea de *Pf.* XXII: 21. cogitata , nec non solliciti cona- tus pro *Psalmo* hoc uni MESSIAE vindicando. Sequitur , „ me in notione *praeripiendi* à Cel. „ VENEMA non discordasse ; sed & in hac „ notione omnem fere nodum fuisse , qui „ me constrictum tenebat ; & in hanc totius „ ratiocinij mei vim & pondus incumbere.” Porro notio *praereptionis* , quam ego Cel. VENEMAE totam quantam dederam , vocatur parumper in dubium , & lis aliqua movetur
de

de illâ, sed absque seditione. Proferuntur duo loca docentia, quod *Hebraea* phrasis *הצילה* sequente *Mem* „ non tantum denotet liberationem talem, quae immunitatem à malo praestet; sed & talem, quae noxam in salutem vertat, & homines, in calamitatum voragine demersos, laetissima catastrophe, ex incumbente malorum oppressione, potenter eripiat:” Ipsi Cl. SCHULTENSIVS & Cel. VENEMA testes advocantur, *Hebraicum* verbum de violenta extractione & vindicatione oppressi, & de liberatione alicujus. in foro crimine constricti; usurpari: Quae omnia nullus negaverim.

Hypothesi meae itidem non inserviam: Concedo notionem liberandi, seu eripiendi ex malo, seu periculo; quin illam recipio, nec in posterum praeripiendi notionem mihi dari volo, qua liberalitate Rev. Censoris §. 8. mihi exhibitâ, carere possum, salvâ meâ opinione: si modo nostra disputatio heic non abeat in *Logomaciam*; & id quod nunc audiet ereptio ex, reapse nihil aliud sit, quam praereptio ipsi calamitati, aequae ac *Jes. XX: 6. Ezech. XIV: 13. Num. XXXV: 25.* etiam sine *Mem*, *Gen. XXXII: 30. Anima CHRISTI vitalis eripienda erat ex malo, seu morte, at non per Resurrectionem*, ut Examinatori meo placet, quae sero venisset, post vitam excisam. Unde Viro Docto jam optionem relinquo,

linquo, utrum credat, MESSIAM talem pro *vitâ* supplicationem dedecuisse, atque adeo potius aliam personam loquentem, *Pf. XXII.* arripiat: an agnoscat mecum, deprecata*m* *ereptionem* non nisi novum mortis genus intendere, quod per *gladium* parabatur.

Viden' L. B. scrupulum, sentin' Tu nodum in sententia Doct. Opponentis? Relegas, si placet, quae jam §. III. n. II. praecoccupavi: post, integrum tibi iudicium esto, cujus sententia vel enodis audire debeat, vel minori prematur difficultate. Neque muscas caperem, seu minutias sectarer, usum *Gladii* metonymicum & symbolicum rodendo, & pro *Cane*, non *Canibus*, pugnando. Haec omnia facillime Censori meo permisisset, si non victas manus dedissem, & in ipsiusmet castra transivissem; modo ipsius conceptum adeo *planum* offendissem, uti illum pingere fategit; licet ego hac praerogativâ gaudeam, quod nec ad figuram in *gladio*, nec ad enallagen in *cane*, confugere cogor, salvâ nempe meâ de toto *Versu* sententiâ, prout eam in *Observatione* nupera simpliciter luci exposueram. Et, si vel nunc artificiosior essem, distinguendo bina *versus* hemistichia, ut supra §. III. sub n. I. videre est, atque *Examinator* §. suâ 8. praevit, mihi unus sufficeret *Canis* Ethnicus, ossibus MESSIAE infestus, quoniam tantum per unum militem
ictus

iētus *crurifragi* dandi fuissent. PILATI quidem emblemata in toto *Psalmo* nec quaero, nec reperio. Ante hunc *Centurio*, militum Praefectus, urgente necessitate, deberet in censum venire; praesertim quando illum non nisi pro coacto confessore IESU, quasi genuini Herois, habemus, uti patet ex *Fasciculo superiore*, pag. 242.

X I.

Delabimur ad §. *Examinis* 8. Nova hic difficultas necitur ex consilio DEI, & intentione Spiritus vaticinici, quibus per *confosionem lateris MESSIAE* ulterius debebat satisfieri: unde infertur *praereptionem gladio*, Ps. XXII: 21. rogatam, vel non posse referri ad *confosionem mortui*, quae actu facta, vel saltem non docere, *confosionem vivi* à *Judaeis* fuisse petitam, aut à *Procuratore* mandatam. Haec summa est, ni fallor, & cardo & robur ratiocinii, quod indulgenter V. D. mihi objicit, l. cit. — Regero. 1. Neutiquam Oracula divina confundamus. *Psaltes*, meo iudicio, sed salvo meliori, induxit MESSIAM deprecantem *confosionem sui vivi*; de *confosione mortui* Regi DAVIDI hinc nihil revelatum, neque vel per transfennam de hâc aliquid praevidere, suspicari vel monere potuit: ZACHARIAS autem vaticinatus est de *perfos-*

498 Jac. Cremeri, Responsum in Anon.

fosionibus MESSIAE in genere, Cap. XII: 10, quas inter S. JOHANNES, Spiritu duce, à posteriori quoque referendam censet illam, cujus testis inopinatus evaserat, ac *αυτοπλις*, *confosionem mortui*. Quid inde detrimenti, pro meâ, quam amplexus sum, & adhucdum amplector, opinione, donec edocear meliora, & animo meo veritatis cupido, atque MESSIAM; & de illo vaticinio reverenter scrutanti satisfactum sit? 2. Differt allegandi modus, quo JOHANNES utitur vs. 36. & 37. Rotundis asserit verbis: *crura JESU non esse fracta, ut impleretur Scriptura, de Osibus MESSIAE non frangendis*. Suggestur illi per S. Spiritum opportune *altera Scriptura*, cujus ulterius vel novum & accessorium implementum, quivis aequus & Christianus Lector, ipso duce, facile admittat in *perfosso* CHRISTI latere. 3. Abstracte si rem pensitemus, omnino etiam JEHOVAE *festinandum* fuit, ne in postremo hoc implemento *Zacharianum* Oraculum eluderetur; neque ad *accommodationem* aliquam obliquam per S. Apostolum, heic vel ullibi confugerem; talis semper respuenda & condemnanda: Verum in concreto si spectemus ideas Pfaltis, & seriem precum *Messianarum*, quam ille condidit in XXII. illa Ode, ne *γεν* quidem discernemus, de *festinando*, ut *perfosdatur denuo mortuus*. Hoc ergo intruderetur *Psalmo*, invita Minerva; nec

nec juvat, MESSIAM cognitā & perspectā habuisse arcanas DEI rationes. *Psalmus* continet proprie DAVIDIS Prophetæ verba, cui de fati*s* *Messianis* tantum ex Divina Revelatione constabat, nec aliud quid tunc temporis de illis præferre poterat, quam ipsi suggereretur, neque aliter MESSIAM precantem inducere valebat, quam Spiritus S. ipsi instillabat: Atqui in his nihil occurrit de *confessione mortui*: Ergo JEHOVÆ *festinatio* non ibi imploratur, ut per illam suum ipsius consilium præstaretur.

Quid autem hic multis ~~opus~~? Insequenti §. 9. Auctor ipse hanc *festinandi* JEHOVÆ causam amandat, & plane acquiescit in illa, quam his verbis descripsit: „MESSIAS, morti, „dirissimarum passionum termino, jam proximus, sciens se omnia persolvisse, felicem tantorum malorum exitum, vehementer optabat, qui Vindicem DEUM adesse testaretur, & insecuta Exaltatione à supremo Numine coronaretur; hinc: *Festina JEHOVÆ ad auxilium meum! Eripe à Gladio &c.* Haec ratio, haec causa, cur JEHOVÆ properandum, & *festinandum*: qua cum sequentiâ vi. 22. — arctissime & optime cohaerent, quæ promissionibus MESSIAE factis, & ipsi, qua iisdem innitebatur, examissim respondēt.” Haftenus *Aponymus*. Itaque hic ratio τὸ ἐπινοῶν, unice
Bibl. Haganae Cl. VI. F. III. Kk po

500 Jac. Cremeri, Responsum in Anon.

ponitur in *Desideriis Moribundi MESSIAE*: in quo nihil habeo notandum, modo cl. Opponens ejus sit liberalitatis, ut agnoscat, ex meo conceptu haec *Desideria paratissimi auxili* non parum acui debuisse. Vel minima *Pseudo-Messiae* nota sacrum horrorem incurere debebat; hanc cane pejus & angue vitare, adversus hanc Patris suppetias citatissimas rogare, anhelare, & ita porro — Interim, in allegatis V. D. verbis, nonnulla sese obferunt mere assumptitia, & quae omnino non pertinent ad feriem rerum, vel idearum, in *Psalmo* expressarum. v. g. de *scientia persolutionis omnium*, de *praesentia DEI vindicis*, sive illius *testimonio*, de *Exaltatione coronante*, de ipsis (modo JEHOVAE nomen excipias) *promissionibus MESSIAE factis*, & *spe* superimposita. Alia *sperandi* fomenta recitantur, vs. 5-11. Nam etiamsi illa D. Censoris abstracte in *Messiam* quadrent, atque in aliis Vaticiniis, Psalmisve, graphice pingantur, tamen confidenter affirmo, non ingredi illa seriem & connexionem *Psalmi XXII*: Unde simul, prono quasi alveo fluit, Nexum a V. D. memoratum non esse purum putum, sed alienis intermixtum; quod ipsius pace dictum esto! — Contra in meo *Psalmi Schemate* (pag. 137 & 138.) expressas solum ideas dispescui, & singulis sub suis numeris locum assignavi, sine ordinis perturbatione.

Videat ibi L. B. longam seriem rationum vs. 13-19, ob quas *JEHOVAE properandum ad auxilium Filii sui*. Ex his illam, quae sita erat in periculo adhuc imminente vs. 13, 14. recurrere putavi vs. 21. & 22. Eandem fortissime urfi, &, quoad vs. 21. saltem, urgere pergo.

X I I.

Ut tandem sit modus finisque disputandi, rationes meas nunc subducam. Non denegat mihi V. D. amplius favorem seriei Vaticinii *Davidici*, neque opem *Harmoniae Evangelicae*, & *fili sermonis Joannis*. Ponatur omnino, meam hypothésin, non esse alienam à Psalmistae phrasi, & contextu sacro, cum V. tum N. T., quod iterato nunc ostendere annis sum. An etiam nunc ad persuadendum sufficiant commentata mea, ipse aequus & eruditus Censor meus experietur, & judicent omnes idonei talium rerum Arbitri. Ego vel in propria causa plura caecutio, vel nunc satis evictum dedi, quod Phrasis *Davidica*, nisi mavis propositis: *Eripe meam animam vitalem gladio* (non à gladio, sicuti V. D. p. 376. dedit, quod iterum *proceptionem* facit) non alium fundat, vel permittat sensum, quam *liberavit me a morte*, seu omni, seu speciali quadam: *omni*que *mespita*

ab hac, non ab illa ſervari poſſet, meam de novo mortis genere, quod deprecetur, opinionem eſſe tolerandam; niſi quis ipſum MESSIAM in *Pſalmo* loquentem valere jubeat. Huic vero quot & quanta repognent alterius eſt indaginis. Uno Verbo: nunc attuli rationem, ſi non rationes, idque, niſi me omnia fallant, praegnantem, quare haſtenus meum alterius conceptui in locis heic controverſis praeferam: Hypotheſin uberiori luce, pro viribus, colluſtravi, & fortius adſtrinxi. Si plura adhuc deſideret V. D. id publice vel privatim mihi ſignificet, eodem, quo coepit, pede: tunc Ego non deſero cauſae meae, donec ſit plane eruta, atque in dias luminis auras protracta Veritas, quam ambo ſcrutamur.

O utinam Ego ſemper tam honeſtiſſimum & placidiſſimum Criticum expertus eſſem: ſaltem experiar in poſterum! Quin etiam exemplum tam laudabile mihi aſſiduo daretur imitari! Impraeſentiarum par pari referre mihi cura & religio fuit.

X I I I.

Adjiciam *Cotonidis* loco paucula de *Pſ. XL* & *LXIX*:

Habentvili hoc commune, quod MESSIAS ſe ipſum pingat, quaſi alterum, ſeu *Antitypicum*

picum JOSEPHUM in puteum, seu cisternam limosissimam, horripilam & enecantem demissum. Ex hac se jam extractum jubilat Ps. XL: 2, 3. utique per *Resuscitationem à mortuis*; quam Ps. LXIX. adhuc sperat & flagitat.

Ps. XL. totus videtur *Επιβικίων* orantis de morte & hostibus internecinis. Partes sint quinque.

- I. Introitus eucharisticus, praestitam liberationem ex morte & quidem durante, qualem simul hostes speraverant, celebrans, *vs. 2, 3.*
 - II. Declaratio propositi, DEO gloriosi, maxime per fiduciam testium, ipsum reverentium, *vs. 4.*
 - III. Propositio textus, sive argumentum cantici sui gratulatorii generale, *vs. 5.*
 - IV. Tractatio uberior: in qua D. MESSIAS recenset fata propria, & prae ceteris, quare & quomodo fuerat ipse depressus, ut nil nisi in DEUM suum fiducia superaret? *vs. 6-18.*
- N. Quare in tantam calamitatum voraginem delapsus esset, ostendit *vs. 6, 7.* scilicet.
- A. Ob multitudinem à DEO excogitatorum Typorum, nunc non ordine recensendorum. *vs. 6. נפל אמת Syris, Typi, Figurae, Parabolas, Mar. XIII: 28.*

B. Ob sacrificia Typica Numini per se non grata. *vs.* 7.

2. Quo modo in tot & tantas miseras & angores subsidisset? scilicet sponte, & per amorem ardentissimum in DEUM suum, *vs.* 8, 9. porro nunc

A. Provocans ad specimina hujus amoris pristina, dum praeconem virtutum & viarum Divinarum egisset: seu durante functione Prophetica. *vs.* 10, 11. Hic enim verba in *tempore praeterito* vertenda.

B. Enarrans tandem

a. Quam fidenter ideo Divinum auxilium ex calamitatibus insecutis speraverit! *vs.* 12, 13. maxime in Cruce.

b. Quales preces, durantibus iis fu-derit! *vs.* 14-18.

NB. *vs.* 10-18: omnino subordinantur *versui* 8, unde vox *ἤκουσεν* (quae saepius *elliptica*, V. *Pf.* VIII. 5. *Jer.* VIII. 19. *XLI.* 25.) repeti potest, initio *vs.* 12, & 14.

V. Clausula deficiens suppletur repetitione, *vs.* 2, 3. à S. Odis minime aliena, V. *Pf.* VIII. 2, 10. *XLII.* 12. & *XLIII.* 5. *CLII.* & *CIV.*

Hanc Analysin Doctioribus limandam & corrigendam exhibeo. In Precibus, hic à

MESSIÂ repetitis, *vs.* 14-18. cum aliis se offerunt supplicationes auxilii & liberationis Divinae, & quidem

1. Generaliores, *vs.* 14.

2. Specialiores, *vs.* 15, 16. ubi aequae ac in nostro Pf. XXII, *auxilium festinatum*, ocissimum primo loco conferretur confundendis hostibus, *animam* vitalem modo ad necem quaerentibus, eamque violentissimam, acceleratam, Haec autem *pudofactio*, Patientis morte praematurâ & ipsis inopinâtâ, omnino & prae ceteris efficienda erat. Porro *terrefaciendi* erant, quod ex Eventu colligi potest, factum esse per horrenda phaenomena mortem Servatoris immediate secuta, v. c. terrae motus & scissi in Templo veli. Tandem *prostituendi* erant publice, v. c. per sepulcrum apertum & custodum relationes. Denique *vastandi* erant ipsi, quemadmodum accidit per judicia Divina, abhinc Judaicae genti inflicta.

Itaque absque torsionibus & fidiculis facile deduci potest, quam pari passu MESSIAE supplicationes, in utroque Cantico, ambulent.

X I V.

Pf. LXIX, tandem non toto, loquitur MESSIAS, ex *vs.* 22. jam *actus* in Cruce *potatus*, atque adeo morti proximus. Divisio

506 Jac. Cremeri, Responsum in Anon.

sermonum *Messianorum* se accomodat Divisioni *Pf.* XXII, scilicet in Preces & Vota. Preces *vf.* 2-30. fundit.

I. Pro se ipso. *vf.* 2-19.

⌘. Supplicatio prima & Generalis cum suis motivis apparet, *vf.* 2-4, quorum argumentum tribus do verbis: *Emorior, quin resuscita!*

⌚. Supplicatio altera & specialior *vf.* 5-19. habet

A. Basin praejectam (ad exemplum *Pf.* XXII.) *vf.* 5-13, ex

a. Innocentiâ coram hominibus, salvo vadimonio apud DEUM, *vf.* 5, 6.

b. Piorum noxâ & notâ, si ipse non audiretur. *vf.* 7-13.

α. Propositionem habes, *vf.* 7.

β. Extensionem *vf.* 8-13, eamque

1. à Contemptu Gentilium suorum. *vf.* 8, 9.

2. à Speciminibus, quae jam olim dederat (durante munere Publico Prophetico) animi DEO devotissimi, sed

⌘⌘. In proprium damnum *vf.* 10.

⌚⌚. Irrito conatu apud inimicos & irrisores *vf.* 11-13.

B. Preces huic Basi impositurus

a. Transitum facit, memoratque oportunitatem illarum, *vf.* 14.^a

b. Pre-

b. Precaturque mox liberationem

α. Plenariam, vs. 14.^b

β. Potentissimam, ne mortis vinculis teneatur, vs. 15, 16.

γ. Benignissimam, vs. 17, 18.^a

δ. Festinatam insuper, seu paratissimam, vs. 18^b, 19.

II. Adversum Hostes, vs. 20-29. ubi iterum

Ν. Basis, vs. 20-22.

Ξ. Imprecatio, vs. 23-29.

III. Pro se ipso breviter de novo ac nervose, vs. 30.

Possunt quoque Preces vs. 14^b-19. dispesci in priores vs. 14^b-16. & posteriores, seu repetitas vs. 17-19. in quibus

1. Repetitio vs. 14^b. cum extensione emphatica, vs. 17.

2. Instantia triplex

ΝΝ. à relatione sua ad Deum, vs. 18^a.

ΝΝ. à suis angustiis vs. 18^b, 19^a.

ΝΝ. ab hostibus. vs. 29^b.

Cum jam in aprico sit, *angustias* MESSIAE per mortem ipsius terminari, absque ὑποθεσεως δαλεια, hic etiam *auxilium festinatum* vs. 18^b. in obitu ocissimo quaerere cogor: & huc vs. 19. simul egregie collineat. *Quia arctum (angustum) mihi, festina, responde mihi, propinquus esto animae meae, & vindica illam!* i. e. accede ut cognatus, & liberato vitam meam instar Goëlis. MESSIAS non

tantum *Seruus*, sed etiam *Propinquus* DEI audit in verbo Prophetico. *Anima* ipsius vitalis erat in potestate hostium, quamque cito diripere studerent hi: at *Seruus* DEI *Propinquus* hocce suum *animum* potius Domino & Patri suo cedit; itaque hunc tanquam Goëlem implorat, ut illud carum pignus hostibus eripiat, & sibi acquirat. Ni mavelis: „ post paratissimam meam liberationem ex „ angustiis per meam mortem, ostende te „ Goëlem verum vitae meae, & vindica illam, jure & animo affinitatis, mihi restitue illam per resurrectionem. ” Claudid: *libera me propter hostes meos*, per inopinatam mortem & resurrectionem simul. Hic enim superiora desideria unius verbi compendio exhibentur, ultimo loco.

Cui haec de *Goëlismo* interspersa, non sunt ad palatum, illa respuat: sensus redibit eodem. Habent autem, inter promos condos suos, etiam Cel. & Doct. VENEMAM.

X V.

Ego vero his tantummodo salivam curiosis movere volui, retinens mihi provinciam analyses hasce in posterum, si DEUS largiatur vitam & vires, ulterius illustrandi & adstruendi. Nunc indicasse suffecerit, quam gratis mea de Pf. XXII: 21. sententia ex Pf. XL.

XL. & LXIX. impugnaretur. Etenim in singulis comparet diversa rerum facies: in Ps. **XXII: 21.** *MESSIAS Crucifixus & morti vicinus deprecatur gladium & vim novam Canini hostis!* in Ps. **XL.** *MESSIAS resuscitatus refert quid in Cruce precatūs sit, scil. liberationem plenariam per resurrectionem, quin & festinatam per mortem, ita ut insectatores vitae suae pudefierent omnino, & omnibus novis conatibus exciderent;* in Ps. **LXIX.** *denovo MESSIAS de Cruce pendens, & morti proximus, quaerit liberari, inter alia etiam repentissime, scil. quoque per mortem, sed simul commendat vitam depositam DEO Patri, ut eam sibi restituat, nempe sub tempore.* Ex mea ideo de Ps. **XXII: 21.** opinione lucem foenerantur Ps. **XL: 14, 15.** & **LXIX: 18, 19.** Contra nihil aquae ex his haurietur, ad extinguendam facem, quam Ps. **XXII.** accendere studui. In singulis fit mentio *Animae:* nec dubitavi eam ubique de *Anima vitali* explicare, ne viderer, si forte me in angustias pulsum sensissem, tantum elabendi rimam quaesivisse. In solo Ps. **XXII.** exprimitur malum vel poena, speciatim *Gladii, cui eripi & à quo liberari anhelabat DAVIDIS tum Filius, tum Dominus.*

Ut verum profitear, si adhuc dubius alicubi haeream, id maxime locum habet in Ps. **LXIX,** & quidem in vestibulo, seu prima

mâ supplicatione: num *salus*, quam ibi precatur MESSIAS, solâ ipsius *Resuscitatione ex mortuis* circumscribatur? Sin vero ambitum habeat majorem? Cur non aequè illam extendemus ad partem ante, quam ad partem post? quin potius ad anterius aliquid: ideo, quod *Assumptio in caelos*, & summa ibi *Exaltatio*, non fuere *liberatio* proprie dicta, seu ex malis *ereptio*; qualem schesin omnino induit *mors MESSIAE spontanea & subitanea*, quippe qua omnes Ejus angores & dolores finiebantur, cetera Inimicorum molimina adversus Vivum simul intercidebant, noxa in salutem iam vertebatur, & incipiebat haec laetissima catastrophè, emergendi ex profundissimo miseriarum barathro. Cumque identidem à S. Psalte inducatur, ut exorans sibi non modo *liberationem* plenam, sed & *festinatam*, quo pacto hanc ab illa melius discernemus, quam per concessas facultates *animam*, seu vitam deponendi, & eandem resumendi, seu resurgendi? De *Resurrectionis* tempore tum DAVID, tum MESSIAS, erant satis securi, teste Pf. XVI: 9, 10. Haec non erat maturanda neque differenda, modo Typi quidam adimplerentur; v. c. *Mannae*, quae sextâ vespèrâ agro cedebat, & in sequentis hebdomadis primo mane redibat; *Cineris juvenci rufi*, qui tertio die conspergendus aquâ vivâ; & similia. —

Ad

Ad JOSEPHUM si lubeat pedem referre, nonne ipsi fuisset salutare & praeoptandum, si non posset vivus ex foveâ eripi; sine mora expirare, quam animam diutius trahere, & de hora in horam novos mortis insultus perferentiscere? Tamen MESSIAS noster, ut hujus *Antitypus* Ps. XL. & LXIX. unanimi fere Interpretum consensu pingitur, & quae *Antityporum* plerumque est super *Typos* suos Excellentia, in MESSIAM utrumque cadebat, indigito *Mortem spontaneam & subitanam*, & ex illa *Resurrectionem*, quorum unum tantum in Filio JACOBI se obtulit, scilicet *Resurrectio*, eaque *parabolica*, ex sepulcro perenni, quale *puteus semel clausus* alioquin praestitisset: quorsum aperte alludi conspiciamus Ps. LXIX: 15, 16. Talem *infernum* MESSIAS itidem maxime reformidabat, *Resurrectionem* ob rationes gravissimas anhelabat, rem scilicet, non aequè tempus, id quod DEO & judici suo relinquebat. — Quid sunt, quo tandem manum de tabula! decantata *vincula mortis* Ps. XVIII: 5, 6; nisi vere αἰ ὀδυναὶ τῆ θανάτου, quas aequè DEUS ἔλυσε, ac JESUM ἀνεστησεν Act. II: 24? Imo vero facile patitur, si non requirit, hoc testimonium *Petrinum*, ut illam τῶν θανάτου ὀδυνῶν λύσειν, ab ἀνάστασει, non tantum discernamus, sed etiam illam hanc praecessisse intelligamus. Nec videtur inter verba λυεῖν &

512 Jac. Cremeri, Resp. in Anon. &c.

& *κατα* revera mutuus respectus locum
habere, quia non *Mortis vinculis*, seu *La-*
queis, sed *Morti* ipsi *το κατα* tribuitur.

T A N T U M.





III.

Litterae Synodi

EBORACENSIS ET PHILADELPHIENSIS

I N

AMERICA SEPTENTRIONALI

A D

Ecclesias Genevensem & Helveticas,

E T

Harum Responsoriae. (*)

Synodus Eboracensis & Philadelphienfis

in America Septentrionali,

*Consociatae Ecclesiae Reformatae in Geneva,
admodum Venerandae.*

S. P. D.

Notum sit vobis, *Viri Reverendi*, & in
